P. F. JOANNIS VINCENTII

PATUZZI

ORD. PRÆDICATORUM
IN VENETA CONGREGATIONE B. JACOBI SALAMONII
S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS

ETHICA CHRISTIANA

SIVE

THEOLOGIA MORALIS

EX PURIORIBUS SACRÆ SCRIPTURÆ DIVINÆQUE
TRADITIONIS FONTIBUS DERIVATA, ET

S. THOMAE AQUINATIS DOCTRINA

CONTINENTER ILLUSTRATA.

TOMUS TERTIUS

CONTINENS

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, FIDE,
SPE, ET CHARITATE, AC DE PRIMO
DECALOGI PRÆCEPTO.



MEDIOLANI MDCCLXXXI.

APUD FEDERICUM AGNELLUM.
SUPERIORUM PERMISSU.



ETHICÆ CHRISTIANÆ,

SIVE

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS QUARTUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS FIDE, SPE, ET CHARITATE.

QUUM *Doctor Angelicus S. Thomas in ea parte, quæ* prima secundæ *dicitur, fuse disseruerit de humanis actibus, eorumque principiis tum intrinsecis, tum extrinsecis; in altera, quæ sequitur, &* secunda secundæ *appellatur, de omnibus virtutibus, earumque officiis sermonem instituit; suumque Tractatum exorditur ab iis, quæ altiorem sibi locum vendicant, virtutibus nempe Theologicis*, Fide, Spe, & Charitate, *atque exinde ad alias explicandas descendit, quæ inferioris ordinis sunt. Nos autem cum de harum præcipuis, quæ* Cardinales *vocantur, in superiore* Tractatu *satis egerimus; idcirco ordine paululum immutato, illas in præsenti illustrandas aggredimur. Virtutes namque Theologicæ præludia veluti quædam sunt ad decem præcepta Decalogi, in quorum primo continentur sive potius ad illud revocantur. Hunc porro* Tractatum *in aliquas dissertationes tribuam, quemadmodum & in aliis factum est; ac primum ab iis, quæ* Fidem *spectant, incipiam.*

DISSERTATIO I.

P*RIMA omnium Theologicarum virtutum* Fides *est, a qua tamquam a radice, & fundamento meritum omne, salusque æterna dependet. De hac plura dicenda sunt, quæ ad nostrum institutum proxime pertinent. Sed prius de ejus indole, seu natura.*

CAPUT I.

De Fide Theologica. De ejus objecto, aliisque ad fidem necessariis.

DOCTRINA.

Doctrinæ Synopsis.

I. *Multiplici in sensu fides accipi solet. Quo in sensu hic accipiatur.*

II. *Fidei definitio tradita ab Apostolo Paulo ex S. Thoma illustrata.*

III. *Ad formam dialecticæ definitionis reducitur.*

IV. *Objectum fidei, quod* materiale *vocant, sunt omnia a Deo revelata.*

V. *Primarium tamen ejus objectum Deus est.*

VI. *Quid sint articuli fidei omnibus ad creden-* dum

dum propositi.

VII. *Horum numerus nec incrementum accepit, nec unquam accipiet.*

VIII. *Fidei objectum*, *quod* formale *appellatur*, *aliud non est præter divinum testimonium.*

IX. *Ejusmodi objecti amplior declaratio.*

X. *Ad credendum necessarius est pius voluntatis affectus.*

XI. *Exponitur, in quo pia hæc voluntatis affectio consistat.*

XII. *Ex parte intellectus requiruntur argumenta, quibus suadeatur divinæ revelationis existentia.*

XIII. *Indicantur hæc argumenta ex S.Thoma.*

XIV. *Eadem per ordinem digesta cursim proponuntur.*

XV. *Necesse non est, ut hæc credibilitatis motiva attingantur lumine fidei infusæ: sed sufficit lumen naturale.*

§. I.

Multiplex acceptio Fidei.

I. DE natura fidei, quatenus virtus theologica est, definire nihil possumus, nisi prius multiplicem fidei significatum aperiamus. Primo itaque *fides* sumitur etiam in Sacris Libris pro *veracitate*, sive *fidelitate*, quæ virtus quædam est æmula justitiæ, animamque rationalem bene disponit, ut promissa, facta, condicta servet, atque eorum veritatem custodiat, Hoc sensu Deuter. cap. 32. Deus dicitur *fidelis*, *& verax*; & Psal. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*. Eumdem quoque sensum exhibent Apostoli verba 1. *ad Timoth. cap.* 5. ubi de viduis adolescentibus agens, quæ post promissam Deo castitatem nubere voluerunt, eas *primam fidem fregisse* affi mat.

Secundo sumitur fides pro *conscientia*, sive pro dictamine conscientiæ, quo quis judicat aliquod bonum esse, vel malum, agendum, aut evitandum. Hoc sensu intelligi frequentius solent ea verba Apostoli: *Omne, quod non est ex fide* idest conscientia de bonitate, aut rectitudine actionis, *peccatum est*. Sic etiam dicuntur *possessores bonæ*, *vel malæ fidei*, qui bona, vel mala conscientia quidpiam retinent.

Tertio sumitur pro *argumento*, quo aliquid suademus, aut ad suadendum adhibemus, sive illud ex rationis momento, sive ex auithoritate petatur. Hoc in sensu *fidem* accepit Apostolus in disputatione habita in Areopago, quæ refertur *cap.* 17. *Act. Apost.* dicens: *Deus nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant; eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem, fidem præbens omnibus, suscitans Jesum a mortuis*; adducta scilicet in confirmationem eorum, quæ docuerat Christus Dominus, prodigiosa ejus Resurrectione.

Quarto frequens est in Sacris Litteris acceptio fidei pro *fiducia*; fiducia, inquam, quæ juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 129. *art.* 6. est *robur spei* proveniens ex aliqua consideratione, quæ efficit vehementem opinionem de bono assequendo; diciturque conditio Magnanimitatis spem erigentis, pertinetque ad appetitum, & voluntatem. Hoc sensu sumuntur verba Christi Domini *Matth. cap.* 21. *Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis* &c.; & illa Jacobi cap. 1. *Postulet in fide nihil hæsitans*; quamquam eadem loca intelligi queant de fide theologica, quam mox declaraturi sumus, qua nimirum sine dubitatione credimus omnipotentiam Dei, ejusque promissionem illis verbis factam: *Petite, & accipietis.*

Nullo in sensu ex his, qui sunt expositi, *fidei* nomen hoc loco sumimus. Sed de ea fide loquimur, qua assensum nostræ mentis rebus a Deo revelatis præbemus in ipsius revelationis obsequium. Hæc autem fides ita considerata trifariam quoque accipitur; *pro rebus* nempe *creditis*, sicut exprimunt ea verba *Apocal. cap.* 2. quibus Deus sic alloquitur

tur Angelum Pergami : *Tenes nomen meum, & non negasti fidem meam* ; *pro ipsa Dei revelatione*, ut exponi solent ea verba Actuum cap. 6. *Multa turba Sacerdotum obediebat fidei* ; ac demum propriissime *pro mentis assensu*, & adhæsione ad ea, quæ ad credendum proposita a Deo sunt.

§. II.

Fidei definitio tradita ab Apostolo Paulo illustratur.

II. Fidem in posteriore ex modo traditis significatione acceptam, pro assensu videlicet mentis nostræ, quem rebus a Deo revelatis præbemus, definit Apostolus Paulus in Epist. ad Heb. cap. 11. his verbis : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Quamquam non desint, qui pro legitima fidei definitione non habeant hanc Apostoli sententiam, quia tamen probatur, & illustratur a S. Thoma tum *lect. 1. in hunc locum*, tum 2. 2. *q.* 4. *art.* 1. ejusque Discipulis ; recipiendam omnino censemus, ac S. Doctoris verbis exponimus, qui posteriore in loco ita scribit : „ Cum habitus cognoscantur per actus, & „ actus per objecta, Fides, cum sit habitus, „ debet definiri per proprium actum in com- „ paratione ad proprium objectum. Actus „ autem fidei est *credere* : qui actus est intel- „ lectus determinati ad unum ex imperio „ voluntatis. Sic ergo actus fidei habet or- „ dinem & ad objectum *voluntatis*, *quod est* „ *bonum* : *& finis*, & ad objectum *intellectus*, „ *quod est verum* “. At vero objectum fidei divinæ est Deus non visus. Igitur finis etiam voluntatis, quæ movet intellectum ad credendum, est Deus nondum obtentus, sed speratus : adeoque fides est *sperandarum substantia rerum* ; quia scilicet *prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quæ virtute continet omnes res sperandas. In hoc enim speramus beatificari, quod videbimus aperta visione veritatem, cui per fidem adhæremus*. Unde optime dixit Apostolus : *Fides est sperandarum substantia rerum*.

Reliqua, quæ sequuntur, verba fidei essentiam, ejusque discrimen ab aliis mentis habitibus, & actibus manifestant. *Habitudo*, pergit S. Thomas, *actus fidei ad objectum intellectus, secundum quod est objectum fidei, designatur in hoc, quod dicitur* : Argumentum non apparentium ; *& sumitur argumentum pro argumenti effectu. Per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero. Unde ipsa firma adhæsio intellectus ad veritatem fidei non apparentem, vocatur hic argumentum. Unde alia littera habet* : convictio ; *quia scilicet per authoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his, quæ non videt. Si quis ergo*, subdit apposite, *in formam definitionis hujusmodi verba reducere velit, potest dicere, quod fides est habitus mentis, quo incoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus*.

III. Quod si fidei magis pressam definitionem quis desideret, ea utatur, aut simul cum mox explicata conjungat ; scilicet : *Fides est habitus, seu virtus divinitus infusa, per quam intellectus firmiter iis assentitur, quæ a Deo revelata sunt*. Ex hoc quod sit *virtus*, convenit cum cæteris omnis virtutibus : ex hoc autem, quod est *divinitus infusa*, differt a virtutibus moralibus : quod hæ nostris actibus acquiri valent, non ita vero *fides*, sicut etiam spes, & charitas, quæ a Deo duntaxat infundi possunt : unde & *supernaturales* dicuntur. Alia verba differentiam designant a cæteris quibuscunque ad intellectum pertinentibus, quemadmodum animadvertit S. Thomas. *Per hoc enim*, inquit, *quod dicitur* (ab Apostolo) *argumentum, distinguitur fides ab opinione, suspicione, & dubitatione, per quæ non est adhæsio firma ad aliquid. Per hoc autem, quod dicitur* non apparentium, *distinguitur fides a scientia, &* in-

intellectu (five habitu primorum principiorum), *per quæ aliquid fit apparens*. *Per hoc autem*, *quod dicitur* substantia sperandarum rerum, *distinguitur virtus fidei a fide communiter sumpta*, *quæ non ordinatur ad beatitudinem speratam*.

§. III.

De objecto Fidei, *quod* materiale *vocant*.

IV. In proposita fidei definitione comprehenditur objectum fidei, quod duplex distinguitur a S. Thoma hic *q*. 1. *art*. 1. cæterisque Theologis: nempe *id*, *quod materialiter cognoscitur*; & *id per quod cognoscitur*, quod est formalis ratio objecti. De hoc infra. Nunc de *materiali* solum objecto sermo est, quod esse asserimus *ea omnia*, *quæ a Deo nobis revelata sunt*; adeo ut nedum veniant, quæ rationem naturalem excedunt, & gratuito Dei munere nobis innotescunt, verum etiam quæ supra naturalem cognitionem non assurgunt, & creaturarum ministerio cognosci queunt. Prioris generis sunt mysteria omnia gratiæ, & gloriæ; Deus unus, & trinus, Divini Verbi Incarnatio, realis Jesu Christi in Eucharistia præsentia, aliaque complura, quæ in Fidei Symbolis proponi consueverunt. Posterioris generis sunt existentia Dei Creatoris, perfectiones ipsi convenientes, Mundi creatio in tempore, aliaque id genus multa; ad quæ etiam revocantur facta plurima, quæ in Sacris Litteris utriusque Testamenti recensentur. Nam a synchronis Scriptoribus experimento, a posteris historica traditione cognosci potuerunt, cum tamen Sacris Litteris mandata sint a Scriptoribus Canonicis a Deo inspiratis.

Quod autem hæc omnia ad objectum fidei materiale pertineant, facile evincitur. Illud siquidem intelligitur objectum *materiale* alicujus habitus, quod subest rationi formali ejusdem. Omnia autem, quæ sunt a Deo revelata, sive in verbo scripto, sive in verbo tradito contineantur, subsunt rationi formali fidei; quæ non alia est præter infallibile Dei testimonium, sive revelationem nobis factam, ut illa credamus. Igitur ea omnia ad materiale fidei objectum pertinere dicendum est.

V. Quamquam vero res omnes a Deo revelatæ sub objecto fidei comprehendantur, non æquo tamen modo, pative nisu iis fides suum præbet assensum. Ejus quippe *primarium* objectum *Deus est*. Unde S. Thomas loc. cit. art. 1. *Si consideremus*, ait, *materialiter ea*, *quibus fides assentit*, *non solum est ipse Deus*, *sed etiam multa alia*; *quæ tamen sub assensu fidei non cadunt*, *nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum*, *prout scilicet per aliquos divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem*, idest in Deum beatitudinis nostræ causam, & objectum. Quod luculentius declarat *in resp. ad* 1. inquiens: *Ea*, *quæ pertinent ad humanitatem Christi*, *& ad Sacramenta Ecclesiæ*, *vel ad quascumque creaturas*, *cadunt sub fide*; *in quantum per hæc ordinamur ad Deum*, *& eis etiam assentimur propter divinam veritatem*.

VI. Præcipua, quæ ordinem habent ad hoc *primarium* objectum, quod Deus est, atque adeo ad fidem, sunt articuli, qui communiter appellantur *articuli fidei*, qui non alii sunt, nisi propositiones quædam, quæ principalia capita continent *fidei*, quam profitemur; quique invicem non distinguuntur, nisi ob peculiares, quas menti exhibent, difficultates, quæ in aliis non inveniuntur. " Credibilia Fidei Christianæ, ait " S. Thomas art. 6. dicuntur per articulos " distingui, in quantum in quasdam partes " dividuntur, habentes aliquam coaptationem ad invicem. Est autem objectum fidei " aliquid non visum circa divina. Et ideo " ubi occurrit aliquid speciali ratione non vi-

„ visum, ibi est specialis articulus. Ubi autem „ multa secundum eamdem rationem sunt cognita, vel non cognita, ibi non sunt articuli „ distinguendi: sicut aliam difficultatem habet „ ad videndum, quod Deus sit passus, & „ aliam, quod mortuus resurrexit; & ideo „ distinguitur articulus resurrectionis ab ar„ ticulo passionis. Sed quod sit passus, mor„ tuus, & sepultus, unam & eamdem diffi„ cultatem habent, ita quod, uno suscep„ to, non est difficile alia suscipere; & prop„ ter hoc omnia haec pertinent ad unum ar„ ticulum. "

VII. Porro numerus articulorum fidei Christianæ nullo crevit progressu temporum, semperque idem erit ad usque sæculi consummationem, quin nec augeatur unquam, neque minuatur, nulla facta nisi accidentali in ipsis mutatione. Quod præclare explicat, probatque Doctor Angelicus hic art. 7. his verbis: " Ita se habent in doctrina fidei ar„ ticuli fidei, sicut principia per se nota in „ doctrina, quæ per rationem naturalem „ habetur; in quibus principiis ordo qui„ dam invenitur, ut quædam in aliis im„ plicite contineantur. . . . . Unde omnes „ articuli implicite continentur in aliquibus „ primis credibilibus, scilicet ut credatur „ Deus esse, & providentiam habere circa „ hominum salutem, secundum illud ad „ Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet cre„ dere, quia est, & quod inquirentibus se „ remunerator est*. In esse enim divino inclu„ duntur omnia, quæ credimus in Deo æter„ naliter existere, in quibus nostra beatitu„ do consistit. In fide autem Providentiæ „ includuntur omnia, quæ temporaliter a „ Deo dispensantur ad hominum salutem, „ quæ sunt via in beatitudinem. Et per „ hunc etiam modum aliorum subsequen„ tium articulorum quidam in aliis conti„ nentur: sicut in fide Redemptionis huma„ næ implicite continentur & Incarnatio „ Christi, & ejus passio, & omnia hujus„ modi. "

Hisce verbis viam S. Doctor sternit ad conclusionem, quam subinde ita elicit: „ Sic ergo dicendum est, quod quantum ad „ substantiam articulorum fidei non est fa„ ctum eorum augmentum per temporum „ successionem; quia quæcumque posteriores „ crediderunt, continebantur in fide præce„ dentium Patrum, licet *implicite*. Sed „ quantum *ad explicationem* crevit numerus „ articulorum: quia quædam explicite co„ gnita sunt a posterioribus, quæ a priori„ bus non cognoscebantur *explicite*. Un„ de ..... Apostolus dicit ad Ephes. 3. *In „ aliis generationibus non est agnitum mysterium „ Christi, sicut nunc revelatum est sanctis Apo„ stolis ejus, & Prophetis* ".

Atque hinc consequitur, eamdem specie fuisse fidem, quam habuerunt antiqui justi, & habemus nos ipsi; quod SS. Ecclesiæ Patres disertissime tradunt, quos inter S. Aug. *Epist.* 89. sic ait: *Scimus etiam antiquos justos, quicumque esse potuerunt, nonnisi per eamdem fidem liberatos, per quam liberamur & nos*. Et Epist. 157. *Eadem namque fides est & nostra & illorum; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum*. Quod etiam habet *tract.* 45. *in Joan.* dicens: *Tempora variata sunt, non fides &c. mutatus est sonus, venturus est, & venit; eadem tamen fides utrosque conjungit*.

§. IV.

Objectum formale, *quo ad credendum inducimur ea, quæ a Deo revelata sunt*.

VIII. Ex fidei natura, & indole satis liquet, objectum *formale* fidei, sive motivum, quo inducimur ad ea credenda, quæ revelata sunt, aliud non esse præter divinum testimonium. Cum enim fides sit ex auditu, nititur auctoritate loquentis, sive testificantis. Rem notissimam faciunt frequentissimæ Scripturarum sententiæ. Christus

ſtus Dominus ad Pilatum apud *Joan. cap.* 18. ita loquutus eſt : *Ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*. Paulus in Epiſt. 1. ad Theſſal. cap. 2. *Cum accepiſſetis*, ait, *a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed, ſicut eſt vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis*. Ac demum, ut alia prætercam, Joan. Epiſt. 1. cap. 5. ſcribit : *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt : quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo*. Sane non aliud poteſt eſſe *formale* fidei objectum, ſive motivum, quo ad credendum inducimur, niſi id, per quod ea, quæ revelata ſunt, credibilia fiunt, nempe authoritatem loquentis ; quæ autem nobis propoſita ſunt ad credendum, perfecte credibilia fiunt ex teſtimonio primæ veritatis. Eo ipſo namque, quod aliquid a prima veritate teſtatum ſit, præſcribit recta ratio, ut ipſi, ſepoſita omni formidine, fidem præbeamus, cum neque falli, nec fallere quempiam poſſit.

IX. Divinum hoc teſtimonium, quod *formale fidei motivum* eſt, magis declaro ; in eoque ad fidem comparato quatuor diſtinguo, ſcilicet *Sapientiam Dei infinitam*, quæ falli non poteſt ; *veracitatem ſummam*, quæ nos fallere non vult ; *revelationem Dei*, qua plura nobis a Deo proponuntur ; & ipſius locutionis, ſeu revelationis *obſcuritatem*. Sapientiam Dei, ejuſque veracitatem falli, & fallere neſciam vel ſolo naturæ lumine cognoſcimus ; illæque duæ ſunt divini teſtimonii ſpeciales prærogativæ, ſine quibus firmiſſimus aſſenſus revelanti Deo præſtandus non eſſet. Revelatio actualis, ſive locutio divinum perficit teſtimonium : neque enim qui verax eſt, ac ſapiens, niſi loquatur, pro teſte habetur. Conditionem demum obſcuritatis rei per teſtimonium propoſitæ paſſim exhibent Sacræ Litteræ. In Epiſt. ad Rom. cap. 8. : *Quod non videmus, ſperamus* ; in Epiſt. ad Cor. cap. 8. : *Per fidem ambulamus & non per ſpeciem* ; ad Hebr. cap. 11. : *Fides eſt argumentum non apparentium &c.* Ita nimirum Divina Sapientia fidei arcana revelat, ut ea nequaquam in ſe ipſis manifeſtet ; nec appareat connexio prædicatorum eſſentialium, neque præſto ſit principium aliquod, ſeu medium, ex quo deducantur.

Equidem non abnuo, quædam eſſe Scripturarum loca, quæ fidei lucem tribuant, viſionem, & claritatem, ut illud Apoſtoli : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem*. Verum hæc, & ſimilia verba obſcuritatem fidei minime tollunt, ſed indicant duntaxat, primo fidem eſſe quidem lumen quoddam, tametſi caliginoſum, ſive, ut Petri verbis utar, *lucens in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat* : quo obſcuro lumine Dei arcana plura cognoſcimus, quæ, Deo non revelante, nota nobis nunquam fuiſſent ; ac præterea fidem noſtram eſſe quadantenus clariorem, ſeu minus obſcuram fide veterum Patrum, quibus pleraque figurata erant, & ænigmatum velamine contecta.

§. V.

Pius voluntatis affectus ad fidem neceſſarius eſt.

X. Præter rationem formalem, quæ ſe tenet ex parte objecti, alia ad fidem exigitur, quæ ipſum afficiat credentem, eumque ad credendum moveat, atque impellat. Hæc ratio duplex eſt, quarum altera ad intellectum pertinet, altera ad voluntatem, de qua primum agimus, & in pio voluntatis affectu poſita eſt. Pium hunc affectum ad fidem habendam prorſus neceſſarium eſſe, dubitare non ſinunt plura Scripturarum teſtimonia. *Gratiam fidei, & gratiam ad obediendum fidei* vocat Apoſtolus ad Romanos. Obedientia autem procul dubio in affectu

fectu voluntatis consistit. Idem quoque c. 10. tradit, *corde credi ad justitiam*, idest voluntate bene affecta intellectum inclinari ad credendum.

Diserta quoque sunt Concilii Arausicani II. de hac re decreta. Can. namque V. decernitur, *Gratia Dei donum esse fidem*, ejusque *augmentum, ac etiam initium, ipsumque credulitatis affectum; eamdemque Dei gratiam, qua fides infunditur, corrigere voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem*. Et Can. VII. dicitur, quod *Spiritus Sanctus dat hominibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati*. Idemque satis aperte in Concilio Tridentino definitum est *sess. 6. c. 6.*, ubi docet, homines disponi ad justitiam, *dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, & promissa sunt &c.*

XI. Eumdem pium affectum postulat ipsa indoles fidei, quam declarat S. Thomas *q. 14. de verit. art. 1.* his verbis: "Quandoque intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis, neque per ipsas definitiones terminorum, sicut *in principiis*; neque etiam virtute principiorum, sicut *in conclusionibus demonstrativis*. Determinatur autem per voluntatem, quae eligit assentiri uni parti determinate, & praecise propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum; utpote quod videtur bonum, vel conveniens huic parti assentiri. *Et ista est dispositio credentis*; ut cum aliquis credit dictis alicujus hominis, quia videtur decens, vel utile. *Et sic etiam movemur ad credendum* dictis a Deo, in quantum nobis repromittitur, si crediderimus, praemium aeternae vitae: & hoc praemio movetur voluntas ad assentiendum his, quae dicuntur; quamvis intellectus non moveatur per aliquod intellectum, seu clare cognitum". Hoc est, quoties objecta intellectui proposita perspicua gaudent praedicatorum connexione vel in se ipsis, vel in principiis, ex quibus necessario deducuntur, eorum claritate, & evidentia sufficientissime intellectus movetur ad assensum praestandum, quin opus sit voluntatis motione. Sed alia quoque intellectui saepe exhibentur objecta, quae vel dubia sunt, vel probabilia, vel obscura, quibus ille assensum suum nunquam praestabit, nisi objecti defectus per impulsum voluntatis suppleatur.

Id sane liquido constat in fide humana, qua homini loquenti quidpiam credimus. Versantur nempe in corde nostro affectus, & amores, quibus afficimur erga propriam utilitatem, convenientiam, decorem, aliaque bona, & erga ipsas personas. Hinc vero convenientes rationes hauriuntur, ut rebus narratis determinatum praestemus assensum, quamquam easdem haud videamus. Non absimili modo, gratia Dei inspirante, dum nobis proponitur fides, explicanturque mysteria veluti a Deo revelata, cordi nostro infunditur amor, quo afficimur erga sublimia dona, quae credentibus repromittuntur; eodemque affectu ita disponitur animus, ut convenientissimum appareat movere intellectum ad ea mysteria credenda, tametsi obscura sint, & aenigmatibus obvoluta.

Ut autem hujusce piae affectionis natura melius intelligatur, moneo, illam equidem esse in diligentibus Deum ipsam Dei charitatem veri nominis, sive ea sit justificans, sive justificante minor, de qua suo loco: verum hanc ad habendam fidem non requiri, hoc est non esse necessarium amorem Dei sub idea distincta Dei, sed satis esse amorem boni cujusdam sublimis, ac praemii excellentis, quod credentibus Deus repromittit. Ita decernit S. Thomas *quaest. 14. de verit, art. 2. in corp.*, ubi ait, *moveri nos ad credendum, in quantum nobis repromittitur, si crediderimus, praemium aeternae vitae*; tum etiam *ad 10.*, ubi ita loquitur: *Inchoatio fidei*

fidei est in affectione, in quantum voluntas determinat intellectum ad assentiendum his, quæ sunt fidei. At illa voluntas non est actus charitatis, neque etiam spei, sed appetitus quidam boni repromissi.

§. VI.

De argumentis credibilitatis, quibus existentia revelationis divinæ persuadetur.

XII. Succedit ratio altera se tenens ex parte intellectus, qua iste ad credendum Deo revelanti movetur. Hæc consistit in argumentis, quibus suadetur divinæ revelationis existentia, applicaturque divinum testimonium mysteriis, quæ creduntur. Ratio hæc ad fidei assensum conspirat, quatenus præstat, ut *prudens sit* assensus, quem Deo præbemus. Neque enim prudenter, sed imprudenter, ac leviter crederemus, testimonium Dei existere, sive Deum loquutum esse, nobisque revelasse, quæ credenda proponuntur, nisi argumenta suppeterent divinæ hujusce revelationis; quemadmodum neque fidem prudenter præberemus testimonio alicujus hominis, si deessent argumenta, queis suaderetur, illum reapse esse loquutum.

XIII. Hujusmodi argumenta, quæ dici solent *argumenta credibilitatis*, non est præsentis instituti lato calamo persequi, atque exponere, præsertim cum hæc materia a pluribus ornate, & copiose tractata fuerit. Quædam tamen non abs re erit cursim saltem attingere. Paucis omnia complexus est Angelicus Doctor, prudentiam fidei nostræ confirmans *contra Gent. lib. 1. cap. 6.*, ubi sic differit: " Divinæ Sapientiæ secreta ipsa „ Divina Sapientia dignata est hominibus „ revelare, eamdemque revelationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, „ dum ad confirmandum ea, quæ naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit, quæ totius naturæ superant „ facultatem, videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, „ & (quod mirabilius est) in humanarum „ mentium inspiratione, ut idiotæ, & simplices dono Spiritus Sancti repleti summam sapientiam, & facundiam in instanti consequerentur. Accedit, prædictæ rationis efficaciam, non armorum violentiam, non voluptatum promissionem, & „ (quod est mirabilissimum) inter Persecutorum tyrannidem, innumerabilem turbam „ non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum convolasse, in qua „ omnem humanum intellectum excedentia „ prædicantur, voluptates carnis cohibentur, „ & omnia, quæ in Mundo sunt, haberi „ contemptui docentur. Accedit etiam, non „ subito, neque casu, sed divina dispositione id factum esse: id enim se facturum „ Deus multo ante Prophetarum prædixit „ oraculis, quorum libri adhuc extant incorrupti. Quæ omnia sane præcessisse signa, indicium certissimum est vel ipsa „ Mundi conversio ad fidem Christianam, „ ut eadem signa ulterius iterari necesse non „ sit, cum in suo effectu appareat evidenter." Hactenus ille.

XIV. Hæc itaque fuit per ordinem digesta præcipua credibilitatis Christianæ fidei argumenta, quibus non leviter, sed prudenter, quin & prudentissime existere credimus de Mysteriis nobis propositis divinam revelationem. Primum sumitur *ex miraculis*, quibus Religio Christiana confirmatur; quæ ad eam adstruendam nemo nisi insanus, aut impius a Deo patrata fuisse negaverit. Vera namque miracula, quæ totius videlicet naturæ creatæ facultatem excedant, fieri nequaquam possunt a Deo ad falsæ doctrinæ confirmationem: neque enim *negare seipsum* potest, ut ait *Apostolus*, aut fallere quem-

quemquam. Hinc a falsarum Religionum sive authoribus, sive cultoribus nullum unquam verum miraculum factum est, quo dogmata sua confirmarent: sed ut summum vel mira quædam opera potentiam naturalem creaturæ non excedentia, vel præstigiosa, & falsa. Qua de re legi possunt August. *lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 16. Tertullianus *lib. de Præscript. cap.* 3. Cyril. Hierosolymit. *catech.* 6., Gregorius Turonensis *lib.* 2. *Hist. Franc.*, & alii plurimi inter Modernos, qui hoc argumentum discussere, ejusque adversus Atheos, atque Infideles efficaciam multis comprobarunt.

Desumitur alterum ex vaticiniis, quibus a Prophetis Christianæ Religionis Author Christus Dominus, ejusque opera, ac doctrina prænunciata sunt. Quandoquidem in Sacris Libris Veteris Testamenti permultæ extant Prophetiæ, quas postmodum eventus comprobavit: quod evidens plane argumentum est, eas nonnisi a Deo fuisse traditas, cui futura omnia præsentia sunt juxta illud Isai. cap. 41. *Annunciate, quæ ventura sunt; & dicemus, quod Dii estis vos.*

Tertium promitur ex ipsa persona Christianæ Religionis Authore, quem jam antea promissum in lege virum sanctissimum fuisse, ac Legislatorem piissimum, vel ipsi Religionis nostræ acerrimi hostes fateri compulsi sunt; quemadmodum & plura edidisse miracula ad confirmandam Divinitatem suam, ac doctrinam ab ipso traditam; quin & post mortem surrexisse, & ad cœlos ascendisse coram multis testibus, qui prodigiosum hoc opus memoriæ prodiderunt.

Quartum repetitur ex prærogativis, sive qualitatibus Christianæ doctrinæ, quæ quidem ad duas præsertim revocari possunt. Prima est veritas sine admixtione alicujus falsitatis, quam nemo hactenus in ipsa vel infensissimus scrutator, aut censor deprehendere potuit: quum alias & in Philosophorum placitis, & hæreticorum sectis tot errores inventi sint, & quotidie inveniantur. Secunda est sanctitas, & puritas doctrinæ ejusdem: omnia siquidem, quæ facienda præscribit, honesta sunt; nihil approbat, quod turpe sit, nihil de Deo docet, quod sublime, ipsoque dignum esse non pateat, aut quod falsum esse probari queat; nihil denique eorum prætermittit, quod necessarium sit, ut discipulos suos ad perfectam vitæ sanctimoniam adducat.

Quintum argumentum est doctrinæ ejusdem efficacitas, quæ ex eo potissimum mirabili modo colligitur, quo lex Christi in omnem terrarum orbem invecta, & propagata est. Siquidem pauci homines, iique inermes, nec humanæ sapientiæ disciplinis instructi hujus doctrinæ prædicatione Mundum universum superarunt; atque homines etiam eloquentissimos, doctissimos, & nobilissimos eo adduxerunt, ut relictis patriis legibus, ac ritibus, atque etiam divitiis, & voluptatibus sæculi, Christianæ Religionis jugo colla subjicerent.

Sextum est ejusdem doctrinæ constantia, qua ex eo tempore, quo exordium sumpsit, semper invicta, & inconcussa permansit, quamquam supra modum omnem ab Ethnicis, ab Hæreticis, a Regibus, ab Imperatoribus quaquaversum oppugnata fuerit.

Septimum ex sanctitate sumitur plurimorum, qui Christianam Religionem professi sunt, ac profitentur, & juxta ejus præceptiones vitam suam agunt. Quamquam enim non desint innumeri inter Christianos, qui male vivant, soloque nomine Christiani sint; multi tamen semper in hac Divina Religione deprehensi sunt, ac deprehenduntur in dies, qui fulgore suarum virtutum, ac mira vitæ sanctitate ipsam illustrant, licet horum aliqui sint, qui in vitiorum cœno antea jacuerant, a quo deinde emersi se totos egregiis pietatis operibus devoverunt.

Octavum sumitur ex innumerabilium plane Martyrum constantia cujusque sexus, æta-

is, conditionis, & gradus, qui alacri, & invincibili animo Christianam fidem suo sanguine obsignarunt; ac voluptates, divitias, honores, & impiorum Judicum mandata veluti stercora spernentes, immania pro Christo tormenta pertulere. Quorum propterea interitu nedum Christianorum multitudo imminuta non est, sed immensum potius excrevit; adeout, quemadmodum perpulchre ajebat olim Tertullianus, Martyrum sanguis fuerit fœcundissimum semen Christianorum.

Demum, ut alia omittam, egregium illud argumentum cætera firmat, atque corroborat; consensio scilicet Orthodoxorum ab orbe condito, maximeque a Christi nativitate, & passione ad usque præsentem diem firma stabilitas Religionis, ac Sedis Apostolicæ supra immobilem petram consistentis. Nulla quippe alia Religio, vel Secta, sed neque Monarchia ulla tam constantem habuit, firmamque successionem, sicut Ecclesia Christi, cujus a Divi Petri tempore usque modo successor non defecit, neque deficiet sæculis venturis ob Christi promissionem.

Atque hæc præcipua sunt Christianæ Fidei credibilitatis validissima argumenta, quibus prudentissime assentimur revelatis a Deo sive per verbum scriptum, sive per traditum; adeout fidenter cum Deo illud usurpare possimus Richardi Victorini lib. 1. de Trinit. cap. 2.: *Domine, si error est quod credimus, a te decepti sumus: ista enim, quæ credimus, tis signis, & prodigiis confirmata sunt, quæ nonnisi a te fieri potuerunt.*

XV. Porro quo lumine attingantur, aut attingi debeant hæc fidei nostræ credibilitatis motiva, inquiri merito potest. Qua in re illud pro certo habeo, necesse non esse, ut attingantur lumine divinæ fidei, sed sufficere lumen naturale, quo convincamur de revelatione a Deo facta. Ita docere mihi videtur S. Thomas hic *quæst. 1. art. 4. ad 2.*, ubi ait: *Non enim quis crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Quibus verbis fides ab evidentia signorum secernitur, vel ab alio id genus argumento revelationem proponente.

Lumen istud inferius fidei lumine potest esse tum actus humanæ rationis, naturali perspicacitate penetrantis argumenta credibilitatis; tum actus humanæ prudentiæ, cujus munus est ea veluti certa habere, ac moraliter evidentia, de quibus nullus est prudenter ambigendi locus. Perspicacitas humanæ rationis argumenta credibilitatis penetrantis sapientium propria est, qui prædicta argumenta severioribus Critices legibus expendentes, evidenter cognoscunt dignum esse, ut existentia divinæ revelationis credatur: quæ perspicacia cum paucorum propria sit, consequitur, ejusdem revelationis applicationem frequentius fieri per actum humanæ prudentiæ.

At vero hæc ipsa prudentia gradus habet magis, minusque perfectos; atque juxta credentium conditionem magis, minusque perfecta requiritur, ac sufficit. Sic majori Christianorum parti satis est, quod videant sapientissimos viros, magnamque hominum multitudinem extitisse, & existere, qui revelationis existentiam habuerunt, habentque tamquam certam, atque indubitatam. Sic rusticis, ac pueris ad rationis usum pervenientibus satis est, sibi revelationem proponi a Parocho, a Parentibus, a Magistris. Hos namque cum prudenter judicent per ignorantiam non decipi, nec per malitiam velle decipere, prudenter quoque judicant credenda esse, quæ ipsis proponuntur ut a Deo revelata.

Nolim tamen inficias ire, prædictam revelationis evidentiam nonnunquam superiore lumine inniti; hoc est, non raro Deum interna supernaturali illustratione evidenter credibilem facere revelationis existentiam. Id proclive est existimare saltem de pluribus illis e. g., qui intuentes fidem, patientiam,

ac

ac fortitudinem Martyrum, adeo perfecte ad Christum conversi sunt, ut pro ipso statim mortem subire non dubitaverint. Tangebat enim corda eorum inspiratio divina, cujus luce in ipsa patientia Martyrum credibilitatem Fidei nostræ evidenter cognoscebant. Atque hæc innuisse satis. Nam hoc argumentum ad alios Theologos potius, quam ad nos attinet.

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

Consectarium Primum.

I. ERROR Protestantium est, fidem Christianam nihil aliud esse, quam fiduciam certam, atque firmam, qua Christiani credunt, sibi remissa esse peccata; in eaque totam justificationem impii collocant. Hunc errorem damnavit Ecclesia in Synodo Tridentina congregata *sess. 6. cap. 9.* sequentibus Canonibus *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum: vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit. ..... Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo, quod se absolvi, ac justificari certo credat: aut neminem vere esse justificatum, nisi qui*

 cre-

dat se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem, & justificationem perfici; anathema sit.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Ea, quæ creduntur, non cadunt, neque cadere possunt sub visione, si in se, & in speciali considerentur; cadere tamen possunt sub communi ratione veri, vel credibilis. Ita S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. *Quæ*, inquit, *fidei subsunt, dupliciter considerari possunt. Uno modo in speciali: & sic non possunt esse simul visa, & credita. Alio modo in generali; scilicet sub communi ratione credibilis: & sic sunt visa ab eo, qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.*

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Quæ per rationem naturalem cognosci possunt, sicut Deum esse, & esse unum, aliaque hujusmodi, ad fidem proprie loquendo non pertinent. *Inter credenda tamen numerantur*, ait S. Thomas art. 5. ad 3., *non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes; sed quia præexiguntur ad ea, quæ sunt fidei: & oportet ea saltem per fidem præsupponi ab his, qui eorum demonstrationem non habent.*

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Ex quo formale fidei objectum, sive credendi motivum sit divinum testimonium, aut divina revelatio, colligere oportet, illa omnia, quæ in Scripturis, aut Sacris Traditionibus, sive in verbo Dei scripto, aut tradito non continentur, credi nequaquam posse fide divina, & catholica. Hinc cognitiones, quibus præditi fuerunt Philosophi, existentiæ Dei, ejusque perfectionum ex solo lumine naturali, haud pertinent ad fidem; adeoque in numero Infidelium collocandi sunt, quantumvis perfecta supponatur notitia, quam de supremo Ente habuerunt: quæ proinde satis non fuit ad ipsos justificandos. *Radix* namque, ac *principium justificationis fides est*, quemadmodum declarat Concilium Tridentinum. Sed de hoc Cap. seq.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Quamquam credamus, & credere omnino debeamus articulos fidei, qui nobis credendi ab Ecclesia proponuntur, formale tamen credendi motivum non est Ecclesia proponens, sed revelatio Dei, sive divinum testimonium, ita ut eos credamus, quia sunt a Deo revelati. Quod unice Ecclesia præstat, ac præstare valet, in hoc consistit, quod declaret cum assistentia Spiritus Sancti, quem ipsi Christus Dominus promisit, hos aut illos articulos fuisse a Deo revelatos, adeoque vi hujusce revelationis fide divina esse credendos. Unde evidens est, Ecclesiæ declarationem nihil aliud efficere, nisi ut certissime cognoscamus, has veritates revelatas esse. Quare in hac re illud ferme contingit, quod in quibusdam Regnis, in quibus leges feruntur a Principe, & ex ejus authoritate, vim totam, atque efficaciam obligandi obtinent: necesse tamen est, ut prius verificentur, & declarentur a Magistratu, ut subditi, quænam sit lex, aut voluntas Principis, agnoscant, ac de illa certi fiant; hoc solo intercedente discrimine, quod Magistratus decipi potest in ejusmodi declaratione: non autem Ecclesia.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Equidem revelationes privatæ, quæ a Deo quandoque fiunt Sanctis viris, ac mulieribus, fide divina creduntur ab his, quibus factæ sunt; quoties ipsis manifesto constet, Deum esse

esse loquutum, nec aliquam occurrere illusionem sive spiritus proprii, sive Dæmonis. Non tamen eadem fide divina creduntur ab aliis; tum quia nulla est eas credendi obligatio, cum illas duntaxat credere debeamus, quæ vel in Scriptutia, vel in Divinis Traditionibus continentur, & ab Ecclesia omnibus proponuntur: tum quia aliis incertum est, an privatæ illæ revelationes a Deo sint: tum demum quia illæ ordinantur ad privatam utilitatem, non autem ad communem Ecclesiæ regulam.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Ex quibus facile resolvi potest illa quæstio: in quod analysis fidei nostræ referenda sit, in Deum, an in Ecclesiam? Dicendo nimirum, illam esse in Deum ultimo referendam, sive in authoritatem divinam tamquam in principium, & causam. Quandoquidem ejusmodi analysis, sive resolutio fieri debet in primam, & propriam credendi rationem, sive motivum, quo quis præstat assensum revelatis a Deo. Hoc autem motivum aliud non est præter ipsam divinam revelationem, sive testimonium Dei falli, & fallere nescii. Atque, ut paucis, quæ ad hoc argumentum pertinent, omnia complectamur, ideo fide divina credimus hæc dogmata, aut illas regulas, quia sunt revelata a Deo, qui cum sit essentialis veritas, & essentialis sanctitas, nec decipi potest, nec quempiam decipere. Ideo certo scimus, hoc dogma, aut illam regulam a Deo revelatam esse, quia Ecclesia tale dogma, vel regulam ut a Deo revelatam proponit, aut declarat. Ideo cognoscimus declarationem Ecclesiæ esse infallibilem, quia ex Christi promissione Ecclesiæ Spiritus Sanctus semper adsistit, ne in declarando, aut definiendo aberret. Ideo demum scimus, Ecclesiam Catholicam, & Romanam illam esse Ecclesiam, cui assistentia Spiritus Sancti promissa est, quia Deus Ecclesiam hanc talibus notis insignivit, talibusque credibilitatis motivis, quæ solam veram esse Ecclesiam ab ipso fundatam evidenter ostendunt.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Latissimum discrimen est inter fidem nostram, ac fidem Dæmonum, quos *credere, & contremiscere* testatur Apostolus. Discriminis causas aperit S. Thomas 2. 2. q. 5. art. 2. ad 2. inquiens: *Fides, quæ est donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum secundum aliquem affectum boni* [quem piam affectionem esse diximus], *etiamsi sit informis. Unde fides, quæ est in Dæmonibus, non est donum gratiæ: sed magis coguntur ad credendum ex perspicacitate intellectus*; qua nempe signa credibilitatis penitissime comprehendunt. Unde cum Prophetiarum impletionem noverint, miracula cernant, multosque damnari experiantur ob damnatam fidem; ac præterea cum & ipsi ita affecti sint erga proprium bonum, ut malum censeant omnem suspendere intellectus actum; credere eligunt. Hinc *in resp. ad* 1. notat S. Doctor, *Dæmonum fidem esse quodammodo coactam ex signorum evidentia; & ideo non pertinere ad laudem voluntatis ipsorum, quod credant.* Ita nempe credunt signis, quæ vident, convicti, ac nolentes in suspensione actus permanere, ut tamen credere nollent, fidemque abominentur. Coacta igitur est eorum fides, nec plane absimilis operibus illis, quæ, urgente metu, facere volumus, sed facere tamen nollemus. Unde merito dicuntur *credere, & contremiscere*.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Jure meritoque damnata fuit ab Innocentio XI. hæc propositio, scilicet: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Oppo-

positum quippe sustineri debet, probarque, quæ *de pio voluntatis affectu* dicta sunt; videlicet firmum certumque fieri in nobis assensum fidei ex ipso voluntatis affectu, quo suppletur defectus evidentiæ in mysteriis revelatis, ac rationis sufficienter moventis locus impletur. Ne vero ullus obrepat error, duplex *rationis firmitas* distinguenda est: alia est *connexionis* cum objecto, ratione cujus omnino est impossibile, quod habeatur actus fidei absque eo, quod objectum ita sit, sicut repræsentatur per actum; & alia *adhæsionis* ad objectum, ratione cujus intellectus firmissime assentitur objecto. Priorem vocant alii *objectivam*: posteriorem *subjectivam*. Hanc, non illam oriri a pio voluntatis affectu dicendum est. Unde etiam merito damnata fuit in eodem Decreto Innocentii alia immediate sequens propositio: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem*. Quæ quam sit absurda, nemo non videt.

Consectarium Decimum.

X. Satis non est ad assensum fidei supernaturalem notitia solum probabilis, & formidolosa revelationis divinæ. Hoc Consectarium ex dictis fluit. Et certe quo pacto fieri potest, adhæsionem intellectus ad objectum fidei, quam vocant *certitudinem subjectivam*, firmissimam esse, ut esse debet, si vacillet propositio, & applicatio revelationis, quæ divinæ fidei speciem tribuit? Quomodo prudens esset judicium, quo voluntati ostenditur, bonum esse credere arcana Dei Mysteria Deo revelanti, formidante intellectu, num eadem revelaverit? Merito proinde ab eodem Innocentio XI. confixa fuit hæc alia propositio: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis, ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus*. Clerus Gallicanus anno 1700. propositionem hanc sequenti censura notavit: *Hæc propositio scandalosa est, perniciosa, & Apostolicam fidei definitionem evertit*.

Consectarium Undecimum.

XI. Necessarium itaque est ad assensum fidei, quod motiva credibilitatis evidentia sint credenti, ejusque intellectum convincant de existentia divinæ revelationis. Siquidem si intellectus de iisdem plene convictus non fuerit, nonnisi temere, & imprudenter voluntas inclinabit intellectum ad adhærendum alicujus rei propositioni tamquam a Deo revelatæ. Quod pugnat cum assensu fidei divinæ, qui certus omnino esse debet nedum ex parte *objecti*, sed etiam ex parte *subjecti*. Sola autem evidentia revelationis certitudinem hanc inducere valet: quoniam, si hæc desit, jam non erit certitudo, sed opinio, quæ semper ex natura sua formidinem importat, neque ab illa sejungi potest.

Consectarium Duodecimum.

XII. Quare nihil imprudentius est, quam assensus, quem præstant Hæretici sive Lutherani, sive Calvinistæ, sive alii quicumque, quibusdam articulis fidei, qui a Magistris suis proponuntur. Cum enim Ecclesiæ authoritatem abjecerint, jam iis omnibus destituuntur motivis, quæ ad prudentem fidei assensum ipsos inducere possunt. Hæc enim motiva nonnisi in Ecclesia Catholica deprehenduntur. Quodnam enim prudens motivum afferre ipsi poterunt, revelasse Deum eos articulos, quibus adhærent; cum Ecclesiam Catholicam non audiant, immo contemnant, cui Deus Scripturas suas communicavit, eamque tot notis, ac signis splendidissimis illustravit, ut tamquam fidelem revelationum suarum custodem, atque interpretem omnes agnoscerent?

Con-

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Atque hinc colligere pronum eſt, in Hæreticis non eſſe veram fidem etiam relate ad illos articulos, quos cum Eccleſia Catholica credunt. Quandoquidem fides virtus quædam eſt: nulla autem virtus abſque prudentia conſiſtit. Prudentia porro nulla eſt, ſed imprudentia ſumma judicandi, quoſdam articulos fuiſſe a Deo revelatos, quoties nullum ſuppetit motivum credibilitatis; ut contingit in hæreticis, qui nullum hujuſmodi ſolidum, firmumque motivum attulerunt adhuc, aut unquam allaturi ſunt. Verum de hac quæſtione audire præſtat S. Thomam, qui 2. 2. q. 5. art. 3. illam egregie verſat, inquirens: *Utrum qui credit unum articulum fidei, poſſit habere fidem informem* [ſive non formatam charitate] *de aliis articulis?* Atque ita ſolvit.

„ Dicendum, quod in hæretico, diſcredente unum articulum fidei, *non manet fides* „ neque formata, neque informis. Cujus „ ratio eſt: quia ſpecies cujuslibet habitus „ dependet ex formali ratione objecti, qua „ ſublata ſpecies habitus remanere non poteſt. Formale autem objectum fidei eſt „ veritas prima, ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis Sacris; & doctrina Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate prima. „ Unde quicumque *non inhæret ſicut infallibili, & divinæ regulæ doctrinæ Eccleſiæ*, „ quæ procedit ex veritate prima in Scripturis Sacris manifeſtata, ille non habet „ habitum fidei: ſed ea, quæ ſunt fidei, alio „ modo tenet, quam per fidem. Sicut ſi „ aliquis tenet mente aliquam concluſionem, „ non cognoſcens medium illius demonſtrationis, manifeſtum eſt, quod non habet „ ejus ſcientiam, ſed opinionem ſolum. „ Manifeſtum eſt autem, quod ille, *qui* „ *inhæret doctrinæ Eccleſiæ tamquam infallibili* „ *regulæ omnibus aſſentit, quæ Eccleſia docet*: „ alioquin, ſi de his, quæ Eccleſia docet, „ quæ vult, tenet, & quæ non vult, non „ tenet; non jam inhæret Eccleſiæ doctrinæ, ſicut infallibili regulæ, ſed propriæ „ voluntati. Et ſic manifeſtum eſt, quod „ hæreticus, qui pertinaciter diſcredit unum „ articulum fidei, non eſt paratus ſequi in „ omnibus doctrinam Eccleſiæ. Si enim „ non pertinaciter, jam non eſt hæreticus, „ ſed ſolum errans. Unde manifeſtum eſt, „ quod talis hæreticus circa unum articulum fidem non habet de aliis articulis, „ ſed opinionem quamdam ſecundum propriam voluntatem.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Curam diligentem adhibere debent tum parentes, tum Parochi, aliique Eccleſiæ Miniſtri, ut dum pueros, aut ruſticos de fidei articulis inſtruunt, & ad actum fidei eliciendum hortantur, ob oculos ponant credibilitatis motiva, quibus Chriſtiana, & Catholica Religio munitur, ut prudenter a Deo revelatis aſſentiantur. Neque enim adultis ſatis eſt fidei articulos explicare; ſed primum omnium illos docere oportet, articulos, qui proponuntur, a Deo eſſe revelatos, & ab Eccleſia Catholica traditos, quam dilectam eſſe ſponſam ſuam, & *columnam*, ac *firmamentum veritatis*, innumeris miraculorum ſignis, atque portentis luculentiſſime teſtatus eſt, ut ita evidenter credibilia iiſdem appareant myſteria, quæ credenda ſunt, ne levi corde, & aſſenſu minime prudenti credere dicantur. *Non enim crederet*, ut iterum repetam Angelici Doctoris verba, *niſi videret ea eſſe credenda vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujuſmodi*.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Atque hinc etiam colligere neceſſe eſt, eos, qui ad fidem Chriſtianam, & Catholicam

cum five Infidelibus, five Hæreticis prædicandam mittuntur, in hoc operam fuam conferre maxime debere, ut nedum mysteria fidei noftræ proponant, atque explicent, verum etiam dedlarent, & in aperto ante oculos illorum collocent credibilitatis figna, quibus Catholica Religio confirmatur, ut hæc præ quacumque alia fecta illis credibilis appareat. Nec enim fufficit qualifcumque propofitio: alioqnin licite poffent Ethnici fidem præbere Hæreticis fectam fuam proponentibus. Sed talis fit oportet, ut Religio noftra unice credibilis, & prudenti affenfu digna cognofcatur.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Tamquam falfa, & fcandalofa repudianda eft fequens doctrina P. Thomæ Sanchez, quam tradit *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. his verbis: "Dum Infidelis fibi perfuafum ,, habet, fuam fectam effe probabilem, quamvis contraria fit probabilior, teneretur utique ,, in articulo mortis conftitutus veram fidem, ,, quam probabiliorem judicat, amplecti; ,, utpote qui in eo articulo eft conftitutus, ,, in quo de extrema falute agitur, ac proinde partem, quam tutiorem, ac probabiliorem judicat, amplecti tenetur. At ,, *extra eum articulum non tenetur*; quod ,, adhuc *prudenter exiftimet*, fe poffe in fua ,, fecta perfeverare, tempufque rei melius ,, examinandæ fupereffe. Adde, Myfteria Fidei tam fublimia effe, ac Chriftianos mores adeo carnis, & fanguinis legibus repugnare, ut non quævis major probabilitas fufficiens reputetur ad inducendam ,, credendi obligationem ". Quis legere valet hanc doctrinam, quin fummo horrore percellatur, atque inde *Probabilifmum*, cujus legitimum germen eft, non averfetur? Illam jam damnavit in fuo Decreto Innocentius XI. cum hanc *num.* 4. anathemate confixit: *Ab infidelitate excufabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili.* Quod hic obfervandum cenfeo, illud eft, P. Dominicum Vivam veritum haud fuiffe *in Comment.* damnatæ propofitionis afferere, D. Thomam 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. huic favere propofitioni, dum ait, neminem credere, nifi *vel propter evidentiam fignorum, vel propter aliquid hujufmodi.* Sed hæc doctrina S. Doctoris perperam, & injuria dicitur *favere* propofitioni damnatæ. Siquidem & ab omnibus Theologis probatur, & veriffima eft. Signa namque credibilitatis præcedere debent, ut fidei affenfus prudens fit, quemadmodum docuimus: neque hic, neque alibi mentionem facit S. Doctor de minori probabili notitia in probabiliori concurfu.

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Cum vero, ut fupra diximus, *probabilis notitia* divinæ revelationis fatis non fit ad affenfum fupernaturalem fidei eliciendum; quid præftare debet Infidelis, cui probabilior apparet veritas Chriftianæ Religionis? Eo in cafu omnino obftringitur ad hanc fufcipiendam. Quamquam enim fatis non fit ad eliciendum fidei divinæ affenfum folum probabilis opinio revelationis, fatis tamen eft, ut Infidelis teneatur, veram Catholicam Religionem amplecti, atque ad eliciendos fidei actus fe fe difponere, penitius inveftigando motiva credibilitatis, viros doctos confulendo, gratiam implorando, qua dignus efficiatur recipiendi a Deo fidei donum; quod etiam facere debet, fi æque probabilis fecta fua ipfi videatur, ac Chriftiana Religio. Quæ enim infunduntur a Deo, ficut eft donum fidei, requirunt utique prævıam noftram difpofitionem; non tamen noftris actibus acquiruntur. Licet ergo primi actus fidei, quos elicit Infidelis, non fint, nifi objective fupernaturales,

qua-

quatenus respiciunt Deum authorem supernaturalem; si tamen in horum actuum repetitione sese exerceat, & pro viribus supplices preces Deo porrigat fidei donum consequetur.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Quum interdum homines tentationibus agitentur adversus fidei articulos, nullum aptius medium arbitror ad eas superandas, sive removendas, quam mentem avocare a difficultatibus, aut objectis, quæ ipsis se offerunt, ac eam defigere in consideratione argumentorum credibilitatis fidei nostræ. Cum enim fidei articuli, utpote divini, imbecillis intellectus nostri vim, & capacitatem longe superent; mirum esse non debet, quod nos in hoc tenebroso statu ea intelligere minime possimus, sed in eorum consideratione deficiat humana ratio, pluribusque difficultatibus implicetur. Ut igitur ex iis semet vinculis exsolvat, ad ea solum perpendenda motiva mentem applicet, queis fides nostra munitur, & evidenter vera, & credibilis efficitur: cessabuntque statim omnium difficultatum nebulæ in conspectu splendidissimæ lucis tot signorum, quæ cum nonnisi a Deo fieri potuerint, evidenter manifestant hominibus veritatem divinæ suæ revelationis; adeo ut nonnisi demens de eadem dubitare valeat, aut in controversiam adducere, quæ revelata sunt, dicatque cum Propheta: *Testimonia tua*, Domine, *credibilia facta sunt nimis*.

R E F L E X I O.

Quam magnum, quam sublime, quam homini necessarium sit donum fidei, nemo non intelligit, qui vel illud solum mente revolvat, quod a Concilio Tridentino definitum est; fidem scilicet esse *humanæ salutis initium, fundamentum, & radicem omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo*. Nisi enim fides præcesserit, quid prosunt cætera? Quum absque fide nec spes consistat, nec charitas, nec virtus alia, quæ nos Deo reddat acceptos; neque opus aliquod perficere valeamus dignum æterno præmio, a Deo nobis in Cœlo parato. Quid ergo sentiamus oportet de tot eximiis in speciem virtutum operibus, quæ sæpe miramur sive in antiquis Gentilibus, quos tantopere vetustas commendavit, sive in hodiernis Infidelibus, aut Hæreticis, nisi vana prorsus esse, ac inutilia, quæ non aliud emolumentum pariunt, nisi sterilem, futilemque hominum æstimationem? Ita plane nobis sentiendum est, inquit S. Augustinus Enarrat. 2. in Psalm. 31. *Ea opera, quæ dicuntur*, & prædicantur, *quamvis videantur hominibus laudabilia, ante fidem inania sunt*. Quoniam non in eum finem tendunt, quem sola fides ostendit. *Ita mihi videntur esse*, pergit ille, *ut magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet opera sua ante fidem. Ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit; intentionem fides dirigit. Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat. Fac enim, hominem optime gubernare navim, & perdidisse, quo tendit; quid valet, quia artemonem optime tenet, optime movet, dat proram fluctibus? Cavet, ne latera infligantur; tantis est viribus, ut detorqueat navim, quo velit, atque unde velit; & dicatur ei: usquequo is? & dicat: nescio; aut non dicat, nescio; sed dicat: ad illum portum eo; nec in portum, sed in saxa festinat. Nonne iste, quanto sibi videtur in navi gubernanda agilior, & efficatior, tanto perniciosius eam sic gubernat, ut ad naufragium properando perducat? Talis est & qui optime currit præter viam*, quam fides nobis manifestam facit.

At vero Christianus fortassis dicet: *Ego jam fidem habeo: ego jam credo quæcunque per Ecclesiam mihi ad credendum proponuntur; ego etiam bona opera facio: securus itaque de sempiterna salute vivere possum.* Hæc utique non pauci effati confidenter solent. Sed vide, quisquis es, ne in fiducia tua decipiaris, subdit idem Augustinus *tract. 10. in Epist. 1. Joannis. Multi*, inquit, *dicunt: credo; sed fides sine operibus non salvat: opus autem fidei ipsa dilectio est, dicente Paulo Apostolo, & fides, quæ per dilectionem operatur. Opera quidem tua præterita, antequam crederes, vel nulla erant; vel, si bona videbantur, inania erant.* Sed noli confidere in operibus, quæ agis, postquam *credis*, si fides tua per dilectionem non operatur. *Nam & Dæmones credunt, & contremiscunt, sicut dicit Scriptura. Quid potuerunt plus credere Dæmones, quam ut dicerent: scimus, quod sis Filius Dei? Quod dixerunt Dæmones, hoc dixit & Petrus, cum Dominus quæreret, quis esset, & quem illum dicerent homines? . . . . respondit Petrus, & ait: tu es Christus Filius Dei vivi . . . Ergo dicit Petrus: tu es Christus Filius Dei vivi; dicunt & Dæmones: scimus, qui sis, filius Dei, sanctus Dei. Eadem verba, non idem animus. Et unde constat, quia hoc Petrus cum dilectione dicebat? Quia fides Christiani cum dilectione est: Dæmonis autem sine dilectione est, Hoc dicebat Petrus, ut Christum amplecteretur: hoc dicebant Dæmones, ut Christus ab eis recederet &c.*

Quocirca summas quidem gratias Deo agere debemus pro tam ex ellenti beneficio fidei nobis misericorditer ab ipso collato, sine quo nullum salutis initium in homine est. Verum ut hoc ad salutem prosit, studeamus, ut hæc fides nedum operetur in nobis, sed operetur *per dilectionem*, ut a fide Dæmonum discernatur; adeoque charitas, sine quibus ea nihil prodest. *Necesse est* [verba sunt ejusdem S. Doctoris serm. 53. n. 11.] *ut in quo est fides, quæ per dilectionem operatur, speret, quod Deus pollicetur. Comes est ergo fidei spes. Necessaria quippe spes est, quamdiu non videmus, quod credimus, ne forte non videndo, & desperando deficiamus. Contristat nos, quia non videmus: sed consolatur nos, qui visuros nos speramus. Adest ergo spes, & est comes fidei. Deinde & charitas, qua desideramus, qua pertingere conamur, qua inardescimus, qua esurimus, & sitimus. Adhibeatur ergo & hæc: & erit fides spes, & charitas. Quomodo enim non erit ibi charitas, cum nihil sit aliud charitas, quam dilectio? Ipsa autem fides definita est, quæ per dilectionem operatur.*

CAPUT III.

De necessitate Fidei ad justificationem, & salutem, ac de credendis necessitate medii.

DOCTRINA.

I. *Quædam præmittuntur ad quæstionem de fidei necessitate.*

II. *Juxta Divinæ Providentiæ dispositionem in nullo statu potuit homo salutem consequi absque fide supernaturali.*

III. *Assertio testimoniis Scripturarum, ac Patrum comprobatur.*

IV. *Eadem illustratur S. Thomæ doctrina.*

V. *Neque ii, qui in statu legis naturæ vixerunt, sine fide salvati sunt.*

VI. *Duplex fides ex S. Thoma distinguitur: alia explicita, alia implicita. In quo utraque consistat.*

VII. *Aliqua fide explicita credenda sunt ad salutem.*

VIII. *Explicite credere oportet existentiam Dei, Deumque esse remuneratorem ex sententia Apostoli Pauli.*

IX. *Hæc attingenda sunt non solo lumine naturali, sed lumine fidei, prout Deus auctor est*

est, ac retributor supernaturalis.

X. *Qua cognitione regatur hæc Dei existentis, ac remuneratoris notitia ad salutem necessaria.*

XI. *Necessaria quoque semper fuit fides Christi Redemptoris ad salutem vel implicita, vel explicita. Momenta hujusce necessitatis ex Scripturis, & Patribus derivata.*

XII. *Ante Christi Mediatoris adventum sufficiebat fides ejusdem implicita.*

XIII. *Post adventum, ac sufficientem Evangelii promulgationem requiritur fides explicita. Perspicua hujus necessitatis Scripturæ testimonia.*

XIV. *Eidem veritati suffragatur Patrum traditio, & Concilium Tridentinum.*

XV. *Eadem necessitas urget relate ad Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.*

§. I.

Quibusdam præmissis, Theologica fides ad salutem necessaria ostenditur.

I. GRAVISSIMI momenti est, quam discutiendam suscipio, controversia, quæ fidei necessitatem spectat, ac Mysteria necessario credenda, ut justitiam, ac salutem consequamur. Cui dirimendæ quasdam præmitto animadversiones; ac in primis distinguendi sunt status hominum, quos altissima Dei Sapientia, ac sapiens ejusdem Providentia disposuit. Prior est naturæ innocentis, qualis fuit in Adamo: alter naturæ primigenia culpa vitiatæ, suisque meritis æterno supplicio devotæ. In illo creavit Deus hominem rectum; in istum se præcipitem dedit homo ipse, legem sibi a Deo impositam per superbiam violando.

Deinde status corruptæ naturæ trifariam dividitur, scilicet in statum *legis naturæ* ab Adamo peccatore usque ad Moysen; in statum *legis scriptæ* a Moyse usque ad Jesum Christum; & in statum *legis gratiæ* a Christo usque ad Mundi consummationem. Nedum in statu gratiæ certum est, justos, & salvos fieri homines propria status ejusdem gratia; sed etiam quicumque in utroque statu præcedente extiterunt justi, & sancti, non aliqua eorumdem statuum propria gratia, sed virtute, & efficacia Christi Domini, quæ non sic attributa est Novo Testamento, ut non etiam in Vetus porrecta fuerit, prout *de Legibus* agentes diximus. Atque hinc oritur quæstio de necessitate fidei, de Mysteriis necessario credendis, de ipsius necessitatis gradu, ut homines peccatores justitiam obtineant, ac salutem adipiscantur æternam.

Duplex porro distingui solet, ac debet necessitas, qua de agimus. Aliam vocant *necessitatem medii*, & aliam *præcepti*. Necessitas *præcepti* sumitur ex obligatione quidpiam agendi, vel omittendi, ex solo præcepto legitimi Superioris orta. Necessitas vero *medii* ex ipsa repetitur ratione finis, qui sine medio obtineri non potest; ut conservatio vitæ absque alimento. Hæc necessitas *medii* est etiam præcepti; sed non e contra: quia præceptum solum obligat eos, qui præcepti sunt capaces, uti sunt adulti. Rursus hæc *medii* necessitas alia *absoluta* est, nititurque naturali connexione inter medium, & finem, qui sine illo obtineri nequit; prout est status gratiæ habitualis relate ad gloriam æternam, quam nullus sine ista gratia consequi valet: Alia pendet ex libera Dei institutione, scilicet ex dispositione voluntatis divinæ hoc, vel illud medium ad salutem necessarium declarantis. Prima suppleri minime potest; bene vero aliquando altera per aliud quidquiam æquivalens: & sic Baptismus aquæ licet institutus a Christo fuerit velut medium ad salutem necessarium, suppleri potest per Martyrium, & animi votum in casu necessitatis. His positis.

II. Illud primum affirmo, juxta Divinæ Providentiæ dispositionem hominem in nullo statu potuisse aut posse justitiam, & salu-

tem consequi absque fide theologica, utpote medio ad utrumque finem necessario: *Juxta præsentem*, dico, *Providentiæ Divinæ dispositionem*; qua nempe hominum justitia in filiatione Dei adoptiva consistit, eorumque felicitas cognitionem Dei ex iis, quæ facta sunt, depromptam excedit, & in clara Dei visione posita est. Ad hunc igitur finem obtinendum assero, omnibus hominibus, quotquot ab Adamo fuerunt, aut futuri sunt, necessariam esse fidem supernaturalem, sive theologicam, genere necessitatis, quæ *medii* appellatur: quæ tamen fides *habitualis* est in infantibus, qui Baptismate justificantur in statu gratiæ, Circumcisione, aut aliis signis, piisve ritibus in statu legis Mosaicæ, & naturalis: *actualis* vero debet esse in impiis adultis, ut justitiam obtineant, & in justis, ut salutem consequantur æternam. Ac de hac fide *actuali* in præsenti sermo est.

III. Veritas hæc satis apertè constat ex authoritate Apostoli Pauli *in Epist. ad Hebr. cap. 11.* ubi fidem definit, *sperandarum substantia rerum*. Nam si naturalis cognitio ad justificationem satis esset, jam profecto alia *substantia*, seu aliud fundamentum poneretur præter id, quod positum est. Sed clarius mentem suam aperit Apostolus eodem loco docens, fidei testimonio probatos fuisse, quotquot justi, & sancti extiterunt ab origine Mundi, demumque concludens, *Sine fide impossibile est placere Deo*. Si enim vel *raro* quis placere Deo sine fide posset per naturalem solam cognitionem, jam tota rueret Apostoli ratiocinatio, qui hanc impossibilitatem colligit ex iis pluribus justis hominibus, qui in Veteri Testamento nonnisi fide Deo placuerunt: posset enim aliquis fingere Enoch, aliosque, quos enumerat, naturali cognitione Deo placuisse.

Consona est Patrum Ecclesiæ confessio, Clementis Alexandrini, Augustini, Bernardi, aliorumque, quorum omnium testimonium complexa est Tridentina Synodus *sess. 6. cap. 8.* ubi declarat, verba Apostoli dicentis, *hominem justificari per fidem*, eo in sensu intelligenda esse, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur; *quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*.

IV. Illustrat egregie veritatem hanc S. Thomas 2. 2. *q.* 2. *art.* 3. ubi primum adnotat, perfectionem rationalis creaturæ juxta præsentem Dei providentiam non consistere in eo solum, quod ei competit secundum naturam suam, hoc est in cognitione, qua invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, & in amore ipsius Dei lumine hujusmodi naturali prælucente cogniti, sed in supernaturali Dei visione, quæ ministerio sensuum, aut creaturarum conspectu obtineri non potest. Ad hanc autem visionem homo pertingere nequit, nisi per modum addiscentis a Deo Doctore, secundum illud Joan. 6. *Omnis, qui audit a Patre, & didicit, venit ad me*. Rursum hujusce disciplinæ non fit homo particeps statim, sed successive secundum modum suæ naturæ, ac omnis præterea talis addiscens oportet, ut credat ad hoc, quod ad perfectam scientiam perveniat. Igitur ut homo perveniat ad perfectam visionem beatificam, præexigitur, quod credat Deo tamquam discipulus Magistro docenti.

V. Objici solet, in statu legis naturæ quosdam salutem adeptos esse, cum tamen status ille nonnisi naturalia præcepta complecteretur: idque etiam confirmant exemplo Cornelii, qui *Actor. 10.* prædicatur *vir religiosus, ac timens Deum*, atque adeo justus, cum tamen fide careret, ut ex eo liquet, quod ad eum fide imbuendum missus fuerit Petrus Apostolus.

Nulla vero ex his objectio alicujus ponderis est. Siqui enim tempore legis naturæ ju-

justitiam, atque salutem adepti sunt, quod de pluribus ambigendum non est, eam nonnisi per fidem acquisivere: neque enim status ille præcepta supernaturalia excludebat, sed solummodo legem scriptam. Unde si ex. gr. ut asserit S. Clemens Alexandrinus, Socrates, aliique ex antiquis Philosophis, qui verum Deum colebant, salvati sunt, salutem non obtinuerunt, nisi affusi aliquo supernaturali lumine, & adjuti gratia divina. Atque ita ad exemplum Cornelii optime respondet S. Thomas *q.* 10. *art.* 4. his verbis: *Sciendum, quod* [Cornelius] *infidelis non erat; alioquin ejus operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere. Habebat autem fidem implicitam* (nempe Redemptionis humani generis), *nondum manifestata Evangelii veritate. Unde ut eum in fide plenius instrueret, mittitur ad eum Petrus.*

§. II.

De articulis, sive objectis, quæ credi quocumque tempore debuerunt, ac debent ad justificationem, & salutem consequendam.

VI. Fides, quæ ad salutem necessaria est, in aliquod objectum tendere debet. Quoniam vero in objectum tendere potest vel implicite, vel explicite; idcirco hujusmodi objectum, sive objecta assignanda sunt, in quæ fides tendat, aut tendere debeat sive explicite, sive implicite. S. Thomas *q.* 3. *de verit. art.* 4. hanc distinctionem fidei explicitæ, & implicitæ perspicue declarat inquiens: " *Implicitum* proprie dicitur esse " illud, in quo quasi in uno plura conti- " nentur: *explicitum* autem, in quo unum- " quodque ipsorum in se consideratur. Trans- " feruntur hæc nomina a corporalibus ad " spiritualia. Unde quando aliqua multa " virtute in aliquo uno continentur, dicun- " tur esse in illo *implicite*, sicut conclusio- " nes in principiis: *explicite*, autem in ali- " quo continetur, quod in eo actu existit. " Unde qui cognoscit aliqua principia uni- " versalia, habet implicitam cognitionem " de omnibus conclusionibus particularibus; " qui autem conclusiones actu considerat, di- " citur ea explicite cognoscere. Unde & " *explicite* dicimus aliqua credere, quando " eis *actu cogitatis* adhæremus: *implicite* ve- " ro, quando adhæremus quibusdam, in " quibus, sicut in principiis universalibus, " ita continentur: sicut qui credit, fidem " Ecclesiæ esse veram, in hoc quasi implici- " te credit singula, quæ sub fide Ecclesiæ " continentur ". Hæc D. Thomæ doctrina sedulo attendenda est; ex ea quippe facile solvuntur difficultates plures, quæ in hac materia occurrunt.

VII. Itaque teneri omnes necessitate medii aliqua explicite credere, pro certo habere debemus; idque inter alia constat ex damnatione contrariæ opinionis facta a Gregorio XI. Avenione, ut refert Nicolaus Eimericus *in Direct. Inquis. p.* 2. *q.* 10. quod scilicet *Laicus non teneatur ad aliquem fidei articulum explicite credendum, sed sufficere, quod credat omnes illos, quos credit S. Mater Ecclesia. Et ideo Laicus si teneat, vel credat oppositum alicujus articuli ex ignorantia, & tentatione Diaboli, non peccare &c.* Quare sententia huic determinationi opposita tamquam certa sustinenda est.

Assertum hoc probat S. Thomas, ratione eodem loco adducta. Ait enim: " Quod " oporteat aliquid explicite credi ab omni " fideli, ex hoc apparet, quod acceptio fidei " se habet in nobis respectu ultimæ perfec- " tionis; sicut acceptio discipuli de his, quæ " sibi primo a Magistro traduntur, per quæ " in anteriora dirigitur. Non autem potest " dirigi, nisi actu aliqua consideraret. Unde " oportet, quod discipulus aliquid actualiter " considerandum accipiat; & similiter opor- " tet, quod fidelis quilibet aliquid explici- " te credat.

VIII.

VIII. Quid igitur *explicite* ab omnibus credendum est? Id nos docet S. Paulus, loco sæpe adducto ex Epist. ad Hæbr. cap. 11. *Credere enim*, inquit, *oportet accedentem ad Deum; quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Necessitatem medii indicat verborum amplitudo, probatque contextus. Deo placuisse Enoch narrat Apostolus. Verum *sine fide*, ut ipse statim animadvertit, *impossibile est placere Deo*; apertissime significans, fidem esse medium necessarium ad justitiam: ac subinde rationem reddit, & ait: *Credere enim oportet accedentem ad Deum; quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; ut jam pateat ad idem necessitatis genus pertinere fidem explicitam *Dei existentis*, ac *Dei remuneratoris*.

Eleganter explicat, atque confirmat hanc doctrinam Præceptor Angelicus in hujusce loci Commentario dicens: „ Accedentem „ ad Deum oportet credere: nullus enim „ potest Deo placere, nisi accedat ad ipsum. „ Unde *Jacob. cap. 4.* dicitur. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*; & in „ psal. 32. *Accedite ad eum, & illuminamini*. „ Sed nullus accedit ad Deum, nisi per fi„ dem: quia fides est lumen intellectus. Er„ go nullus potest Deo placere, nisi per fi„ dem. Accedentem autem per fidem opor„ tet credere Domino. Sicut enim videmus „ in quolibet motu naturali, quod oportet, „ quod mobile ex motu duo intendat, ne „ motus sit frustra, scilicet aliquem certum „ terminum, & certam causam, quare mo„ veatur: sic etiam in motu, quo aliquis „ accedit ad Deum, terminus motus est ipse „ Deus. Unde dicitur: *Oportet credere ac„ cedentem, quia est*. Secundo oportet, quod „ sciat, quia Deus habet providentiam de „ rebus: aliter enim nullus iret ad ipsum; „ si non speraret aliquam remunerationem „ ab ipso. Unde dicitur *& inquirentibus se „ remunerator sit* ".

XI. At vero sub qua ratione attingere oportet Deum, ipsumque Remuneratorem, ut sit objectum fidei, quæ necessaria est ad salutem? Hac in re a veritate deflectunt, qui textum Apostoli ita intelligunt, quod sibi persuadeant, ut satis sit cognitio Dei, ejusque Providentiæ, quæ habetur per lumen naturale, habueruntque plures ex Ethnicis Philosophis. Siquidem non de hac cognitione, sed de illa loquutum esse, quæ habetur per lumen fidei, Deumque repræsentat ut *authorem gratiæ, & gloriæ*, ex ipsa Apostolica sententia luculenter elucet. Conabatur enim Paulus eo capite ostendere, Veteres omnes, quotquot a Deo probati sunt, testimonio fidei probatos esse. Cum vero in enumeratione Enoch quoque inter cæteros induxisset, non aliter ostendit illum fide esse probatum, nisi quia, antequam transferetur, testimonium habuerat placuisse Deo. Qua propositione posita, e vestigio assumit: *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum &c.* „ Hoc vero argumentum [inquit Melchior „ Canus *lib. 12. de loc. Theolog. cap. 4.*], „ quo assumptionem illam probat Apostolus, „ vanum, & imbecillum est, si demus non „ oportere *semper credere accedentem ad De„ um, quia est*: sed aliquando sufficere sa„ tis esse scire (sive scientiam habere de Deo „ naturali lumine). Refellemus enim argu„ mentantem Apostolum ea responsione, quod „ fieri potest, ut quis *sciat* esse Deum: quo „ casu non opportebit *credere* Deum esse. „ Itaque fiet, ut non sit impossibile, *sine „ fide placere Deo*: Enoch autem unum ex „ eis esse, qui non *credebant*, sed *sciebant* „ esse Deum. Quemadmodum ergo cum A„ postolus ait, *sine fide impossibile esse placere „ Deo*, non in communi, & ut in pluri„ mum loqui intelligendus est, sed semper, „ ac de singulis hominibus viatoribus; sic „ cum causam ejus rei reddit inquiens: *Cre„ dere enim oportet accedentem ad Deum, quia „ est*, eodem modo intelligitur nullum om„ ni-

„ nino excipere , sed de omnibus , ac de „ omni tempore loqui , si illa ipsius argu„ mentatio quidquam habitura est ad faci„ endam fidem vitium " .

Fixam igitur , firmumque sit , satis nobis non esse ut *Deo placere possimus*, ipsum cognoscere principium , authoremque naturæ , sed oportere in Deum ferri , quia finis est *supernaturalis*. Atque idem sentiendum est *de remuneratione* , de qua loquitur Apostolus ; quod nempe ea non sit , quam tribuit Deus ut naturæ Author , posita in aliquo bono , quod naturali lumine attingimus, aut attingere possumus ; sed alia altior , & excellentior , & in clara Dei visione, & possessione consistit , quam sola fide cognoscimus . Idque etiam manifestant sequentia Apostoli verba dicentis : *Expectabat fundamenta habentem civitatem ; cujus artifex & Conditor Deus* ; ac deinde : *Nunc autem meliorem patriam appetunt* ; id est cælestem: *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum : paravit enim illis civitatem* . Et rursum de Moyse sermonem habens : *Aspiciebat in remunerationem . Invisibilem enim tanquam videns sustinuit* ; ac denique : *Non suscipientes redemptionem , ut meliorem invenirent resurrectionem. Atque hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem , Deo pro nobis melius aliquid providente , ut non sine nobis consummarentur* . Quæ omnia abunde evincunt, loqui Apostolum de remuneratione illa , quæ nobis in cælo parata est , quæ citra dubium est supernaturalis .

X. Porro quamquam opus sit ad justitiam, & salutem consequendam fides Dei ut Authoris , & Remuneratoris supernaturalis; non exigitur tamen , ut hæc fides regatur clara & distincta Dei ex stentis , & remuneratoris supernaturalis cognitione , adeout possit homo exponere , quod cognoscit sub hisce locutionibus Dei *Authoris naturæ* , ejusdemque *Authoris gratiæ* , aliisve , quæ doctrinæ gratia adhiberi consueverunt . Satis quippe est, ut homo fide attingat existentiam Dei , divi namque retributionem modo quodam altissimo , modum omnem naturalis cognitionis , quæ per creaturas habetur , excedente . Modum dico *altiorem* , ut utriusque cognitionis *naturalis*, ac *supernaturalis* discrimen ostendam ; quod illæ cognitiones non tam ex objecto , quam ex modo cognoscendi Deum maxime differunt . Deus enim unus est totius naturæ Author , & supra naturam omnem positus , Si per ea , quæ facta sunt , innotescat , *naturalis* dicitur *cognitio* ipsius . Si per revelationem , qua arcana cordis sui manifestat , & aperit ea , quæ gratuito favore hominibus impartiri destinavit , *cognitio* dicitur *supernaturalis* .

Hanc fidem supernaturalem satis esse , nec aliam explicatiorem in omnibus requiri, colligitur ex ipso Apostolo Paulo , qui laudato loco declaratis fidei ejusdem objecta , planissimis verbis docet , hominibus fide prebatis paratam esse a Deo civitatem , eamque cælestem , quacumque patria , quæ in Mundo est , meliorem . Et *in Epist. 1. ad Corinth. cap. 2.* præmia æterna diligentibus Deum parata , tradit *neque auribus , neque oculis percipi , nec eadem in cor hominis* , quod naturali cognitione tegitur , *ascendere posse* .

Hanc igitur confusam divinæ remunerationis notitiam , necessariam necessitate medii omnibus ad justificationem , & salutem asserimus , adeout nunquam justificatus sit, nec justificari possit homo , qui non cogitat , nec unquam cogitavit de Deo Remuneratore . Quapropter in hac providentia , quæ hominem ordinavit ad Deum ultimum finem amore , & visione clara possidendum , justitia non confertur , nisi per dilectionem Dei , seipso immediate beantis hominem , ac nisi per fidem , quæ Deum proponat non solum summum bonum , sed inquirentibus se rependentem mercedem , quæ alia non est , quam Deus ipse .

§. III.

§. III.

De necessitate fidei Dei Redemptoris.

XI. *Medii* necessitatem exposuimus in hujus controversiæ limine; aliam, quæ nititur naturali connexione medium inter, & finem; & aliam, quam facit libera Dei institutio. Primi generis est necessitas fidei supernaturalis, quæ Deum existentem, & remuneratorem credit, ut homines, quocunque in statu sint, juxta præsentem Providentiam justitiam consequantur, atque salutem, de qua jam dictum est. Sed alia sunt Mysteria a Deo revelata, eadem necessitate *medii* credenda ex libera Dei institutione, de quibus modo dicendum est. Unde statuo in primis, hujusmodi *medii* necessitate fuisse quovis tempore necessariam ad salutem fidem Incarnationis Christi vel implicitam, vel explicitam. Hæc assertio disertissimis munitur Scripturarum testimoniis. Petrus Apostolorum Princeps in ea, quam habuit ad Judæos concione apud Lucam *Actor.* 4. rem omnem conficit: *Hic*, inquit, scilicet Christus Dominus, *est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*.

Eamdem urget necessitatem passim in Epistolis suis Apostolus Paulus. Ad Romanos scribit, nec gentibus profuisse sapientiam, nec Judæis legem per Moysen datam, sed omnes accepisse justitiam per fidem Jesu Christi. Verba ejus sunt *cap.* 3. nempe: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum*.

Paria habet *in Epist. ad Galat. cap.* 2. inquiens: *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*. Et cap. 3. *Prius autem quam veniret fides* [quam tradidit Jesus Christus] *sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificaremur. At ubi venit fides, jam non sumus sub Pædagogo. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu*. Alia plura prætereo.

Elegantissima sunt, quæ derivat S. Augustinus, argumenta ex omnium hominum redemptione a Christo peracta, & prærogativa Mediationis Deum inter, & homines Christo tributa, ex remissione peccati originalis, aliorumque per Christum concessa; ex unitate Religionis, quæ una fide constituitur, & ex aliis capitibus; quæ, & alia compendio colligens S. Thomas 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. sic ait: „ Illud proprie per se pertinet ad „ objectum fidei ad salutem, & justitiam ne„ cessarium, per quod homo beatitudinem con„ sequitur. Via autem hominibus venien„ di ad beatitudinem est Mysterium Incar„ nationis & Passionis Christi. Dicitur enim „ Act. 4. *Non est: aliud nomen datum homi„ nibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Et „ ideo Mysterium Incarnationis Christi aliqua„ liter oportuit omni tempore esse creditum „ apud omnes “.

XII. At cujus conditionis debuit esse notitia Christi Redemptoris ante ejus adventum; cujus vero post adventum ipsius? Communior, ac certa Theologorum sententia est, ante adventum Christi satis fuisse ad consequendam justitiam, ac salutem fidem *implicitam* Christi ipsius Redemptoris. Hanc conceptissimis verbis tradit S. Thomas loco laudato inquiens. *Si qui salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta Incarnationis Christi, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia, etsi non habuerunt fidem explicitam*, ha-

habuerunt tamen implicitam; quatenus nempe, ut ipse se explicat, *sub velamine sacrificiorum*, allatumque sacrarum cæremoniarum credentes, ea dispositiva esse de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem.

Id extendit *in 3. dist. 25. q. 2. art. 2.* ad omnes illos, qui salutem consequuti sunt extra legem Mosaicam his verbis: *Illi, in quibus spiritualis revelatio facta non fuerat, salvari poterant, etiamsi de lege Moysis nihil audivissent, neque aliquid de ea scirent, quia lex illa non erat omnibus data, sed tantum Judæis. Unde alii non peccabant, si legis observantias non servarent: salvabantur tamen fide implicita Redemptoris*. Idem quoque asserendum credimus de iis, qui vixerunt quidem post adventum Christi, sed ante sufficientem Evangelii promulgationem.

XIII. Verum, posita sufficienti Evangelii promulgatione, jam satis non est fides *implicita* Christi Redemptoris, sed requiritur omnino ad justitiam, & salutem fides ejusdem *explicita*. Hoc patet ex Scripturarum authoritatibus. Marc. cap. ult. *Prædicate*, inquit Christus Dominus Apostolis, *Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. Ubi S. Bernardus *Epist. 77.* observat, non esse dictum: *Qui non baptizatus fuerit, condemnabitur*; sed *Qui non crediderit* [id nempe vel maxime, quod est Evangelii proprium, adventum scilicet Redemptoris]; *Ut major quædam necessitas fidei, quam Baptismi præscriberetur*. Contingere namque potest, ut sine Baptismo in re suscepto quis salvetur, cum Baptismi suscipiendi non est facultas. At credendi Evangelio tanta necessitas est, ut omni eventu, qui non crediderit, condemnetur.

Gemina sunt, quæ habentur apud Joan. *cap. 3.*, ubi ita Christus loquitur: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credidit in nomine Filii Dei*. Et infra: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam*. Porro si fides expressa Christi medium non foret ad salutem necessarium, cum invincibiliter ignorari queat, posset quis esse incredulus Filio, hoc est eredere, Filium non esse Deum, ac Redemptorem, & tamen in hoc errore salvari. Item cap. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Utrumque igitur medium est nunc ad salutem necessarium: & cognoscere Deum, & quem Deus misit Christum Jesum, quemadmodum observat Chrysostomus.

XIV. Suffragatur eidem veritati perpetua Ecclesiæ traditio, cujus testes sunt Augustinus *lib. de corrept. & grat cap. 7.*, Hieronymus *in cap. 1. ad Ephes.*, Chrysostomus *hom. 37. in Matth.*, S. Athanasius, aut quicumque sit author Symboli ejus nomine inscripti, S. Bernardus *Epist. cit.*, aliique, quibus accedit Concilium Tridentinum, quod *sess. 6. cap. 4.* decernit, neminem post Evangelium promulgatum justificari posse absque Baptismo, vel ejus voto. Votum namque Baptismi præsupponit fidem Christi. Unde inter dispositiones ad justitiam requirit, *ut homines fidem ex auditu concipientes, credant vera esse, quæ divinitus revelata sunt, atque illud in primis justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*.

Convenientissima ratio est, quæ in hujus asserti confirmationem proponitur a S. Thoma. Siquidem omni tempore fuit ad salutem necessaria fides Christi Redemptoris, ut supra jam diximus. Quod si ante Evangelii promulgationem sufficiebat fides ejus *implicita*, id in causa hujus erat status illius imperfectio. Cum ergo status *legis gratiæ* perfectus sit, perfectiorem quoque exigit notitiam

titiam Christi, atque adeo fidem illius *explicitam*. Quæ quidem ratiocinatio fundamentum habet in ea Apostoli sententia, quam tradit *ad Galat. cap.* 3., ubi ait: *Antequam veniret fides* (ea scilicet, qua Christum explicite credimus), *sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat*.

XV. Quod si fides Christi Redemptoris *explicita* necessaria nunc est necessitate *medii* ad justitiam, & salutem, sequitur idem dicendum esse de Fide Sanctissimæ Trinitatis: quod egregie declarat S. Thomas hic *art.* 8. dicens: „ Mysterium Incarnationis Christi *explicite* credi non potest sine Fide Trinitatis: „ quia in Mysterio Incarnationis Christi hoc „ continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit; quod per gratiam Spiritus Sancti Mundum renovaverit: & iterum quod „ de Spiritu Sancto conceptus fuerit. Et „ ideo eodem modo, quo Mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit *explicite* creditum a Majoribus; *implicite* autem, & quasi obumbrate a minoribus: „ ita etiam & Mysterium Trinitatis ".

Atque hoc quidem quoad veteres attinet qui ante Christum vixerunt, quorum Majoribus, Patriarchis scilicet, Prophetis, aliisque viris sanctissimis sicut facta est expressa revelatio Incarnationis Filii Dei, ita etiam Trinitatis; unde & hæc Mysteria etiam explicite crediderunt: at alii de vulgo notitiam, & fidem hanc nonnisi *implicitam* habuerunt. Cæterum relate ad eos, qui post Christi adventum, ac sufficientem Evangelii prædicationem jam ab Apostolis factam extitere, ac existunt; *explicitam* Fidem Trinitatis habere debent. *Post tempus gratiæ divulgatæ*, subdit S. Doctor, *tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis: & omnes, qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis, secundum illud Matth. ult.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

CAPUT IV.

Doctrinæ Consectaria.

I. *Parvuli nunquam justificantur sine fide saltem habituali, quæ actualis etiam quadantenus dici potest.*

II. *Nullus adultus justificatur absque aliquo fidei actu.*

III. *Opposita Andreæ Vegæ sententia digna censura est.*

IV. *Alia merito damnata ab Innocentio XI.*

V. *Quid sentiendum de infideli inculpabiliter ignorante fidei Mysteria.*

VI. *Roderici Arriagæ propositio merito proscripta ab Ecclesia.*

VII. *In ejusdem damnatione continetur doctrina ab aliis defensa.*

VIII. *Fidei Dei existentis, ac remuneratoris necessitas sumitur ex ipsa rerum natura, & propositione finis cum mediis.*

IX. *Si homo gratiæ viribus faciat, quod in se est, Deus ipsum illuminabit de Mysteriis necessario credendis.*

X. *Ex arbitrio confecta est responsio aliquorum explicantium Scripturæ textus circa necessitatem fidei Christi, & Trinitatis de sola præcepti necessitate.*

XI. *Improbanda quoque opinio illorum, qui docent*, per accidens *posse aliquem absque fide eorum mysteriorum salvari.*

XII. *Vincentii Contensonii de hac re egregia observatio.*

XIII. *Jure meritoque damnata ab Ecclesia est opinio, quæ absolutionis capacem censuit hominem mysteria fidei ignorantem.*

XIV. *Fides Incarnationis Christi ad salutem necessaria complecti debet etiam ipsius Passionem, & Resurrectionem.*

XV. *Doctrina PP. Arduini, & Berruyeri de hoc argumento pugnant aperte cum Scriptura, & Traditione.*

Con-

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. JUSTITIA parvulorum, qui nunc Baptismate abluuntur, olim vero Circumcisione, aliisque signis justificabantur, non est absque fide, quam vocant *habitualem*: immo quadantenus dici potest, eam non obtineri absque fide actuali; quæ duplex est: altera consistit in ipsa Sacramenti susceptione, quæ est fidei professio; altera est illa, quam habet S. Mater Ecclesia, ac profitetur per Ministros, qui Sacramenta conferunt secundum ejusdem Ecclesiæ intentionem.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Actus fidei est medium necessarium, quo rum adultus infidelis justificationem consequatur, tum ille, qui jam per Baptismum justificationem obtinuit, postquam ad usum rationis pervenerit, salutem æternam obtineat. Nam neque ille justitiam, neque iste salutem consequi valet, nisi per liberam supernaturalem conversionem ad Deum justitiæ fontem, & gloriæ authorem, quam sine fide haberi impossibile est.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Censura digna est sententia, quam docuit Andreas Vega *lib. 6. de Justif. cap. 10.* his verbis: *Simpliciter absque aliquo actu fidei justificari posse adultos crediderim, si quidem talis ignorantia omnium credendorum contingat*. Hæc enim nimium aperte pugnat cum disertis Scripturarum testimoniis, & perpetua Patrum traditione, quæ adducta jam fuit. Unde *erroneam* frequentius eam vocant Theologi, fortasse *hæreticam* doctissimus Melchior Canus.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. In eamdem Censuram impingit sequens propositio, quam docuerunt Editæ, & Ripalda; atque anathemate percussit Innocentius XI., nimirum: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit*. Quid enim est hæc *fides late dicta* ex testimonio creaturarum habita, nisi pura putaque cognitio naturalis Dei Creatoris ex iis, quæ facta ab ipso sunt? Porro cognitio naturalis non sufficit ad justificationem, & salutem juxta Divinas Scripturas, ac perennem Ecclesiæ traditionem; sed requiritur fides *proprie dicta*, qua Deo credamus revelanti, quæ naturali lumine cognoscere minime possumus. Unde neque satis est, si hujusmodi cognitio dicatur *quoad modum* supernaturalis, eademque divinæ gratiæ opus, & effectus. Hanc opinionem docuerat Dominicus Soto *lib. 2. de nat. & grat. cap. 11. Edit. Venet.*; Sed re postea oculatius inspecta *in Edit. Paris. & Salmant.* sententiam mutavit, ut Ipse testatur *lib. 4. sentent. disput. 1. quæst. 2.*, ubi etiam docet, nulli unquam patuisse viam ad salutem, nisi per fidem, quæ supernaturale donum est.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Quum omnia fidei Mysteria inculpabiliter ignorari possint, si ita reapse ab aliquo Infideli ignorentur, damnabitur ille quidem, non propterea quod non crediderit; sed, nisi misericordia Dei illum prævenerit, atque converterit, damnabitur propter originale peccatum, & propter alia superaddita. Quod si ille fecerit, quod in se est viribus gratiæ divinæ ipsum moventis, consequetur a Deo fidem explicitam, & perfectam, si prius tantum implicitam, & imperfectam habebat; aut etiam gratiam ulteriorem, & gratiam justificationis, si antea nondum justificatus erat, aut alioquin ejus augmentum. Id clare docet S. Thomas in *cap. 10. ad Rom.*, ubi de Gentilibus ait: *Siqui eorum fecissent, quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset*

fet, *mittendo eis Prædicatorem Fidei*, *sicut Petrum Cornelio*, *&* *Paulum Macedonibus*. Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum. Sed hæc accuratius ad Theologos Scholasticos.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Merito damnata est ab Innocentio XI. sequens propositio in Decreto *num.* 22., quam docuit Rodericus de Arriaga: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii* [ad salutem]; *non autem explicite Remuneratoris*. Æquitatem damnationis satis ostendunt, quæ notata sunt in expositione illius Apostolicæ sententiæ: *Accedentem ad Deum oportet credere*, *quia est*, *&* *inquirentibus se remunerator sit*.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Ad eamdem damnatam propositionem referenda videtur, utpote in ipsa contenta, sententia, quæ docet. *Ad justificationem sufficere fidem Dei summe boni*, *sine expressa notitia Dei Remuneratoris*; quam satis aperte tradunt PP. Salmanticenses putantes, fidem Dei Remuneratoris eminentiori modo contineri in notione Dei summe boni. Ut enim scite animadvertit Cardenas in propositionem expresse damnatam, " illa „ continentia virtualis fidei de Deo ut Re„ muneratore in actu charitatis non postu„ lat, quod præcesserit unquam actus ejus „ formalis fidei explicite, cum solum detur „ ex eo, quod actus charitatis sit forma „ perfectior, & eminentior. Atqui si dica„ tur nunquam præcessisse actum formalem „ fidei explicitæ de Deo ut Remuneratore, „ contradicitur Censuræ Pontificiæ, quæ „ hanc notat propositionem: *Nonnisi fides* „ *unius Dei &c.* Contradicitur etiam S. „ Paulo dicenti: *Accedentem ad Deum oportet credere*, *quia est*, *&* *inquirentibus se* „ *remunerator sit*. Ergo &c. ". Præterea fides Dei, qua summum bonum est, ac objectum charitatis, reducitur ad fidem Dei existentis, ut de se patet. Eliditur ergo sententia Apostolica, quæ præter hanc expresse requirit etiam fidem Dei Remuneratoris.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Ex his colligere pronum est, fidem hactenus explicatam Dei existentis, & remuneratoris ita necessariam omnibus esse juxta præsentem providentiam ad justificationem, & salutem, ut ejus necessitas desumatur ex ipsa rerum natura, & proportione finis cum mediis, & ex ipsa conditione justitiæ, quæ homines efficit filios Dei adoptivos, naturæ divinæ consortes, atque pro meritis æterna retributione, quæ Deus est, beatificandos. Quæ docuimus, rem clarissimam faciunt.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Sicut dictum est de fide supernaturali Dei existentis, & remuneratoris, quod nempe si homo adjutus gratia Dei faciat, quod in se est, ipsum Deus illuminabit de hisce mysteriis, ut ea credendo justitiam obtineat; ita dicendum est de mysteriis Christi Redemptoris, ac Sanctissimæ Trinitatis post sufficientem Evangelii promulgationem. Hinc Deus Petrum misit ad Cornelium, qui ipsum de Christi fide eruditum baptizaret, quoniam eo tempore ejusmodi Mysteriorum fides incipiebat esse necessaria ad salutem. Et ratio jam adducta ex S. Thoma hoc confirmat: quia fides implicita Christi fuit omni tempore post Adæ peccatum necessaria. Cum autem status novi fœderis, sive gratiæ perfectior sit, perfectiorem quoque notitiam requirit: quæ notitia perfectior nonnisi expressa fides Christi,

sti, & Trinitatis esse potest. Recolantur, quæ dicta sunt.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Hinc improbanda est opinio contraria, quam non pauci ex Recentioribus tuentur, quam sibi semper visam valde probabilem asserit P. Patritius Sporer *Tract. tr. in 1. præcep. Decal. cap. 2.*, pro qua laudat Laymanum, Tannerum, & alios, qui ad disertissimas Scripturæ, Sanctorum Patrum, ac D. Thomæ auctoritates reponunt, eas intelligi posse, & explicari de necessitate *præcepti*, non autem *medii* ad salutem penitus necessarii. Verum hæc explicatio ex arbitrio conficta est, & gratis asserta. Siquidem ut per absolutam fidei necessitatem, quam de præfatis mysteriis Scripturæ, & Patrum testimonia produnt, intelligi possent de sola necessitate præcepti; id oporteret evincere aliis Scripturarum, Patrumque sententiis; quod plane nec præstiterunt adhue, nec præstare unquam poterunt.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Falsa quoque reputanda est sententia PP. Salmanticensium, qui censent, *per accidens*, ut ajunt, post etiam sufficientem Evangelii promulgationem, posse salutem obtineri absque explicita Christi, ac Trinitatis fide. Fieri namque potest, inquiunt illi, ut Cathecumeno proponatur Deus prout author, & finis supernaturalis absque ulla explicita notitia Christi Domini; & ex hoc fidem concipiat de Deo authore, & fine supernaturali, nihil explicite credendo de Christo, & erga Deum ita conceptum eliciat actum charitatis, tunc certe, subdunt, ex hoc actu justificabitur. Igitur justificatio haberi valet sine explicita Christi fide. Verum hæc ab illis facta suppositio neganda est, non quia naturis rerum repugnet; quoniam absolute loquendo, quemadmodum in antiqua lege, ita & in nova potest quis beneficium salutis adipisci cum sola implicita Christi fide; sed quia repugnat institutioni divinæ; ex hoc nempe, quod Deus statuerit post promulgatum Evangelium neminem justificari, nisi per fidem explicitam Christi: atque adeo in hoc statu contingere nequit juxta præfinitas Providentiæ leges, quod aliquis credat Deum ut authorem, finemque supernaturalem, ipsumque amore charitatis justificantis diligat, nisi habeat explicitam Christi fidem. Id profecto congruit omnino cum doctrina S. Thomæ, qui *quæst. 14. de verit. art. 2.* usque adeo verum putat, fidem Christi *explicitam* esse necessariam, ut post promulgatum Evangelium velit, quod si ad aures alicujus externa Evangelii doctrina non perveniat, & ille nullum divinæ gratiæ apponat obicem; tunc supra communem morem miraculose erudietur. Quid opus habuisset Angelicus Doctor ad miracula confugere, ut quispiam recte vivens secundum naturæ legem, in fide Christi erudiretur, si absque tali fide *per accidens* posset æternam obtinere salutem?

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Sed in re hac præstat audire Vincentium Contensonium, qui *lib. 7. Dissert. 2. cap. 2.* hanc, & alias Casuistarum exceptiones evertit, atque convellit, ita sapienter, & apposite disserens: " Si præsentis difficultatis momentum profundius penetraturus " interroges, unde tanta explicitæ fidei " [Christi] obligatio, tanta necessitas in " statu gratiæ proveniat, quæ statum naturæ, & legis non adstringebat; respondebo, hanc veritatem ex perspicuis Novi " Testamenti testimoniis, & perenni traditione, & ferme communissimis Christianismi notionibus peti. Et quamvis sciam, " tam luculentas Scripturarum voces variis " tergiversationibus, & appositis pro arbi-

trio

„ arbitrio exceptionibus eludi; non propterea propter illas deserenda veritas est, „ cum Scripturarum sensus tam in fide, „ quam in moribus, non ex humani ingenii argutiis, sed ex traditione petendus „ sit. Cum enim nihil tam apertum, tam „ præcisum, & definitum nihil sit, quod „ dialecticæ coloribus, vel sophismatibus ludificari non possit, ut huic malo Deus occurreret, sicut Sacras Litteras, sic earum intellectum bonum ad nos traditione propagatum derivavit. Cum ergo fidei „ explicitæ Christi Salvatoris necessitas dogma sit perspicue in Scriptura determinatum, & a primoribus Patribus frequenter „ inculcatum, atque generatim intellectum, „ generatim quoque a nobis intelligendum „ est, periculoseque ex nostro demum ingenio explicationes fingimus, & glossas comminiscimur. Etenim si generalibus præceptis exceptiones e sola ratione petitas „ apponere humanæ liceat libertati, nullum „ erit tam clarum, apertumque testimonium, „ cui exceptionem non inveniat ratio, ut „ ejus vim, & emphasim effugiat: nullum „ erit præceptum, quod funditus deletum ad „ nihilum non redigatur."

„ Cum ergo dicunt Moderni Casuistæ, has „ traditionis voces per se loquendo veras esse, „ *per accidens* tamen in casu insolito ignorantiæ invincibilis posse quempiam primam, vel secundam salutem sine explicita fide Salvatoris obtinere: cum ajunt, „ id saltem verum probari in illis Christianis adeo bardis, hebetibus, & obtusis, „ qui Mysteria Trinitatis, & Incarnationis „ nec vero conceptu apprehendere, nec memoria retinere, nec subinde explicite credere possunt; cum, inquam, has, & alias „ exceptiones adhibent, statim ex doctrina „ tradita confutantur. Nam cum nullum „ Scripturæ, vel Patrum proferant locum, „ quo exceptiones illas adstruant, hoc ipso „ absque operosiori argumentorum apparatu, „ absque majori inquisitione repellendi sunt: „ cum & satis per se idoneam damnandæ „ suæ responsionis causam ministrent, quod „ eam Patribus incognitam, & sola nixam „ ratione fateantur". Hæc ille, & alia disertissime.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Ex his omnibus inferas, jure meritoque damnatam fuisse ab Innocentio XI. hanc propositionem: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi*. Conventus Ecclesiæ Gallicanæ anno 1700. hanc, & duas alias propositiones, quibus negatur necessitas fidei jam a nobis exposita, hac censura configit. *Hæ propositiones in Deum remuneratorem, & in Christi Mediatoris nomen, contumeliosæ sunt, erroneæ, & hæreticæ*. Præsens damnata propositio tribui solet Marchantio; a qua tamen nota aliqui benigna interpretatione ipsum vindicant. Sed ab ea, quoad primam partem attinet, non longe absunt Castropalaus, Emmanuel Sà, Tamburinus, aliique. Quoniam hi docent, dari nunc posse invincibilem ignorantiam Trinitatis, & Incarnationis: ex quo consequitur, capacem absolutionis esse, qui ea Mysteria ignorat; quod in propositione damnatur. Hinc repetendæ sunt confessiones factæ ab aliquo tali ignorantia laborante: neque enim validæ sunt defectu medii ad justificationem prorsus necessarii.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Quum dicimus, necessariam esse necessitate *medii* ad salutem fidem explicitam Incarnationis Christi, hæc non est veluti solitarie accipienda, sed conjunctim cum fide Passionis, & Resurrectionis ipsius propter Redemptionem humani generis. Itaque homi-

minibus ad justificationem, & salutem explicita fides Christi non sufficit, quoad solam Incarnationem, sive assumptionem humanæ naturæ, sed etiam requiritur *quantum ad Passionem, & Resurrectionem, quibus humanum genus a peccato, & a morte liberatur*, ut loquitur S. Thomas hic *art. 7.* ad quod significandum instituta ab ipso Christo *Joan. 3.* comparatio est inter se ipsum, & serpentem a Moyse exaltatum in deserto. Sicut enim tunc omnes in deserto a morsibus serpentium non liberabantur, nisi qui in elevatum serpentem oculos attollebant; ita tempore legis Evangelicæ omnes, qui a serpente infernali mordentur ad mortem animæ, non liberantur ad vitam, nisi fide Christum aspiciant in Cruce exaltatum. Hinc fallitur Cardinalis de Lugo, dum *disputat. 12. de fide* asserit, fidem horum Mysteriorum a nullo Theologo necessariam necessitate medii ad salutem existimari. Nam eam ita necessariam existimant S. Thomas, omnesque ejus veri discipuli.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Cum omnibus, quæ ex Scriptura, Patrumque traditione proposita sunt, veritatibus pugnant aperte tum P. Arduinus, tum ejus discipulus Berruyerus, qui docent, fidem in Christum Redemptorem necessariam non fuisse ad salutem, nisi post ejus adventum: dum fidem Patriarcharum, & Prophetarum ad fidem reducunt veri Dei, ejusque Providentiæ naturali lumine cognitæ: dum alio in sensu Scripturæ textus de Christo exponunt, quam exposuerunt Patres, ac semper tenuit Ecclesia: dum alia demum tradunt de eodem argumento, quæ aliena penitus sunt a doctrina Patrum, & Theologorum. Quæ, & alia plura legi possunt in celebri Instructione Pastorali Episcopi Suessionensis *sect. 5. cap. 3. art. 4. & 5.*, ubi etiam latissime refutantur.

R E F L E X I O.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum solum verum, & quem misisti, Jesum Christum: Verba hæc sunt Christi Domini Patrem suum alloquentis. Nimirum *hæc est vita æterna*; sive hoc est medium, hæc est via, omnino necessaria ad beatam æternam vitam obtinendam cognitio per fidem Dei, & Jesu Christi, qui eum ipso Deus est, in Mundum missi, ut humanum genus ab æterna morte liberaret. Quid est ergo, quod nonnulli velint quidem cognitionem Dei necessariam ad salutem; negent autem cognitionem Filii Dei a Deo missi, ut consequemur salutem; cum utramque tam expresse conjunxerit ille, per quem habemus salutem? Absit fallax hæc opinatio, inquit S. Augustinus, a mentibus fidelium. " Unus " est Deus (verba ejus sunt *de Peccat. Orig.*) " & unus Mediator Dei, & hominum, homo " Christus Jesus: quoniam *non est aliud no- " men sub cælo datum hominibus, in quo opor- " teat nos salvos fieri*: & in illo definivit " Deus fidem omnibus, suscitans illum a " mortuis. Itaque sine ista fide, hoc est sine " fide unius Mediatoris Dei, & hominum " Hominis Christi Jesu, sine fide, inquam, " Resurrectionis ejus, quam Deus omnibus " definivit, quæ utique sine Incarnatione " ejus, ac Morte non potest veraciter credi; " sine fide ergo Incarnationis nec antiquos " justos, ut justi essent, a peccatis potuisse " mundari, & Dei gratia justificari, *Veri- " tas Christiana non dubitat*: sive in eis justis, " quos Sancta Scriptura commemorat, sive " in eis justis, quos quidem illa non com- " memorat, sed tamen fuisse credendi sunt " vel ante Diluvium, vel inde usque ad " legem datam, vel ipsius legis tempore, " non solum in filiis Israel, sicut fuerunt " Prophetæ, sed etiam extra eumdem po- " pulum, sicut fuit Job. Et ipsorum enim

cor-

„ corda eadem mundabantur Mediatoris fide, „ & diffundebatur in eis charitas per Spiritum Sanctum, qui, ubi vult, spirat, non „ merita sequens, sed etiam ipsa merita „ faciens ".

Verum ut ad hanc vitam æternam, quæ ipse Christus est, perveniamus, non sufficit sola ejus cognitio, nisi & ipsius imitemur exempla, ac per viam illam ambulemus, per quam ipse ambulavit. Unde Christus, qui se hic *vitam* vocat, paulo antea testatus de semetipso fuerat: *Ego sum via, veritas, & vita*; quæ verba expendens idem S. Augustinus *in 1. Joan. cap. 5.* sic ait: " Di„ ctum est: *Omnis, qui credit, quod Jesus „ sit Christus, ex Deo natus est*. Quis est qui „ non credit, quod Jesus sit Christus? Qui „ non sic vivit, quomodo præcepit Chri„ stus. Multi enim dicunt: *Credo*; sed fides „ sine operibus non salvat ..... Est ergo „ nobis currendum, & in via currendum. „ Quæ est via, per quam currimus? Chri„ stus dixit: *Ego sum via*. Quæ patria, „ quo currimus? Christus dixit: *Ego sum ve„ ritas*. Per illum curris, ad illum curris; „ in illo requiescis. Sed ut curramus per il„ lum, extendit se usque ad nos. Longe „ enim eramus, & longe peregrinabamur. „ Parum est, quia longe peregrinabamur: „ languidi nos movere non poteramus. Me„ dicus venit ad ægrotos; via porrecta est „ ad peregrinos. Ut salvemur ab ipso, am„ bulemus per ipsum. Hoc est credere, „ quia Jesus Christus est quomodo credunt „ Christiani, qui non solum nomine Christia„ ni sunt, sed factis, & vita ".

CAPUT V.

De præcepto fidei affirmativo.

DOCTRINA.

I. *Quænam scire oporteat ex præcepto, ut credantur. Tenentur scire omnes, quæ continentur in Symbolo Apostolorum.*

II. *Necesse non est, ut simplices, & rustici noverint, quæ abstrusiora sunt in articulis fidei. Quænam scire sufficiat.*

III. *Quænam alia præter articulos Symboli scire teneantur fideles.*

IV. *Episcopi, Pastores, ac Doctores explicatiorem tenentur de his habere notitiam.*

V. *Fidei præceptum obligat ad hujus virtutis actus eliciendos.*

VI. *Hoc præceptum obligat* per se, *ac natura sua. Propositiones damnatæ.*

VII. *Quoties fides sufficienter proposita est, tenetur quis ad eliciendum actum fidei.*

VIII. *Ad eumdem actum tenentur pueri, cum primum rationis lumen ipsis affulget.*

IX. *Obligat hoc præceptum in probabili periculo mortis.*

X. *Probabilius in solemnioribus Festis ad actum fidei omnes obstringuntur.*

XI. *Quoties obliget* per accidens *idem præceptum.*

XII. *Tenemur etiam aliquando exterius fidem confiteri.*

XIII. *Doctrina S. Thomæ circa hujus præcepti obligationem.*

XIV. *Casus, & circumstantiæ generales, in quibus urget hujusmodi præceptum.*

XV. *Qui ab authoritate publica de fide interrogatur, tenetur ad hoc præceptum implendum.*

XVI. *Nulla etiam habita ratione scandali, quod forte secuturum sit.*

XVII. *A privata persona de fide interrogatus potest confessionem omittere, spectatis circumstantiis.*

XVIII. *Quandoque tenetur Christianus professionem suam manifestare.*

XIX. *Licita fuga est in persecutione fidei. Doctrina S. Thomæ.*

XX. *De præcepto Ecclesiastico emittendæ fidei professionis quibusdam imposito.*

XXI. *Eliquantur aliquæ difficultates circa hoc præceptum.*

XXII.

XXII. *Formula hujusce professionis edenda praescripta a Pio IV.*

I. VIDIMUS, quænam credenda ab omnibus sint necessitate *medii* ad justificationem, & salutem consequendam; sequitur, ut etiam de credendis necessitate *præcepti*, sive *de præcepto fidei affirmativo* videamus. Qua in disputatione quatuor distinguere præcepta Theologi solent: quorum primum continet illa, quæ sciri oportet, ut credantur: alterum respicit assensum fidei, quem elicere quandoque tenemur: tertium spectat externam fidei confessionem opportuno tempore faciendam: quartum denique professionem fidei ex Ecclesiæ præcepto ab aliquibus emittendam. Hæc autem quibusdam propositis regulis expediemus.

REGULA PRIMA.

Tenentur omnes explicite scire, & credere veritates, quæ continentur in Symbolo, vulgo *Apostolorum* nuncupato; adeout si de singulis articulis interrogentur, ea noverint, & fide teneant. Hæc regula perpetua Ecclesiæ praxi nititur, quæ semper a Catechumenis requisivit, ut ante Baptismi susceptionem articulos omnes, & singulos Symboli articulos scirent, saltem quoad substantiam. *Hæc verba*, inquit S. Augustinus de Symbolo loquens, *quæ pauca numero, sed magna sunt pondere, ex more omnium Ecclesiarum baptizandis intimantur*. Et S. Thomas 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. docet: *Quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem. Quantum autem ad alia credibilia, non tenetur explicite credere, sed solum implicite, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere, quidquid Divina Scriptura continet: sed tunc solum tenetur explicite credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri*.

Patuzzi Theol. Moral. T. III.

REGULA SECUNDA.

II. Non est necesse, ut simplices, & rustici calleant abstrusiores, ac subtiliores quæstiones de his, quæ in articulis Symboli continentur. Ita S. Thomas *q.* 2. *art.* 6. *ad* 2. dicens: *Simplices non sunt examinandi de subtilitatibus fidei, nisi quando habetur suspicio, quod sint ab hæreticis depravati*. Eos tamen quoad substantiam, prout innuimus, scire debent, ita ut significationem verborum teneant, & si interrogati sint, recte respondeant. Quid vero sit eos credere *quoad substantiam*, relate ad quoscumque articulos in Symbolo contentos, definiri vix potest. Nihilominus hæc communior doctrina est. Si loquamur in primis de articulis ad *Divinitatem* pertinentibus, scire, & credere debent omnes explicite, Deum esse unum, omnipotentem, creatorem rerum omnium visibilium, & invisibilium, Salvatorem generis humani, sanctitatis, & gratiæ largitorem, qui peccatores justificat, & in adoptionem filiorum Dei restituit, gloriæque æternæ in sui clara visione positæ participes efficit: quod tres sint Personæ Divinæ, quæ quidem inter se distinguuntur, sed nihilominus sunt unus Deus.

Quoad Christum attinet, tenentur scire, & credere secundam Sanctæ Trinitatis Personam, scilicet Filium Dei humanam carnem assumpsisse, adeoque Deum esse, & hominem, conceptum fuisse virtute Spiritus Sancti, & ex Maria Virgine natum esse: præterea ob nos redimendos a peccati, ac Diaboli servitute passum, & mortuum esse, ad inferos descendisse secundum animam, a mortuis tertia die resurrexisse; ad Cælos postmodum ascendisse, ac venturum tandem esse in fine Mundi ad vivos, & mortuos judicandos. Quæ autem circa hæc, ac præsertim circa unionem divinæ, & humanæ naturæ excitari possunt, ac solent controversiæ, sicut

etiam circumstantiam, quod Christus passus fuerit *sub Pontio Pilato*, aliasque hujusmodi scire minime obstringuntur.

Quod spectat alios articulos, credere citra dubium tenentur omnes, Spiritum Sanctum tertiam esse Trinitatis Personam; Ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum esse in hac Ecclesia; resurrectionem omnium hominum in fine Mundi, ac tandem vitam æternam, quam justi recipient, sicut etiam æternam mortem, sive damnationem, quam recepturi sunt impii, sive omnes, qui absque divina gratia sanctificante ex hac vita decedunt.

Quoad duos tantum articulos, qui continentur in Symbolo, disputare solent Theologi; nimirum quoad *descensum Christi ad inferos*, & *Sanctorum communionem*. Missa vero fusiore discussione, assero & hos esse credendos ab omnibus saltem modo aliquo confuso; adeout credant, *Christum ad inferos descendisse*, prout in Symbolo exprimitur, & *communionem Sanctorum* esse in Ecclesia; quatenus, dum hanc concipiunt tanquam fidelium omnium *congregationem*, sive corpus quoddam mysticum ex omnibus fidelibus conflatum, simul percipiunt, invicem hujus corporis membra juvari, ac totius corporis bonorum participatione gaudere.

Regula Tertia.

III. Præter illa, quæ continentur in Symbolo Apostolico, alia scire quoque tenentur fideles, scilicet quæ spectant ad fovendam spem, ad dirigendos mores, & gratiam obtinendam. Hinc scire debent petitiones in Oratione Dominica contentas, quam Salvator ipse nos docuit, cui adjungenda est Salutatio Angelica juxta morem universalis Ecclesiæ, ut mediante intercessione beatissimæ Dei Matris ea, quæ petimus, facilius impetremus. Deinde ad informandos mores nostros decem Præcepta Decalogi, ac ulterius septem Sacramenta, ac præsertim ea, quæ adultis omnibus necessaria sunt, Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam. Audiamus, quid de his omnibus statuerit in Actis Concilii Mediolanensis *part. IV.* S. Carolus: *Christianus omnis*, inquit, *si adultus est, sub pœna peccati mortalis scire debet articulos omnes Symboli Apostolorum, insuper & præcepta Dei, Sanctæque Matris Ecclesiæ universa; quibus complectitur etiam Sacramenta, quæ sub mortali obligant, & docentur communiter in Scholis Doctrinæ Christianæ*. Hisce addit Concilium Mediol. V. *Orationem Dominicam*, & *Angelicam Salutationem*.

S. Thomas paucis verbis complexus est omnia, dum *p. 2. q. 76. art. 2.* docuit: *Omnes tenentur scire communiter ea, quæ sunt fidei, & universalia ejus præcepta: singuli autem ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant*. Quæ verba ita declarat Sylvius in eumdem articulum: " Ea, quæ scire tenemur, sunt triplicis generis. Primi generis sunt illa, quæ pertinent ad Fidem Catholicam, ut sunt mysteria, quæ celebrantur in Ecclesia, & septem Sacramenta: nec possunt ab errore propter aliquam simplicitatem excusari, quantum ad ea, de quibus Ecclesia solemnizat, & communiter versantur in ore fidelium, sicut Mysterium Trinitatis, Nativitatis Christi, & alia hujusmodi, ut ait S. Thomas *lect. 4. in cap. 1.* ad Corinth. "

" Secundi generis sunt, quæcumque ad mores communiter, & recte informandos pertinent. Tertii generis sunt, quæ ad singulorum statum rite, & Christiane dirigendum requiruntur. Ea igitur omnia Christiani adulti distincte, & explicite cognoscere, & credere tenentur juxta illud Augustini *de fil. & oper. cap. 1. Unusquisque scire tenetur legem, & statum, quem profitetur* ".

REGULA QUARTA.

IV. Quamquam ea, quæ expressa sunt, scire, & credere debeant omnes, & singuli fidelium, quidam tamen, ut Episcopi, Parochi, Doctores &c. ad explicatiorem cognitionem, & fidem de iisdem habendam tenentur. De hac regula agit Præceptor Angelicus hic *q. 2. art. 6.*, ubi quærit: *Utrum omnes æqualiter teneantur ad habendam fidem explicitam?* Et quæstionem ita profunde, ac præclare resolvit: „ Explicatio credendorum „ fit per revelationem divinam. Credibilia „ enim naturalem rationem excedunt. Revelatio autem divina ordine quodam ad „ inferiores pervenit per superiores, sicut ad „ homines per Angelos, & ad inferiores Angelos per superiores. Et ideo pari ratione explicatio fidei oportet, quod perveniat ad inferiores homines per majores. „ Et ideo sicut superiores Angeli qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus divinis, quam inferiores; „ ita etiam superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicite credere ".

§. II.

De præcepto eliciendi actum fidei internum.

V. Præceptum aliud præter jam expositum admittere necesse est circa fidem: quod duplex distinguitur, *affirmativum* alterum, alterum *negativum*. Istud, quod semper, ac pro semper obligat, prohibet, ne unquam dissentiamus Mysteriis fidei, vel de eorum veritate dubitemus, de quo postea: illud vero, nempe affirmativum, præcipit fidei actum, quem debemus elicere. Hoc præceptum aliud est, quod *per se* obbligat, ex vi nempe, & natura ipsius virtutis fidei: aliud *per accidens*, ut inquiunt; vi nempe alterius præcepti, quod satis impleri nequeat absque fidei actu, vel assensu elicito: quod non de fidei actu duntaxat, verum etiam de actu spei, & charitatis est in elligendum. Quo posito regulas jam constitutas persequor. Unde sit

REGULA QUINTA.

Generatim loquendo præceptum aliquod est, quod obligat ad eliciendos actus internos fidei. Mentio sæpe fit de hoc præcepto in Sacra Scriptura, cujus textus plures jam supra produximus. Præcepta autem virtutum, cujusmodi est fides, non respiciunt solos virtutum habitus, sed maxime actus, ad quos ipsi habitus ordinantur. *Dicendum est*, inquit S. Thomas hic *q. 2. art. 5. quod præcepta legis, quæ homo tenetur implere, dantur de actibus virtutum: quia sunt via perveniendi ad salutem.*

REGULA SIXTA.

VI. Tenetur homo actus fidei, quemadmodum & spei, & charitatis, elicere ex vi præceptorum ad has virtutes pertinentium. Extiterunt Theologi quidam, qui docuerunt, præceptum eliciendi actus fidei, non esse speciale præceptum, quod *ex se* obligationem induceret, sed solum *per accidens*, quatenus solum obligat hoc præceptum, quoties præceptum aliud adimpleri non potest sine actu fidei. *Omnibus perpensis*, docet unus ex ipsis, *puto nunquam obligari fideles ad credenda prædicta mysteria nec implicite, nec explicite, ex vi necessitatis præcepti fidei: sæpissime vero obligari per accidens, ex vi aliorum præceptorum.*

Sed hæc sententia damnata jam est a Summis Pontificibus Alexandro VII., & Innocentio XI. A priore quidem in hac propositione *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præ-*

præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. Ab altero autem in ista: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se*. Et merito sane. Primo quia, sicut fides est virtus specialis a cæteris virtutibus distincta, ac fundamentum Christianarum virtutum, necesse est, ut speciali præcepto præscripta sit a præceptis aliarum virtutum actus præscribentibus distincto: adeoque solius præcepti fidei vi obligamur actus ejusdem elicere erga potissimum ea mysteria, quæ *medii* necessitate credenda sunt.

Præterea juxta D. Paulum in Epist. ad Galat. 3. *justus ex fide vivit*. Sicut igitur vita corporis sine cibi sumptione non conservatur, ita neque vita animæ sine actu fidei. Ad hæc: procul dubio ad Deum tendere, & accedere debemus, ut ab eo illuminemur juxta illud: *Accedite ad Deum, & illuminamini*. Ad Deum autem primo non tendimus, nisi fidei actibus. *Non enim*, ait S. Augustinus in illum locum Psalmi, *ad Christum ambulando currimus, sed credendo; nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideo illa mulier, quæ fimbriam tetigit, magis tetigit, quam turba, quæ pressit. Ideo Dominus dixit*: Quis me tetigit? *Et mirantes discipuli dixerunt: turbæ te comprimunt; & dicis*: Quis me tetigit? *Et ille repetivit: tetigit me aliquis. Illa tangit, turba premit. Quid est tetigit, nisi credidit?*

Quare damnata quoque merito est hæc alia propositio: *Satis est actum fidei semel in vita elicere*. Adductæ namque rationes frequentiores actus fidei exposcere luculenter evincunt. Hanc opinionem, sicut & præcedentem docuisse P. Tamburinum ex *lib. 2. in Decal. cap. 1.* aperte liquet, ubi etiam pro hac sententia laudat Thomam Sanchez, & Aragonium. Et quasi *semel in vita actum fidei elicere* nos teneri opinio nimium rigida foret, subjicit *benignius loqui* Castropalaum *T. 1. tract. 4. Disp. 1.*

REGULA SEPTIMA.

VII. Quoties infideli Christiana fides est sufficienter proposita, sive quoties rationes, miracula, aliaque credibilitatis Christianæ Religionis signa satis infideli perspecta sunt, & cognita, fidem amplecti, & actum fidei elicere tenetur. Idemque dicendum de quocumque etiam fideli, cui aliquod fidei dogma satis explicatur, & credendum proponitur. Si enim hoc casu suum assensum non præbeat, sed suspendat judicium suum, jam injuriam irrogat Deo revelanti, & mysteria sua proponenti, ut ab ipso credantur: de quo casu nulla est penes Theologos disceptatio.

REGULA OCTAVA.

VIII. Tenentur pueri inter Catholicos enutriti, cum primum ipsis affulget lumen rationis, in actum fidei interioris erumpere erga mysteria satis ipsis ad credendum proposita. Hæc est D. Thomæ, ac Thomistarum omnium doctrina, cui equidem refragati sunt aliqui inter Probabilistas. Sed post plures a Summis Pontificibus damnatas de hoc argumento propositiones, huic sententiæ subscribunt frequentius Theologi, adeo ut ipse Probabilista P. Dominicus Viva in primam propositionem Alexandri VII. *n. 7.* scripserit: *Inconcussa videtur sententia Thomistarum ex Angelico Doctore, quod quilibet teneatur ad actum amoris Dei in primo instanti usus rationis*. Actum autem amoris Dei in præsenti Providentia nemo elicere potest, prout ad salutem necessarius est, nisi fides præcesserit. Porro *instans rationis* non physice intelligi debet sed moraliter, ac pro tempore congruo accipiendum est; nec æque pueris omnibus ratio illucet, sed uni citius, quam alteri, ut experientia compertum est.

REGULA NONA.

IX. Præceptum actus fidei eliciendi *per se* ob-

obligat *in probabili periculo* mortis; quemadmodum in eodem periculo obligat præceptum spei, & charitatis, suscipiendi Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Siquidem si ullo unquam tempore tenetur homo testimonium professionis suæ Deo exhibere, illud profecto est tempore mortis, quo vita fidei vivat, ut visionem beatam assequatur, quæ fidei virtuti respondet. Hanc exercendæ fidei obligationem, imminente morte, confirmat Ecclesiæ consuetudo, quæ, dum infirmis Sacrum Viaticum ministrat, eos per Sacerdotem excitat, monetque, ut fidei professionem edant, ac fidei actus repetant.

Regula Decima.

X. Saltem semel in anno tenetur homo ad fidei actum eliciendum. Ex propositionibus ab Ecclesia damnatis, quibus aliam adnectimus, quæ legitur in Decreto Innocentii XI. n. 65. *Sufficit mysteria Trinitatis, & Incarnationis semel credidisse*, quædam tamquam omnino certa liquido fluunt; nimirum primo: quod præceptum fidei *per se* obliget fideles ad eliciendos actus ejusdem virtutis: deinde quod non sufficiat actum fidei semel in vita elicere; ac tandem quod hoc præceptum trasgrediatur, qui ultra quinquennium ejusmodi actum differt. Ex his ergo colligo tanquam omnino certum saltem, semel in anno teneri fideles, aliquem fidei actum elicere *per se*, & ex vi præcepti hujus virtutis. Quandoquidem hoc fidei præceptum, quod per se, & directe obligat, ex Ecclesiæ definitione certum est. Igitur hæc obligatio semel saltem in anno adimplenda est: neque enim afferri posse videtur divinum illud præceptum affirmativum, quod nunquam intra annum obliget. Otiosa namque lex esset, quæ sui executionem non imperaret nec intra unius anni spatium. Unde admisso præcepto fidei per se obligante, consequitur certo, fideles ad actum fidei eliciendum saltem intra annum urgeri. Dico *saltem*: quia cum etiam præceptum Eucharistiæ semel saltem in anno obliget ex Ecclesiæ ordinatione, minorem statuere obligationem nemo audebit. Caeterum Authores graves non desunt, qui frequentiorem fidei actum requirant, ut Scotus diebus festivis; alii quoties præcipua fidei mysteria celebrantur. Quorum doctrinæ tanquam probabiliori, & tutæ libens subscribo. Cum mysteria fidei certis solemnioribus diebus ab Ecclesia proponantur ut fideles excitent fidem, & vix ac ne vix quidem festos illos dies rite sanctificare valeat populus Christianus, nisi prius mentem in eorum considerarione defigat, & corde credat. Quare admoneri fideles debent ad ejusmodi actus frequentandos, ut ita securius conscientiæ suæ consulant; nec omittant id, ad quod fortasse divina obligatione tenentur.

Regula Undecima.

XI. Præter præceptum obligans *per se* fideles ad eliciendum actus fidei, est etiam præceptum eamdem obligationem *per accidens* inducens, vi scilicet, & ratione alterius præcepti. Casus hujusce obligationis non unus, sed multiplex est. Et primo quidem, quoties homo accedit ad Sacramentum sive Baptismi, sive Pœnitentiæ ob justificationem obtinendam: quoniam ad hanc plures actus præmittere oportet, quos inter est actus fidei. Cum enim supernaturales esse debeant actus hujusmodi, debent dirigi fide tamquam causa primaria, & principali. Unde hanc vocat Concilium Tridentinum *fundamentum, ac radicem justificationis*. Secundo, quoties homo ad suscipiendum accedit Eucharistiæ Sacramentum. Tunc enim credere debet tum veritatem presentiæ realis Christi in augustissimo illo Sacramento, tum ejus virtutem, & efficaciam ad conferendam gratiam. Tertio

tio cum diebus festivis renetur audire Missam, aut Religionis opera exercere : in his tamen opus non est , ut actu formali , & expresso quis dicat: *credo Domine* , quem nunc oro , quem nunc suscipio , quem amo &c. sed satis est *implicite* , & virtualiter , quatenus virtute fidei toties exercitæ actus illos peragit , ad quos præcepto urgetur . Quarto quando vehementi aliqua tentatione pulsatur animus adversus fidem , aut aliquod fidei mysterium : tunc enim ad eam repellendam medium videtur esse necessarium actus fidei . Si tamen haud valde gravis tentatio sit contra fidem , satis erit , & medium fortasse opportunius eam contemnere , & alio mentem avocare . Denique si quis ad fidem Christianam abjurandam urgeat , præceptum est nedum fidei exterius confitendæ , de quo statim ; sed etiam interior fides ob externam illam confessionem est necessaria .

§. III.

De Præcepto divino Fidei exterius confitendæ .

REGULA DUODECIMA .

XII. Admittere oportet præceptum divinum fidem Christianam , quam corde profitemur , exterius confitendi . Hæc regula ita generatim constituta extra omnem posita est dubitationis aleam . Siquidem , sicut in Evangelio habemus S. Matth. cap. 10. ex ore Christi : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus , confitebor & ego eum coram Patre meo* ; sic apud S. Lucam cap. 9. legimus : *Qui me erubuerit , & meos sermones , hunc Filius hominis erubescet , cum venerit in majestate sua* . S. Paulus quoque *ad Rom.* 10. ait: *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem* . Hinc S. Augustinus serm. 139. *Quid prodest* , inquit , *corde credidisse ad justitiam , si os dubitat proferre , quod corde conceptum est ?*

REGULA DECIMATERTIA .

XIII. Hoc præceptum confitendæ fidei , cum sit affirmativum , non obligat pro semper , sed pro loco , & tempore . Ita S. Thomas hic *quæst.* 3. *art.* 2. his verbis : „ Ea „ quæ sunt necessaria ad salutem , cadunt „ sub præceptis divinæ legis. Confessio autem „ fidei , cum sit quoddam affirmativum, non „ potest cadere , nisi sub præcepto affirmativo . Unde eodem modo est de necessariis ad salutem , quo modo potest cadere „ sub præcepto affirmativo divinæ legis . Præcepta autem affirmativa , ut supra dictum „ est , non obligant ad semper , etsi semper „ obligent: obligant autem pro loco , & tempore secundum alias circumstantias debitas, „ secundum quas oportet actum humanum „ limitari ad hoc , quod sit actus virtutis . „ Sic ergo confiteri fidem non semper , neque in quolibet loco est de necessitate salutis , sed in aliquo loco , & tempore " .

REGULA DECIMAQUARTA .

XIV. Casus , & circumstantiæ , in quibus obligat præceptum affirmativum confitendæ fidei , sunt illæ generales , quæ ibidem afferuntur ab Angelico Præceptore ; nimirum *quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo , vel utilitas proximi impendenda* . Si enim vel unum , vel alterum ex his occurrat inconveniens , tunc fidelis ad fidei confessionem obstringitur, quamvis mortis periculum immineret : id quod regulis sequentibus magis declarabitur .

REGULA DECIMAQUINTA .

XV. Siquis ab authoritate publica interrogetur de fide sua , hanc exterius confiteri tenetur : ita ut si in hoc casu sileat , aut dissimulet , præceptum affirmativum fidei transgrediatur . Ratio est , quia hoc in casu honori Deo debito præjudicium infertur , at-

atque ita se gerere est erubescere Christum Jesum, ejusque Evangelium; adeoque mortaliter peccat, & a regno Dei excluditur juxta laudatam Christi sententiam: *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* Quare merito damnata est a Summo Pontifice Innocentio XI. sequens propositio: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.* Cui propositioni Clerus Gallicanus gravissimam hanc censuram inussit: *Haec propositio scandalosa est, praeceptis Evangelicis, & Apostolicis aperte contraria, & haeretica.*

Hæc obligatio confitendi fidem in casu prædicto totam vim suam obtinet, sive ille, qui interrogat, sit Superior legitimus, sive potestate fruatur per tyrannidem, & usurpationem, sive qui interrogatur, tali potestati subjectus sit, sive extraneus. Eadem quippe militat ratio, Unde S. Thomas absolute, & absque ulla distinctione definit, obligatum illum esse ad fidem confitendam, *qui interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera.* Atque ita se gesserunt primi Christiani, qui exemplo debent esse omnibus aliis; qui, cum a Regibus, & Tyrannis de fide publice interrogarentur, citra ullam interrogantium, potestatum distinctionem impavide respondebant, se esse Christianos.

Regula Decimasexta.

XVI. Etiamsi Christianus interrogatus a publica potestate prævideat ex sua confessione oriturum scandalum aliquod, puta magis accendi Infideles persequendam Ecclesiam, non ideo confiteri fidem obligatus non est: quoniam semper in gloriam, & honorem Dei cedit ejus confessio, simulque in utilitatem proximi, qui ex suo exemplo inflammatur ad professionem fidei, & confessionem Jesu Christi absque ullo respectu, vel timore faciendam. Quod si ex hoc Infideles scandali occasionem sumant, & acrius persequantur Ecclesiam, scandalum hoc *pharisaicum* est ex sola ipsorum malitia profectum, quod Christus Dominus haud esse curandum docuit. Hinc ex Martyrum historiis constat, timorem secuturæ novæ persecutionis ex parte Infidelium impedimento nunquam fuisse Christianis, ne libere confiterentur nomen Jesus Christi.

Regula Decimaseptima.

XVII. Siquis interrogetur a persona privata de fide sua, & in his circumstantiis inveniatur, in quibus ex silentio suo neque ullus honor Deo debitus subtrahatur, neque ullius utilitatis confessio sit relate sive ad interrogantem, sive ad personas circumstantes, tacendo, aut dissimulando non peccat. Immo aliquando laudabile etiam esse potest, nullum præbere responsum, quemadmodum animadvertit S. Thomas hic *ad* 3. Cum enim sibi objecisset, confessionem fidei vergere quandoque posse in aliorum scandalum, & perturbationem, respondet; " Quod si turbatio „ Infidelium oriatur de confessione fidei ma- „ nifesta absque aliqua utilitate fidei, vel fi- „ delium, non est laudabile in tali casu „ fidem publice confiteri. Unde Dominus „ dicit Matth. 7. *Nolite sanctum dare cani-* „ *bus, neque margaritas vestras spargere ante* „ *porcos, ut conversi dirumpant vos.* Sed si „ utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas „ adsit, contempta perturbatione infidelium, „ debet homo publice fidem confiteri.

Regula Decimaoctava.

XVIII. Si contingat, quod aliquis in periculo versetur abnegandæ fidei, aut illam publice non confitendi coram Judice ob tormentorum metum, nedum qui tenentur ex officio alios instruere, & pusillanimes confirmare, sed etiam quilibet fidelis, qui au-

xi-

xilium periclitanti præstare valet, ad hoc tenetur, etiam manifestando fidem suam quam profitetur. Ita S. Thomas *in resp. ad 2.* ubi ait: *In casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum Infidelium insultationem. Sed aliis temporibus instruere omnes de fide, non pertinet ad omnes fideles.*

Regula Decimanona.

XIX. Licet quandoque Tyrannum fugere, ne quis ad fidem confitendam cogatur. Oppositum censuit Tertullianus; sed in errorem lapsum esse hoc docendo, observarunt SS. Patres Athanasius, Cyprianus, Nazianzenus, aliique. Siquidem pugnat cum apertis Evangelii textibus ejus opinio. Nam Matth. 10. Christus dixit: *Cum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam*. Et cap. 14. *Qui in Judæa sunt, fugiant in montes*. Hoc quoque Christus exemplo suo comprobavit, fugiens nonnumquam persecutionem Judæorum: comprobavit & Paulus, qui ut declinaret iram Præpositi Damascenorum, per murum in sporta se demitti passus est: comprobarunt & alii sanctissimi viri, quorum gesta cum laude commemorat Ecclesia. Quin immo circumstantiæ occurrere possunt, in quibus fuga hujusmodi nedum licita, sed etiam necessaria sit: ut si quis propriam imbecillitatem expertus, prævideat probabile periculum succumbendi tormentorum atrocitati, fidemque abnegandi; aut si persona sit bono publico admodum necessaria, aut valde utilis.

Cæterum quia specialis obligatio adstringit Episcopos, Parochos, aliosque Pastores, qui animarum curam habentes, eas dimittere per fugam in persecutione non debent, propterea affero splendidam D. Thomæ doctrinam, qui huic materiæ illustrandæ plurimum inservit. Angelicus ergo *lect. 3. in cap. 10 Joan.* hæc scribit: " Non quia [Mercenarius] fugit, sed quia dimittit oves, vituperatur: " unde si posset fugere, non dimittendo oves, " non esset vituperabile. Contingit enim " aliquando, quod quæritur persona Prælati, aliquando totus grex. Manifestum est " autem, quod si quæritur sola persona " Prælati, possunt alii loco sui ad gregis " custodiam deputari, qui vice sui consolentur, & gubernent gregem. Unde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves: & hoc " modo, & casu fugere licet. Si autem " quæratur totus grex, aut oportet, quod " Pastores omnes simul sint cum ovibus; aut " oportet, quod aliqui ex eis remaneant, & " aliqui recedant. Si autem totaliter deserant gregem, tunc eis competit, quod " hic dicitur: *Videt lupum venientem, & " dimittit oves, & fugit: lupus rapit, & " dispergit oves* ". Doctrinam hanc deprompsit S. Doctor ex D. Augustino, qui de hoc argumento fuse disserit in Epist. ad Honoratum.

§. IV.

De præcepto Ecclesiastico edendæ Fidei professionis.

XX. Præceptum de fidei professione a quibusdam personarum generibus facienda juxta formulam ab Ecclesia præscriptam cum mere Ecclesiasticum præceptum sit, juxta Ecclesiæ ejusdem dispositionem determinandum est. Igitur in primis Sacrosancta Synodus Tridentina hæc *sess. 24. cap. 12. de Reform.* statuit: " Provisi de beneficiis quibuscumque " curam animarum habentibus, teneantur a " die adeptæ possessionis ad minus intra duos " menses in manibus ipsius Episcopi, vel, eo " impedito, coram Generali ejus Vicario Orthodoxæ suæ Fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientiam se permansuros spondeant, & " jurent ".

Hanc subinde obligationem extendit ad Cano-

nonicos Cathedralium inquiens: " Provisi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in
" Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram
" Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam
" in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisi, ut supra,
" fructus non faciant suos, nec illis possessio
" suffragetur ".

Idem præceptum repetit *sess.* 25. *cap.* 11. hoc pacto: " Præcipit igitur Sancta Synodus
" Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis & aliis omnibus, qui de jure, vel consuetudine Concilio Provinciali interesse debent, ut in prima Synodo Provinciali,
" post finem præsentis Concilii habenda, ea
" omnia, quæ ab hac Synodo definita, &
" statuta sunt, palam recipiant, nec non
" veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant, & profiteantur: simulque hæreses omnes a Sacris Canonibus, &
" Conciliis Generalibus, præsertimque ab hac
" eadem Synodo damnatas publice detestentur, & anathematizent. Idemque impostrum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcoposque promovendi in prima Synodo Provinciali, in
" qua ipsi interfuerunt, omnino observent.
" Quod si quis ex supradictis omnibus, quod
" absit, renuerit Episcopi Comprovinciales
" statim Summum Romanum Pontificem admonere sub pœna divinæ indignationis
" teneantur.

His in Sancta Synodo expressis, Sanctus Pius V. in sua Constitutione, quæ incipit: *In sacrosancta*, obstrinxit eadem obligatione etiam omnes Doctores, Magistros, Regentes, Concionatores, & cujuscumque facultatis Professores. Atque hæc Decreta sive Concilii, sive Pontificis sub gravi peccato obligare, communis Thaologorum sententia est, ubi saltem recepta sunt; ac Superiores satagere debent, ut ad praxim demandentur.

XXI. Circa hujusmodi Decreta quæstiones quædam institui solent; ac primum, num qui ad beneficia eliguntur curam animarum habentia, teneantur intra bimestre a die pacificæ possessionis emittere fidei professionem in manu Episcopi, vel ejus Vicarii, aut Officialis? Ad quam affirmativa sententia communis, ac certa est: quoniam de his expresse mentio fit a Concilio. Sub nomine autem *Beneficiati* comprehenditur etiam Commendatarius illius Ecclesiæ, de cujus fructibus disponendi facultate gaudet: est enim vere de beneficio *provisus*. Secus autem dicendum est, si Episcopus commendet alicui Ecclesiam, quin de beneficio provideat, ut frequentius defendunt Canonistæ. Canonicos quoque, ac Dignitates, cum a Concilio specialiter nominentur, eadem obligatione teneri omnino dicendum est.

Altera quæstio est, num Beneficiarii, vel Canonici, qui intra bimestre mandatum Tridentini Concilii non adimplent, fructus Beneficii restituere teneantur? In qua negativa quidem sententia a Theologis quibusdam defenditur: sed contraria affirmans prorsus est tenenda: quia Synodus Tridentina expresse declarat, *eos non facere fructus suos*. Si autem fructus sui non sunt, jam alieni erunt; adeoque, sicut res alienæ, restituendi sunt: quod etiam eruitur ex aliis ejusdem Concilii verbis, dum de iisdem ait, *illis possessionem non prodesse*; & confirmatur ex propositione damnata ab Alexandro VII., quæ asserebat: *Restitutio a S. Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declarativam Judicis*. Iisdem namque verbis imposita est obligatio a Pio V. *Beneficiatis non recitantibus*, ac imponitur a Concilio Tridentino Beneficiatis *intra bimestre fidei professionem non facientibus*. Hæc autem restituendi obligatio juxta probabiliorem sententiam arctat illos quoque, qui absque propria culpa fidei professionem omitterent. Siquidem præfatæ leges, cum sint conditionales, obligant abs-

sque ullo ad culpam respectu, & cum solo respectu ad conditionem, quæ affixa legi est. Fructus porro restituendi sunt a die elapsi bimestris ad diem usque, qua emittitur præscripta confessio. Nec satis est juxta plures Sacrarum Congregationum decisiones ut fiat per Procuratorem; sed fieri debet per ipsum, qui Beneficium recipit.

XXII. Quoniam vero non raro facienda occurrit prædicta fidei professio, proderit illam hic exscribere, sicut proposita est a Pio IV., sicuti habetur in Bullar., & est ejusmodi.

„ Ego N. firma fide credo, & profiteor „ omnia, & singula, quæ continentur in „ Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum „ Deum, Patrem omnipotentem, factorem „ cæli & terræ, visibilium omnium, & in„ visibilium. Et in unum Dominum Jesum „ Christum, Filium Dei unigenitum, & ex „ Patre natum ante omnia sæcula: Deum de „ Deo, lumen de lumine, Deum verum de „ Deo vero: Genitum, non factum, con„ substantialem Patri, per quem omnia fa„ cta sunt. Qui propter nos homines, & „ propter nostram salutem descendit de cæ„ lis: Et incarnatus est de Spiritu Sancto „ ex Maria Virgine, & homo factus est. „ Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio „ Pilato, passus, & sepultus est: Et resur„ rexit tertia die secundum Scripturas: Et „ ascendit in cælum; sedet ad dexteram „ Dei Patris Omnipotentis: Et iterum ven„ turus est cum gloria judicare vivos & mor„ tuos, cujus regni non erit finis. Et in „ Spiritum Sanctum Dominum, & vivifi„ cantem, qui ex Patre, Filioque procedit: „ Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, „ & conglorificatur; qui loquutus est per „ Prophetas. Et unam Sanctam, Catholi„ cam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor „ unum Baptisma in remissionem peccato„ rum, Et expecto resurrectionem mortuo„ rum, & vitam venturi sæculi. Amen. „ Apostolicas, & Ecclesiasticas Traditiones, „ reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, „ & constitutiones firmissime admitto, & „ amplector. Item Sacram Scripturam juxta „ eum sensum, quem tenuit, & tenet San„ cta Mater Ecclesia, cujus est judicare de „ vero sensu, & interpretatione Sacrarum „ Scripturarum, admitto: nec eam unquam, „ nisi juxta unanimem consensum Patrum „ accipiam, & interpretabor. Profiteor quo„ que, septem esse vera, & propria Sacra„ menta novæ legis a Jesu Christo Domino „ nostro instituta, atque ad salutem huma„ ni generis, licet non omnia singulis, ne„ cessaria; videlicet Baptismum, Confirma„ tionem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ex„ tremam Unctionem, Ordinem, & Matrimo„ nium: illaque gratiam conferre: & ex his „ Baptismum, & Confirmationem, & Or„ dinem sine sacrilegio iterari non posse. „ Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ „ ritus in supradictorum Sacramentorum so„ lemni administratione recipio, & admit„ to. Omnia, & singula, quæ de peccato „ originali, & de justificatione in Sacrosan„ cta Tridentina Synodo definita, & decla„ rata fuerunt, amplector & recipio. Pro„ fiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, „ proprium, & propitiatorium sacrificium „ pro vivis, & defunctis; atque in San„ ctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, „ & realiter, & substantialiter corpus, & „ sanguinem una cum anima, & Divinita„ te Domini nostri Jesu Christi; fierique „ conversionem totius substantiæ panis in „ Corpus, totius substantiæ vini in Sangui„ nem, quam conversionem Catholica Ec„ clesia transubstantiationem appellat. Fa„ teor etiam, sub altera tantum specie to„ tum, atque integrum Christum, verum„ que Sacramentum sumi. Constanter te„ neo, Purgatorium esse, animasque ibi „ detentas fidelium suffragiis juvari. Simi-

liter

" liter & Sanctos una cum Christo regnan-
" tes, venerandos, atque invocandos esse;
" eosque orationes Deo pro nobis offerre,
" atque eorum Reliquias esse venerandas.
" Firmiter assero, imagines Christi, ac
" Deiparæ semper Virginis, nec non alio-
" rum Sanctorum habendas & venerandas
" esse, atque eis debitum honorem, ac ve-
" nerationem impertiendam. Indulgentia-
" rum etiam potestatem a Christo in Eccle-
" sia relictam fuisse, illarumque usum Chri-
" stiano populo maxime salutarem affirmo.
" Sanctam Catholicam, & Apostolicam
" Romanam Ecclesiam Matrem, & Magi-
" stram agnosco: Romanoque Pontifici Bea-
" ti Petri Apostolorum Principis successori,
" ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam
" spondeo, ac juro. Cætera item omnia
" a Sacris Canonibus, & Œcumenicis Con-
" ciliis, ac præcipue a Sacrosanta Tridenti-
" na Synodo tradita, definita, & declarata
" indubitanter recipio, atque profiteor: si-
" mulque contraria omnia, atque hæreses
" quascumque ab Ecclesia damnatas, & re-
" jectas, & anathematizatas, ego pariter
" damno, rejicio, & anathematizo. Hanc
" veram Catholicam Fidem, extra quam
" nemo salvus esse potest, quam in præsen-
" ti sponte profiteor, & veraciter teneo,
" eamdem integram, & immacùlatam usque
" ad extremum vitæ spiritum constantissime,
" Deo adjuvante, retinere & confiteri, at-
" que a meis subditis, seu illis, quorum
" cura ad me in munere meo spectabit, te-
" neri, & doceri, & prædicari, quantum
" in me erit, curaturum. Ego idem N. spon-
" deo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet,
" & hæc Sancta Dei Evangelia.

CAPUT VI.

CONSECTARIA.

I. *Peccant Christiani rudes, & ignari Mysteriorum fidei, qui Catechesibus non intersunt ad ea docenda institutis; sicut & Parochi ea docere negligentes.*

II. *Christianus, qui ea ignorat, quæ scire tenetur, non debet absolvi, nisi illa addiscat, aut proponat addiscere.*

III. *Non sufficit fides implicita eorum, quæ credit Ecclesia.*

IV. *Satis est, ut rudes, ac simplices mysteria aliquo modo explicite noverint.*

V. *Examinandi non sunt de subtilioribus quæstionibus, nisi subsit erroris suspicio.*

VI. *Minores, qui a Majoribus instruuntur, non habent fidem implicitam, nisi de his, quibus consentiunt fidei Ecclesiæ.*

VII. *Inter Christianos nunquam admittenda est ignorantia invincibilis de his, quorum fides necessaria est necessitate medii.*

VIII. *Satis non est, ut rudiores Symboli articulos calleant latina lingua, nisi sensum illorum aliquo modo teneant.*

IX. *Quænam Sacramenta Ecclesiæ potissimum scire debeant Christiani.*

X. *Operam dare Parentes, ac Parochi debent, ut fideles memoria teneant articulos Symboli, præcepta Decalogi, Orationem Dominicam &c.*

XI. *Quid agere debeat Confessarius vocatus ad aliquem morti proximum, dum ignarum eorum reperit, quæ scire tenetur.*

XII. *De hisce interrogandi quandoque sunt, qui ad Sacramentalem Confessionem accedunt.*

XIII. *Damnata censenda est propositio P. Tamburini circa præceptum eliciendi actum fidei.*

XIV. *Quemadmodum & alia eidem affinis P. Patritii Sporerii.*

XV. *Falso asseritur a P. Leandro probabilius esse, non obligare præceptum eliciendi actum fidei in articulo mortis.*

XVI. *Doctrina S. Thomæ circa præceptum fidei exterius confitendæ præ oculis semper habenda.*

XVII. *Quandonam confiteri aliquis fidem debeat, etiam non a persona publica interrogatus.*

XVIII. *Tenetur etiam ad eamdem fidei manifestationem, qui impedire potest sacrarum rerum contemptum, aut profanationem.*

XIX. *Alius casus, in quo idem præceptum obligat.*

XX. *Cavenda est publica fidei confessio imprudenter facta.*

XXI. *Ad hanc confessionem non tenetur, qui interrogatur a persona etiam publica non in odium fidei, sed ob alias politicas rationes.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. PECCANT graviter Christiani, qui ignorantes Fidei Mysteria, præsertim quæ ad salutem necessaria sunt, interesse negligunt catechesibus, aut familiaribus instructionibus, quæ singulis Dominicis, & diebus festivis fieri solent in Ecclesiis Parochialibus, vel in aliis, de præcipuis Christianæ Doctrinæ capitibus. Gravis item peccati rei sunt Parochi, qui catecheses, aut instructiones hasce prætermittunt; nec non Parentes, & Domini, qui filios, ac servos, quos in Doctrina Christiana imperitos, ac rudes noverint, iisdem adesse catechesibus, & ediscere, quæ scire debent, non sinunt, aut non etiam compellunt.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Christianus, qui ignorat Symbolum Apostolorum, aut alia præcipua fidei, aut legis divinæ capita, non debet absolvi a Confessario, nisi vel illa prius addiscat, vel, si ea scire necessitate medii necessarium non sit, saltem proponat addiscere. Hac in re ita statuit S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. *Si Confessarius pœnitentem reperiat omnium illorum* (scilicet Symboli Apostolorum, præceptorum Dei, & Ecclesiæ, & aliorum, quæ docentur communiter in Scholis Doctrinæ Christianæ) *ignarum, non absolvat, quin prius quoque tempore in iis addiscendis operam daturum se promittat. Quamquam si aut a Confessario suo eodem, vel diverso, vel sua ipse privatim conscientia, jam alias monitus* (quod diligentissime exquiretur) *eam adhibere diligentiam neglexerit, quæ pro illius ingenii captu ad ea discenda sufficiens sit, non prius absolvatur, quam huic obligationi aliqua saltem ex parte fecerit satis. Si vero ea de re nunquam ante monitus fuerit, poterit tum ei gratiam absolutionis impertiri; ea tamen præmissa semper instructione, quam pœnitenti sufficere censuerit, ut tanto beneficio non sit indignus.*

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Quidquid olim aliqui scripserint, tenendum omnino est non sufficere ad justificationem, & salutem, ut homo etiam rudis solum in genere credat, quidquid credit Sancta Mater Ecclesia. Tenetur enim quilibet explicite credere ea, quæ continentur in Symbolo, ac præsertim quæ necessario credenda sunt necessitate medii, ac præcepti juxta ea, quæ jam diximus.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Haud valde tamen vexandi sunt, sed benigne tractandi, qui adeo simplices, rudesque sunt, vel memoria deficiunt, ut vel Symbolum, vel præcepta Decalogi, vel Sacramenta verbo tenus retinere nequeunt. Satis quippe est, ut saltem quoad substantiam articulos noverint; adeout, si interrogentur de hoc, aut de illo, ita respondeant, ut eos aliquo modo nosse patefaciant. Neque ab his clara, & omnino distincta exigenda notitia est: sufficit enim, quod modo suo rudi,

rudi, ac simplici se declarent, modo ex negligentia in addiscendo clariore notitia non careant.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Vulgares homines examinandi non sunt de quæstionibus fidei subtilioribus, nisi subsit aliqua suspicio, quod sint in aliqua veritate ad fidem pertinente ab hæreticis depravati, aut quod aliquem in ea errorem imbiberint. Tunc enim erudiendi sunt, ut erroneam opinionem deponant, & acquiescant iis, quæ ab Ecclesia Catholica definita sunt: cui si credere nolint, tunc tamquam hæretici habendi sunt, ac tractandi.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Minores, qui a Majoribus instruuntur de rebus fidei, de quibus solum fidem *implicitam* habere tenentur; hanc fidem non habent, inquit S. Thomas hic q. 2. art. 6. ad 3, nisi *quatenus majores adhærent doctrinæ divinæ. Unde humana cognitio non fit regula fidei, sed veritas divina: a qua si aliqui majorum deficiant, non præjudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant contra universalis Ecclesiæ fidem, quæ non potest deficere, Domino dicente Luc. 22. Ego pro te rogavi, Petro, ut non deficiat fides tua*. Quare moneri debent minores, ut earum veritatum, quæ distincte nesciunt, & explicite scire non tenentur, fidem implicitam habeant, non in fide aliquorum hominum particularium, sed in fide Ecclesiæ. Nam fidei Ecclesiæ nemo male adherere potest, quoniam Deus Ecclesiæ infallibilitatem promisit in his, quæ fidei doctrinam spectant; fidei autem hujus, aut illius Doctoris male adhærere quispiam potest; puta si quis Episcopo, vel Doctori suo adhærere vellet, non obstante Catholicæ Ecclesiæ contraria definitione.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Quamvis de quibusdam articulis, quorum notitia, & fides necessaria est duntaxat *necessitate præcepti*, admitti possit quandoque inter fideles ignorantia invincibilis; nunquam tamen articulorum admittenda invincibilis ignorantia est, quorum fides est necessaria ad salutem *necessitate medii*: neque, si in aliquo inveniatur, facile, aut nunquam est a peccato excusandus. Hæc est S. Thomæ doctrina, quam alii communius sequuntur. *Pertinet autem*, scribit Doctor Angelicus in 1. ad Corinth. cap. xi., *aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Uno modo directe, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur: unde error circa hos facit hæreticum, si pertinacia adsit. Non possunt autem a tali errore propter simplicitatem aliquam excusari, præcipue quantum ad ea, de quibus Ecclesia solemnizat, & quæ communiter versantur in ore fidelium, sicut Mysterium Trinitatis, Nativitatis Christi, & alia hujusmodi*; scilicet Christi passio, mors, resurrectio &c.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Si rustici, pueri, ac rudiores memoria teneant articulos contentos in Symbolo latina lingua, quam ignorant; satis quidem esse potest, dum aliquo modo, saltem quoad substantiam, eorum significatum intelligant. Si tamen ita ignari linguæ latinæ forent, ut nihil prorsus eorum perciperent, quæ memoriter sciunt; hæc notitia non sufficeret: nihil enim ipsis prodesset; sed verba redderent veluti psittaci. Quare ut obligationi sciendi res fidei satis fiat, oportet, ut saltem modo imperfecto, & confuso noverint, quod verbis exprimunt: consultumque magis erit, si parentes, & Parochi pueros & rusticos Symbolum, & alia ad credendum necessaria edoceant lingua vernacula, cujus sensum facilius intelligunt.

CON-

Consectarium Nonum.

IX. Quod ad Sacramenta attinet, quæ sciri ab adultis omnibus debent, procul dubio sunt tria illa, quæ sunt omnibus necessaria; Baptismus videlicet, Pœnitentia, & Eucharistia. Quin etiam callere tenentur dispositiones, quæ ad ea digne suscipienda sunt necessariæ. Quoad alia vero, quamvis eadem de omnibus non sit Theologorum opinio, certum in primis est, necessariam esse notitiam eorumdem, quoties suscipienda sunt. Tum deinde probabilius mihi videtur etiam ab omnibus, saltem aliquo pacto, scienda esse: quia septem Sacramenta sunt veluti tesseræ Religionis Christianæ, ac veluti quædam signa, quibus nunc Catholici ab hæreticis recentioribus secernuntur, eaque Ecclesia in suis omnibus Catechesibus proponit, ac vult, ut eorum notitia a fidelibus habeatur.

Consectarium Decimum.

X. Etsi ad præceptum divinum implendum sufficiat, ut fideles Articulos Symboli, Orationem Dominicam, & alia hujusmodi, quoad substantiam noverint; operam tamen navare debent tum Parentes, tum Parochi, tum etiam ipsimet fideles, ut memoria teneant, quæ sive ad credendum, sive ad sperandum, sive ad agendum sunt necessaria, ut in quibusdam Conciliis præcipitur. Nam Concilium Moguntinum ævo Caroli Magni celebratum cap. 45. hæc habet: *Symbolum, quod est signaculum fidei, & Orationem Dominicam, discere semper admoneant Sacerdotes populum Christianum; volumusque ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt.* Concilium pariter Forojuliense sub idem tempus congregatum edicit, *ut Symbolum, & Orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis sexus, omnis conditio; masculi, & fœminæ, juvenes senes, liberi, pueri, conjugatæ, innuptæque puellæ: quia sine hac benedictione nullus poterit in regnum cælorum percipere portionem.* Et certe consuetudo in Ecclesia ita invaluit sciendi hæc non solum quoad substantiam, sed etiam quoad ipsa verba, ut culpa non careat, qui hæc memoriæ mandare neglexerit.

Consectarium Undecimum.

XI. Si Confessarius vocatus ad pœnitentem in mortis periculo constitutum deprehendat, eum ignorantia laborare mysteriorum fidei, si quidem mysteria, quæ ignorat, ex iis sint, quæ credenda sunt necessitate medii ad salutem; non debet illum absolvere, nisi prius ipsum instruat, & ad actum fidei eliciendum inducat: Non enim absque illorum notitia justificationis est capax. Si autem ignorantia versetur circa alia, quæ sola præcepti necessitate sunt credenda, tunc solicitus Sacerdos sit, ut doleat, & conteratur de culpabili negligentia præterita, proponatque emendationem. Quod si tempus suppetat, poterit pœnitentem adjuvare, ut actus fidei eliciat hoc pacto, recitando Symbolum, & interrogando: *Credis unum Deum Patrem Omnipotentem: Credis Filium Dei &c.* ? adeo ut penitens ad omnes has interrogationes respondeat: *credo*; ac subinde ad actus spei, & charitatis concipiendos permoveat.

Consectarium Duodecimum.

XII. Quum interdum contingat nonnullos esse, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum accedant præsertim Paschali, aut Jubilæi tempore, plane ignaros mysteriorum fidei, quæ scire, & credere debent; ideirco Confessarius illos saltem, de quorum ignorantia dubitare merito potest, interrogare tenetur. Sunt enim,

enim, qui licet ea in pueritia didicerint, postmodum curis, & negotiis saecularibus solum intenti, illorum penitus obliviscuntur, ut experientia comperi. Quapropter culpabilis saepe negligentiae rei sunt Confessarii, qui in his interrogationibus faciendis deficiunt. Verum illud admonere opus est, magna eum prudentia, & dexteritate officium hoc obeundum esse. Saepe namque aliqui Poenitentes interrogationi factae sub tali verborum forma respondere nesciunt, cui tamen sub alia apte respondent. Sic aliqui si interrogentur: *An verbum Divinum sit incarnatum?* Forte obmutescent. Si autem: *An secunda Persona humanam carnem assumpserit?* Continuo affirmabunt; atque ita de aliis fidei articulis. Unde interrogationes variae Poenitentium capacitati accommodandae sunt.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Rejicienda est tamquam damnata ab Ecclesia, vel saltem in damnata contenta haec P. Tamburini doctrina, quam tradit lib. 2. in Decal. cap. 1. *Puto, per se & directe nunquam obligari fideles ad credenda praedicta mysteria nec implicite, nec explicite ex vi necessitatis praecepti fidei.* Conferatur haec doctrina cum propositione damnata, quam supra recitavimus: *Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, & secundum se;* sicut etiam cum prima pariter adducta, proscripta ab Alexandro VII., & luce clarius constabit, num illam Ecclesia damnaverit: quidquid aliqui ex adverso contenderint.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Damnata itidem reputanda est sequens sententia P. Patritii Sporerii, quam ex aliis Casuistis deprompsit Tract. 2. in Decal. cap. 2. sect. 3. *Eo assensu semel habito, praeceptum hoc affirmativum fidei per se directe amplius non obligat .... Quia ex una parte nullum potest assignari tempus certum, & determinatum neque Christi, neque Ecclesiae lege, quo per se directe obliget praeceptum fidei, quoad actum internum .... Ideo Christus Dominus prudenter creditur non voluisse imponere praeceptum per se directum fidei.* Ecclesia per Summum Pontificem Innocentium XI. anathemate confixit, praeter alias, duas hasce propositiones; nempe: *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Et: *Sufficit illa Mysteria semel credidisse.* Num eadem doctrina sit, quae verbis citatis docetur a P. Sporerio, & ab aliis, quos *suos* vocare solet; quis in dubium revocet?

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Falso asseritur a Leandro, ac sustinetur ut probabilior, sequens opinio, quam effert Tract. 2. Disput. 2. num. 39 his verbis: *Probabilius respondeo, hoc divinum praeceptum* [fidei] *nullo modo obligare per se, aut ex vi ipsius praecepti ad eliciendos actus fidei in articulo mortis: quia nec ratio, nec textus aliquis cogit ad oppositum asserendum.* Equidem plures sunt inter Probabilistas, qui negent in eo articulo hujusmodi obligationem. Verum praeterquamquod communior est sententia, quam tradidimus, cui illorum auctoritas praevalere non potest, textus omnes, atque rationes, quae convincunt praeceptum eliciendi fidei actus *per se, & ex vi praecepti* aliquo vitae tempore, multo magis urgere probant in mortis periculo, ut dictum est.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Circa praeceptum exterius confitendi fidem ad casus plures resolvendos, qui occurrere possunt, tenenda sub oculis est doctrina illa a D. Thoma tradita; quod scilicet obliget, quoties *per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & utilitas*

litas proximi impendenda. Hinc, si persona, quæ interrogat, publica non sit, sed privata, frequentius fidem profiteri non tenetur; sed vel tacere potest, vel alio sermonem convertere, vel ei reponere: *Quid tua hoc scire refert? quis te Judicem constituit?* Deo quippe in ejusmodi casibus *nullus* plerumque *debitus honor subtrahitur*, *neque utilitas*, *quæ proximo debeat impendi*. Contingere tamen potest, ut quis ad confessionem in hoc casu obligetur; veluti si persona gravis authoritatis interrogetur coram multitudine: tunc enim silentio suo grave scandalum causaret in populo.

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Hinc etiam præceptum confessionis fidei urget, quoties interrogati confessio necessaria est ad fidem in aliis promovendam, aut confirmandam. Quare etiamsi ab aliquibus privatis interrogeris, & ex tua confessione prævideas, fidem esse amplexuros, alias in falsa Religione permansuros, aut aliquos in vera fide confirmandos, dum periculum est, ne vacillent, aut ab ea deficiant, sicut etiam, si non confitendo in causa fores, ut alii magis in sua infidelitate confirmarentur; confiteri teneris: quia in hisce casibus confessionem omittendo, *subtrahitur utilitas impendenda proximo*. *Ubi fides periclitatur*, jam vidimus ex D. Thoma, *quilibet tenetur fidem suam propalare vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendam infidelium insultationem*.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Atque ex his postremis Sancti Doctoris verbis colligas quoque, quod, si videas fidem Christianam ab Infidelibus contemni, vel Sacra conculcari, Christi, ac Sanctorum imagines ludibrio exponi, blasphemari Dei nomen, Templa profanari &c. teneris id impedire, si potes, etiam cum vitæ tuæ periculo. Secus vero, si impedire nequeas, & credas obfuturam potius, quam profuturam operam tuam.

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM.

XIX. Sed & alius casus, in quo urget præceptum fidei confitendæ, colligitur ex illis verbis S. Doctoris; *Puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera*; cum scilicet confessionis omissio censetur implicita fidei negatio. Ut si Eleazarus, de quo sermo est in libris Machabæorum, sollicitatus a Regiis Ministris, simulasset se carnes porcinas manducasse, tamesi carnes sibi licitas rea[l]e comedisset; hujusmodi illa reputata fuisset tamquam Judaicæ Religionis abnegatio: adeoque eam sibi illicitam Eleazarus merito existimavit. *Non enim*, dixit, *ætate nostra dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur. Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manus Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam*. Sic etiam, si dum multi interrogari simul a Tyranno, an sint Christiani, dum alii impavide affirmant, alii taceant, iisque abire permissis, alii ad mortem aut tormenta trahantur; tunc quilibet prudenter judicabit, dimissos fidem abnegasse: adeoque a peccato, qui tacent, non sunt excusandi.

CONSECTARIUM VIGESIMUM.

XX. Cavenda tamen est publica confessio fidei imprudenter facta. Hæc autem primum est, dum absque ulla necessitate divini honoris, aut proximorum utilitate temere quis semet exponit periculo tormentorum, quæ for-

fortasse haud tolerare potest, atque adeo periculo fidei abnegandæ. Deinde dum per confessionem sine necessitate peractam persecutoribus causa præbetur Deum offendendi, fidemque acrius impugnandi. Tertio demum dum absque eadem necessitate vel honoris Dei, vel utilitatis proximi per manifestam confessionem fidei perturbatio in Infidelibus excitatur; ut siquis vel Synagogam Judæorum, vel Muhamedanorum fanum adiret, ut fidem publice profiteretur. Unde S. Thomas loco laudato ad 3. dixit: *Si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta absque aliqua utilitate fidei, & fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publice confiteri.*

Consectarium Vigesimumprimum.

XXI. Siquis a persona etiam publica interrogaretur, *num sit Christianus*, non quidem in odium fidei, sed ob politicas status rationes, aut alia simili de causa, puta ut pecunias a Christianis extorqueret, aut aliquid de Christianorum rebus resciret; non teneretur professionem suam prodere, sed aut silentio, aut alio pacto eludere posset interrogationem, dummodo nec mendacium proferret, nec ullam proximo, ita se gerendo, scandali occasionem præberet.

CAPUT II.

De præcepto Fidei negativo.

Doctrina et Consectaria.

I. *Præceptum fidei* negativum, *seu nunquam abnegandæ fidei, aut quidquam adversus illam agendi, diserte in Scripturis exprimitur.*

II. *Tres regulæ assignantur ad resolvendos plures casus ad hoc præceptum spectantes.*

III. *Quædam ex doctrina posita Consectaria. Qui olim dicti sunt Libellatici, rei fuerunt negatæ Religionis.*

IV. *Quidam tamen ab hoc crimine absolvi possunt.*

V. *Nunquam licet, etiam mortis vitandæ causa, thus adolere idolo, aut alia exhibere venerationis signa; etiam vera fide in corde retenta.*

VI. *Quæ contra ex Scripturis afferuntur, exemplis diluuntur.*

VII. *Negationis fidei reus est, qui negat, se esse* Christianum, *aut Ecclesiæ Catholicæ Romanæ sectatorem.*

VIII. *Non tamen, qui suum negaret officium, aut statum; puta se* Sacerdotem *esse, vel* Monachum.

IX. *Principi in odium fidei præcipienti, ut sibi deferantur ad comburendum Christianorum libri, non est obediendum.*

X. *Catholico transeunti per Hæreticorum loca non licet esus carnium diebus ab Ecclesia vetitis, ut professionem suam occultet.*

XI. *Fidem implicite negat, qui vestibus utitur ad falsam sectam designandam institutis.*

XII. *Non ita vero, si vestes, aut signa indifferentia fiant ad eam significandam.*

XIII. *Heu! peccat contra fidei suæ professionem Christianus, qui Infidelium, aut Hæreticorum Templa ingreditur.*

XIV. *Si tamen Princeps infidelis, aut hæreticus juberet, subditos omnes frequentare Templa sua, ritibus & concionibus interesse, parere minime Catholici deberent.*

XV. *Idolothyta, urgente fame, comedi licite possunt, modo absit superstitio, vel scandalum.*

Reflexio.

§. I.

De obligatione hujus præcepti, & regulis ad illam dignoscendam idoneis.

I. PRÆTER præceptum fidei affirmativum, quod solum obligat pro tempore, loco

loco, & circumstantiis, admittendum etiam omnino est præceptum *negativum*, quod semper, & pro semper Christianos omnes obstringit, nunquam scilicet fidem abnegandi, aut quidpiam agendi, quod sit contrarium fidei, quam profitentur. Præceptum hoc adeo diserte exprimitur in Evangelio, ut nullus relinquatur dubitationi locus. Christus Dominus Matth. 10. expresse pronunciat: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est*. Cui consonat Apostolus 2. *ad Timoth. cap.* 2. dicens: *Si negaverimus, & ipse negabit nos*. Quod præceptum ipso jure naturali nititur: qui enim veram fidem negat, cultum Deo debitum subtrahit, Deumque ipsum, qui nobis fidei arcana revelavit, quantum est in se, de medio tollit, quod clarius explicari potest. Aut enim negatio externa simul est cum interna abjuratione; & tunc est infidelitas suapte natura mala: aut, fide interius servata, negatur exterius ob tormentorum atrocitatem, aut alias rationes; & tunc mendacium committitur, quod, cum in materia gravi versetur, peccatum lethale est. Hinc semper Ecclesia aversata est Priscillianistas, qui nefas esse minime credebant, fide in corde retenta, illam exterius abnegare. Quare de hoc nulla est inter Catholicos opinionum discrepantia; & omnes fatentur, negationem fidei sive expressam, sive tacitam, sive verbo fiat, sive signis, sive factis, semper esse grave peccatum.

II. Verum, tametsi conveniant Catholici omnes in generali doctrina, fas esse nunquam abnegare fidem, aut agere quidpiam, quo præceptum hocce negativum violetur; dissident tamen in assignandis casibus, in quibus hujusmodi transgressio contingat. Tres hac in controversia regulas statuo, quas certas existimo, quæ pluribus casibus resolvendis admodum inservient.

Prima est: Nunquam licet ulla de causa, aut intentione simulare falsam religionem. Siquidem simulatio falsæ religionis negatio quædam est veræ fidei, ac mendacium in re gravi, quo divinus honor violatur, & scandalum proximo præbetur. Unde secundo Ecclesiæ sæculo damnati sunt Ebionitæ, qui inter alios errores asserebant simulationem in professione Religionis licitam esse; nullumque crimen esse existimabant, si quis persecutionis tempore idola veneraretur, dummodo id ex animo non faceret, aut siquid contra fidem ore tenus profiteretur, fide in corde servata, ut refert S. Epiphanius *hæres.* 19.

Altera regula est: Verba, signa, & actiones omnes, quæ vel seipsis, vel relate ad circumstantias loci, temporis, personarum, significare possunt, aut alios inducere, ut credant, aliquem interius non profiteri fidem Christianam, vel Catholicam, existimanda sunt peccata apostasiæ, aut abnegationis veræ fidei: quoniam, licet etiam ex seipsis ad hanc significationem non determinarentur, satis determinantur ex circumstantiis, in quibus fiunt.

Tertia regula: E contra verba, actiones, vel signa, quæ neque determinata sunt ex seipsis, neque ex circumstantiis loci, temporis, aut personarum, ut significent nullam tunc fieri fidei Christianæ, vel Catholicæ professionem, censeri minime debent veluti fidei abnegationes, adeoque neque criminosæ. Quibus positis ad aliqua, quæ ex his regulis deduci possunt, Consectaria devenio. Unde sit

§. II.

Doctrinæ Consectaria

Consectarium Primum.

III. Rei negatæ Religionis censendi sunt *Libellatici*, quo nomine vocati sunt ignavi quidam Christiani, qui ut tormenta vitarent, vel.

vel ne ad Magistratus pro fide traherentur, pecunia libellum obtinebant, in quo testimonium præbebatur, quod Idolis sacrificium obtulerant, sive Imperatorum edictis satisfecerant. Quoniam testimonium accipere idololatriæ quasi ab illis commissæ, etsi reapse non commisissent, idem erat, ac velle pro idololatris reputati. Unde illos damnarunt Cyprianus Epist. 15, & 31. & 52. aliique Patres.

IV. Quidam tamen animadvertunt, fuisse alios *Libellaticos*, qui, ne humana fragilitate in tormentis deficerent, data Magistratui pecunia, ab eo libellum obtinebant, in quo Magistratus absque ulla hujusmodi testificatione nihil aliud præstabat, nisi Ministris, & Satellitibus suis præcipere, ne latorem libelli Christianæ Religionis causa comprehenderent. Atque hi excusari poterant, cum nihil illicitum committerent. Licitum namque est redimere iniquam vexationem, seu persecutionem, sicut licet se ab illa per fugam proripere. Neque enim hoc aliud est, nisi pecuniam dare, ne tormentis quis urgeatur ad abnegandam fidem, vel immolandum Idolis. Quodque liceat iniquam vexationem pecunia redimere, colligi satis videtur ex facto Jasonis, & aliorum discipulorum Pauli, qui, sicut refertur *Act.* 17. data pecuniæ summa sese redemerunt a vexatione Gentilium, & Judæorum Thessalonicensium.

Consectarium Secundum.

V. Numquam licet, etiam vitandæ mortis causa, thus adolere Idolo, genuflectere coram ipso, aut alia exhibere Religionis signa, etiam absque animo colendi, sed potius deridendi ipsum, vel intentione ad Deum, aut ad Christum directa. Quoniam hujusmodi externæ actiones ex se tendunt in honorem Idoli, & ad hunc finem institutæ sunt, &, spectatis circumstantiis, nonnisi ad illud ordinantur: unde, quæcumque alia sit intus latens intentio, a superstitione minime purgari queunt. Sicque declaratum est a Sacra Congregatione *de Propag. Fid.* die XII. Septembris 1645. declarationem approbante Innocentio X. relate ad illos Christianos, qui in Cinarum imperio genua Idolo flectebant, & alia Religionis officia peragebant, sed intentionem suam dirigentes ad Christum, vel ad Crucem inter flores altaris latentem.

VI. Duo contra afferri solent ex Scripturis exempla, alterum Jehu, qui simulavit, se velle sacrificium offerre Baal, quod 4. *Reg. c.* 10. Deum approbasse legitur; alterum Naaman Syri, qui ad veram fidem conversus, ab Elisseo licentiam petiit, ut cum suo Rege genua flecteret Idolo Rammon, cui Eliseus respondit: *Vade in pace*. Sed ad utrumque paucis respondeo. Et ad primum quidem hanc ex D. Augustino responsionem præbet S. Thomas 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. *ad* 2. dicens: *Simulationem Jehu non esse necesse excusari a peccato, vel mendacio; quia malus fuit, utpote ab idololatria Jeroboam non recedens. Commendatur tamen, & temporaliter remuneratus est a Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quo destruxit cultum Baal.*

Ad exemplum Naamani dico, non petiisse ab Eliseo, ut sibi liceret vel cultum exhibere Idolo, vel simulare Idolo latriam, & cultu saltem externo colere Idolum, sed ut obsequium humanum, quod Regi præstabat extra Templum, præstare etiam posset in Templo; atque adeo, quando Rex ipsi innixus se incurvaret, adorare volens Idolum, posset Naaman se quoque incurvare, non ad cultum simul cum Rege Idolo exhibendum, sed causa humani istius officii, quod Regi præstare solebat, ut etiam ex *cap.* 7. ejusdem libri constat. Et quamvis hujusmodi obsequium posset aliquando illicitum esse ratione scandali; hæc ratio tamen cessabat in Naamane, qui se veri Dei cultorem profitebatur, seque nolle deinceps idola colere protestatus est.

CONSECTARIUM TERTIUM.

VII. Negationis fidei reus est, qui negat *se esse Christianum*, si interrogatio ab Infidelibus fieret ad investigandam Religionem; non autem si dirigatur ad deprehendendam patriam, nationem, aliasve rationes ad fidem, aut Religionem minime pertinentes. Prima pars traditur a D. Augustino, qui *tract. 113. in Joan.* loquens de negatione Petri sic ait: *Sane in illa, quæ jam cœpta est, negatione Apostoli Petri debemus advertere, non solum ab eo negari Christum, qui dicit, eum non esse Christum; sed ab illo etiam, qui, cum sit, negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro.* Discipulum meum te negabis; *sed*: Me negabis. *Negavit ergo ipsum, cum se negavit ejus esse discipulum. Quid autem aliud illo modo, quam se negavit esse Christianum?* Idemque judicium ferendum de illo est, qui ab Hæreticis interrogatus, num sit *Papista*, aut *Pontificius*, ob finem Religionis detegendæ negaret.

Altera pars satis evidens est: quoniam eo in casu negare, se esse *Christianum*, &c. non esset negare fidem Christi, aut Ecclesiæ, cum aliò, quam ad fidem, interrogatio spectet.

CONSECTARIUM QUARTUM.

VIII. Si quis interrogetur ab Infideli, vel Hæretico non de Christiana aut Catholica professione, sed de munere, aut officio, quod in illa exercet, puta num sit *Sacerdos*, vel *Monachus*; non peccat contra fidem, si negat. Consistit enim professio Christianæ, aut Catholicæ Fidei absque eo, quod munus illud exerceat. Posset tamen peccare contra veracitatem, cum ita responderet, ut ejus responsio a mendacio purgari non posset; quod sane contingeret, cum responderet cum mentali restrictione, aut alio simili modo, qui revera mendacium sit. Idemque intelligendum de aliis responsionibus, quæ interdum quidem absque fidei negatione proferri valent, non tamen absque mendacio saltem officioso.

CONSECTARIUM QUINTUM.

IX. Si Princeps hæreticus edictum ferat in suo Regno, in quo præcipiat, ut sibi deferantur libri omnes in favorem Catholicæ Religionis editi ad eos comburendos, peccant contra fidem, qui hujusmodi libros deferunt. Siquidem cum tale edictum in odium, & contemptum Religionis Catholicæ latum fuerit, eidem parere perinde est, ac Principis infidelitati cooperari. Hinc qui olim tempore Diocletiani jubentis, ut sibi omnes traderentur Christianorum libri, ut comburerentur, ejus mandato paruerunt, veluti *Apostatas* habuit Ecclesia, ac *Traditores* vocati sunt.

CONSECTARIUM SEXTUM.

X. Non licet Catholico transeunti per Hæreticorum loca, aut cum Hæreticis versanti esus carnium diebus ab Ecclesia vetitis. Quamquam enim carnium esus diebus illis non sit, neque ex natura sua, neque ex lege signum falsæ sectæ protestativum; in his tamen locis ex utentium consuetudine tamquam signum habetur, nisi constet de contrario. Quoniam ab Hæreticis frequentari solet prava illa consuetudo in contemptum legis Ecclesiasticæ, vel certe in protestationem libertatis conscientiæ: cui contemptui, aut protestationi nunquam consentire fas est. Fieri tamen potest, ut in quibusdam circumstantiis hæc ratio locum non habeat, ut siqui carnes comedit diebus ab Ecclesia vetitis, testetur se iis indigere ad valetudinem, aut si palam constet, aliquem esse catholicum, fideique Catholicæ observantias, ac præcepta servare, ut reapse constat in Oratoribus Catholicorum Principum in Anglia, vel Hollandia degentibus, qui si diebus ab Ecclesia vetitis carnes edere conspiciantur, non ideo cum hæreticis consentire, aut præten-

tensæ libertati communicare reputantur.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

XI. Fidem implicite negant, falsamque sectam profiteri censentur, qui utuntur vestibus, aut signis sive ex lege, sive ex consuetudine institutis ad ministrum, aut professorem falsæ sectæ designandum. Equidem nemo unus dubitat licere uti vestibus, quæ sunt peculiares nationi, vel patriæ, in qua Infideles commorantur absque ullo ad Religionem respectu, quemadmodum inter ipsos Catholicos variæ sunt indumentorum differentiæ. Nonnulli quidem Theologi putant, ex gravi causa uti etiam licere iis vestibus, quæ juxta varia sectarum falsarum discrimina institutæ fuerunt ad designandos proprios cujusque sectæ ministros, ac professores. Quorum tamen sententia probanda non est. Siquidem, tametsi usus talium vestium absolute, & ex natura sua indifferens sit; posito tamen, quod vestes institutæ fuerint ad falsam Religionem protestandam, jam in communi hominum æstimatione falsam Religionem significant; & ab hac significatione, moraliter loquendo, separari nequeunt, itaut omnes, qui hisce indumentis indutum cernunt, statim judicent, ipsum talem, aut talem sectam profiteri, qualem vestimenta produnt. Hinc tamquam laxa rejicienda est doctrina P. Antonii a Spiritu Sancto, qui *Tract. 1. disput. 1. sect. 6.* scribit: *Satis probabile existimo, quod ex magna causa, v. g. ad evitandam mortem, victoria & hostibus reportandam, posse Christianos uti veste, instituta ad profitendam falsam sectam, v. g. veste Sacerdotali Turcarum, Vexillo, ubi depictus sit Mahometus. Ratio est: quia licet signa sint apud Turcas protestativa falsæ sectæ, possunt etiam assumi ad ornatum, vel ad significandam falsitatem sectæ.*

CONSECTARIUM OCTAVUM.

XII. Quod si contingat, vestem, aut signum aliquod esse in falsa Religione, quo indifferenter utantur tum illius ministri, tum etiam alii, qui ejusdem nationis sunt, adeo ut in communi existimatione nationis potius signum sit, quam religionis; tunc, si Christianus signum, aut vestem illam gestet, a peccato excusandum puto. Sic censent aliqui, quos inter est P. Contensonius, licite Mercatores in Turcarum imperio degentes uti Tobaliis albis, sive, ut vocant, *Turbante*, morem gentis imitantes: quoniam, ajunt, per ejusmodi usum minime se profitentur, Turcas esse, eum nationis potius signum sit, quam religionis. Alii tamen sunt, qui oppositum sentiunt. Quæ res facti eum sit, non aliunde, quam ex communi illius nationis consensu erui potest.

CONSECTARIUM NONUM.

XIII. Haud peccat contra suæ Religionis professionem Christianus, qui Templa ingreditur Infidelium, Judæorum, aut Hæreticorum. Hujusmodi enim ingressus protestatio Religionis non est, ut ex consuetudine, & usu communi constat. Siquidem cum hæc professio in facto posita sit, juxta communem hominum existimationem est accipienda. Porro communiter homines sive fideles, sive infideles ingressum Synagogæ, vel Templi Hæreticorum, aut infidelium, etiam dum sacræ ab ipsis functiones peraguntur, sectæ illius protestativum non æstimant. Unde si qui Infidelium Templa ingrediantur, inque ritibus, ac ceremoniis non communicent, nec ullum impendeat subversionis periculum; non est, cur ex hoc capite alicujus peccati contra fidem damnandi sint.

CONSECTARIUM DECIMUM.

XIV. Si tamen Princeps aliquis hæreticus publico edicto injungeret omnibus subditis suis frequentare Hæreticorum templa, eorumque precibus, cœtibus, & concionibus interesse; parere minime deberent Catholici, qui in ejus ditione versantur. Hinc, cum Rex Angliæ sub initium sæculi præcedentis talem

ste-

frequentiam Catholicis præcepisset, interrogatus Paulus V. an id ipsis liceret, re cum doctissimis Theologis communicata, respondit anno 1605. in hæc verba: *Accepimus compelli vos, gravissimis pœnis propositis, Templa Hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse. Profecto credimus procul dubio, eos, qui tanta constantia atrocissimas persecutiones &c. perpessi sunt, ut immaculate ambularent in domo Domini, nunquam commissuros esse, ut coinquinentur communione desertorum divinæ legis. Nihilominus zelo Pastoralis officii nostri impulsi, & pro paterna sollicitudine, qua de salute animarum vestrarum assidue laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad Templa Hæreticorum accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus, ac vestræ salutis.*

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XV. Si urgeat famis necessitas, comedi possunt idolothyta, sive carnes, aut cibi idolis consecrati, dummodo species absit superstitionis, cultus falsæ sectæ, vel etiam scandalum. Hoc eruitur ex verbis Apostoli 1. *ad Corinth. cap.* 10. ubi primum ait: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Siquis autem dixerit: hoc immolatum est idolis; nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* Ubi liquet, peccatum non referri nisi in scandalum, quod subesse aliquando potest. Quod clarius explicat *cap.* 8. dicens: *Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum, cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo: neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque, si non manducaverimus, deficiemus. Videte, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* In quibus manifestum est, nullam etiam S. Paulum culpam cognoscere in idolothytorum comestione nisi scandalum, aut offendiculum, quod esse potest relate ad alios. Hoc magis declarat S.Thomas *in* 4.*dist.*38. *quæst.*1. inquiens: *Satius est fame mori, quam idolothyto vesci, scilicet cum scandalo: quia primum est malum pœnæ, secundum malum culpæ. Non tamen debet aliquis se dimittere fame mori, antequam cum scandalo idolothytum comedat: quia injiceret sibi manus, & sic cum malo pœnæ adjungeretur malum culpæ.* Perspicua quoque ratione comprobatur. Nam cibi instituti sunt ad corpus alendum, non ad profitendam religionem; nec ulla reapse in eorum usu infidelitatis protestatio est. Contempta proinde superstitione infidelium, & cessante scandalo, comedi licite poterunt, urgente maxime necessitate alendæ vitæ.

R E F L E X I O.

Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua. Valde formidanda a Christianis omnibus, simulque serio animo ponderanda, atque meditanda sententia. Quid enim timendum magis, quam in supremi Judicii die habere Christum Judicem adeo infensum, ut nolit omnes, qui ipsum, aut sermones suos erubuerint, inter electos agnoscere, & computare, adeoque tamquam reprobos abs se repellere, veluti dignos supplicio sempiterno? Quid attentiore ponderatione, ac meditatione dignius, quam tanta calamitas, qua major nulla esse, ac ne fingi quidem mente potest, quæ his superventura certo est, qui libero, erectoque animo Christum confessi non fuerint? Sed quinam censendi sunt, quos Christus, *cum venerit in majestate sua, erubescet*; & tamquam se, & gloria sua indignos ad æternum ignem condemnabit?

Non

Non ii duntaxat, qui coram Tyrannis atrocia tormenta, & mortem minitantibus ipsum, fidemque suam aut abnegatunt, aut impavide professi non sunt. Perpendamus attentius Evangelica verba: *Qui me erubuerit*, inquit Christus Dominus, *& meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua*. *Qui me erubuerit*: Haud sane hic loquitur de divinitate sua, de sapientia, de omnipotentia, de eximiis aliis prærogativis, quibus splendidissime effulget; neque enim hæc sunt argumenta ruboris. Sed qui *me erubuerit* hominem pauperem, abjectum, humilem, opprobriis, & ignominiis saturatum, persecutionibus exagitatum, crucifixum, & mortuum. Qui *erubuerit sermones meos*, præceptiones, doctrinas quas tum alias, tum præcipue *sermone* a me habito *in Monte* Discipulis meis præscripsi; humilitatem, quam prædico, patientiam, mansuetudinem, contemptum Mundi, voluptatum fugam, tolerantiam crucis, pœnitentiæ amorem, fraternam dilectionem etiam erga inimicos, ac virtutum omnium exercitia. *Qui erubuerit me coram hominibus*, ut alibi habent; qui magis Mundo displicere timent, quam mihi; qui ob humanos respectus, ob improborum dicteria, aut irrisiones pietatis opera etiam debita derelinquunt; qui veluti quidam *Judæorum Princeps*, de quo locutus sum, *diligentes gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*, quamquam *in me credant*, *propter Pharisæos non confitentur*, *ut e Synagoga non ejiciantur*; sive ne veluti nimium rigidi traducantur, ne amittant cœtum hominum ad se confluentium, ne iis displiceant, quibus placere student, infracto animo doctrinas meas, ac præcepta non eo modo, quo deberent, annuntiant, sed illa lævigant, plus æquo emolliunt, corruptis hominum appetitionibus accommodant, atque pervertunt.

Hoc sensu explicanda, ac intelligenda est præfata Christi sententia; nec alio, ut arbitror quidem, intelligi recte potest. Verum, si res ita se habet, heheu quot sunt inter Christianos, qui licet fidem Christi profiteantur, Christum tamen *erubescunt*, adeoque obnoxios reddunt sese terribili illi sententiæ, ut & ipse eos *erubescat*, *cum venerit in majestate sua*! Quot ubique Christianos invenias, qui verbis quidem Christum confitentur, factis tamen & moribus negant; ac, dum Crucem ejus quotidie signant in fronte, eos tamen pudet Christianam sectari modestiam, humilitatem, aliasque ab ipso tantopere commendatas virtutes; vitaque sua se carnis, ac mundi potius discipulos confitentur, quam Christi! Quot sunt Magistri in Israel, qui veritates Evangelicas *in injustitia detinent*, *ut loquantur hominibus placentia, & videant, ac sanam doctrinam non sustinentibus errores* cum sermonibus Christi aperte nimium pugnantes doceant! Nonne omnes hi, aliique *erubescunt Christum*, *& sermones ejus*? Erubescunt, inquam, si minus ut Magistrum fidei, saltem ut Magistrum morum; quod perinde plane est: neque enim minus oportet confiteri, & profiteri Christum ut Morum, quam ut Fidei Doctorem, atque Magistrum.

Audiant hi omnes, quid in laudatum Evangelii textum scribit Magnus S. Gregorius homil. 32. „ Ecce nunc apud se homines dicunt: Nos jam Dominum, & sermones „ ejus non erubescimus; quia aperta eum „ voce profitemur. Quibus ego respondeo, „ quod in hac plebe Christiana sunt non„ nulli, qui Christum ideo confitentur, quia „ cunctos Christianos esse conspiciunt .... Nam „ si nomen Christi in tanta hodie gloria „ non esset, tot Professores Christi Sancta „ Ecclesia non haberet. Non ergo ad pro„ bationem fidei vox sufficit professionis, „ quam defendit a verecundia professio ge„ neralitatis &c. De eo se quisque in„ terroget, & in confessione Christi se ve„ raciter probet, si non jam nomen ejus „ erubescit, si plena virtute mentis huma-

num

„ num pudorem subdidit. Certe enim persecutionis tempore erubescere poterant fideles, substantiis nudari, de dignitatibus dejici, verberibus affligi. Pacis autem tempore, quia hæc a nostris persecutoribus desunt, est aliud, unde ostendamur nobis. Veremur sæpe a proximis despici, dedignamur injurias verbi tolerare. Si contingat jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere: cor quippe carnale, dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit. Pensemus facta veritatis, & videamus, quo jaceant nostræ pravitatis actiones ".

Audiant etiam S. Augustinum *Enarrat. in Psal.* 39. ita differentem. „ Sunt Christiani: habent fidem in corde, & inter paganos avaros, fordidos, infideles, ineptos, insultatores, si exagitari cœperint, quia Christiani sunt; habent in corde fidem, & timent confiteri per labia; prohibet labia sua sonare, quod norunt, sonare, quod intus habent. Sed reprehendit hos Dominus: *Qui me confessus non fuerit coram hominibus, confundar de illo, quia erubuit me confiteri coram hominibus, coram Patre meo*; idest: non cum agnoscam; non eum confitebor coram Patre meo. Dicant ergo labia, quod habet cor; hoc contra timorem habeat cor, quod dicunt labia: Hoc contra simulationem labia, hoc contra habeant labia, quod credit cor. Aliquando enim timor est; & non audes dicere, quod nosti, quod credis: aliquando simulatio; dicis, & non habes in corde. Consentiant labia tua cordi tuo.

Non erubescamus igitur *Christum*, *neque sermones ejus*, quibus nos docet paupertatis amorem, humilitatem, patientiam, cæterasque virtutes, ne & ille aliquando erubescat nos, *cum venerit in majestate sua*. Publice gloriemur, sicut Apostolus præcipit, *in Cruce Christi, in qua est vita, & resurrectio nostra*. Contemnamus inanes, vanosque respectus in sectanda fideliter Evangelica doctrina, eaque si quandoque oporteat, asserenda, ac defendenda ab iis, qui vel eam corrumpere moliuntur, vel ut carni & sanguini oppositam amplecti dedignantur, omni posthabito timore displicendi hominibus; dicamusque cum eodem Apostolo: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*; adeoque nec partem habiturus in Regno suo.

CAPUT VIII.

De vitio Fidei opposito, scilicet Infidelitate.

DOCTRINA.

I. *Duplex infidelitas; alia negativa; alia positiva, sive contraria.*

II. *Infidelitatis contrariæ peccati qualitas exposita.*

III. *Non ita hoc peccatum inficit infidelium opera, ut omnia peccata sint.*

IV. *Species infidelitatis assignantur.*

V. *Doctrina S. Thomæ quoad disputationem de fidei veritatibus fidelium cum infidelibus.*

VI. *Quid sentiendum de celebri Canone, quo cuicumque laicæ personæ prohibita videtur disputatio de fide Catholica.*

VII. *Quænam ex jure præsertim naturali interdicta sit communicatio fidelium cum infidelibus.*

VIII. *Quænam ex jure positivo.*

IX. *Qui fidem nunquam susceperunt, ad eam compellendi non sunt: qui autem professi jam sunt, ad illam metu etiam pœnarum urgendi.*

X. *Instituenda de novo non est, cum id fieri potest, prælatio infidelium supra fideles: eadem tamen christiane sustinenda, dum præexistit.*

XI. *Christiani Principes permittere licite possunt in suis ditionibus sectas, & ritus religio-*

ligiosos infidelium ; præsertim si absque perturbatione , & scandalo eos impedire nequeant .

XII. *Momenta indicantur , quibus probat S. Thomas , pueros infidelium baptizandos non esse , invitis parentibus .*

XIII. *Quid ex postrema S. Doctoris ratione consequatur .*

§. I.

Notio & qualitas peccati Infidelitatis .

I. VITIUM fidei oppositum infidelitas est. Hujus peccati germanam notionem , & ideam exhibet Angelicus Doctor 2. 2. q. 10. duplicem in ipsa considerationem distinguens . *Uno modo* , inquit , *secundum puram negationem ; ut dicatur infidelis ex hoc solo , quod non habet fidem : alio modo intelligi potest infidelitas secundum contrarietatem ad fidem ; quia scilicet aliquis repugnat auditui fidei , vel etiam contemnit ipsam , secundum illud Isaiæ* 53. Quis credidit auditui nostro ? *Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis : & secundum hoc infidelitas est peccatum . Si autem* , subdit , *accipiatur secundum puram negationem , sicut in illis , qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati , sed magis pœnæ : quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est .*

Duplicem ergo infidelitatem distinguere oportet : aliam , quæ *mere negativa* est , & in his locum habet, *qui nihil de fide audierunt* , seu quibus fides satis proposita non est ; & hæc non est peccatum , sed peccati pœna ex peccato primi parentis profecta : adeoque qui hujusmodi infidelitate, seu ignorantia divinorum laborant, *damnantur quidem*, inquit S. Doctor , *propter alia peccata , quæ sine fide remitti non possunt;non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.Unde Dominus dicit Joan.* 15. Si non venissem , & locutus eis non fuissem , peccatum non haberent . *Quod exponens Augustinus dicit , quod loquitur de illo peccato , quo non crediderunt in Christum .*

At infidelitas *contraria* (ad quam aliqui revocant etiam *privativam*) semper peccatum est ; & in eo consistit , quod aliquis repugnet fidei , seu fidei veritati sibi sufficienter propositæ .

II. Hoc peccatum infidelitatis , sicut & fides , ut observat idem S. Doctor art. 2. *est quidem in intellectu , sicut in proximo subjecto ; in voluntate autem , sicut in proximo motivo :* oriturque ex superbia , ex qua homo subjicere renuit intellectum suum veritatibus fidei sibi propositis . Et quamvis non sit peccatorum maximum relate ad peccata , quæ opponuntur aliis virtutibus theologicis, ac præsertim charitati ; gravissimum tamen est , ac *majus peccatis omnibus , quæ contingunt in perversitate morum* . Nihilominus quidpiam esse aliquando potest , quod ejusdem minuat gravitatem . Unde S. Thomas *art.* 3. *ad* 1. expendens illa Apostoli verba : *Prius fui blasphemus , & persecutor , & contumeliosus ; sed misericordiam consequutus sum , quia ignorans feci in incredulitate:* advertit, *quod infidelitas habet ignorantiam adjunctam , & habet renitentiam ad ea, quæ sunt fidei: Et ex hac parte habet rationem peccati gravissimi . Ex parte autem ignorantiæ habet aliquam rationem excusationis , & maxime quando aliquis ex malitia non peccat sicut fuit in Apostolo :* quod etiam asserere possumus de quibusdam simplicioribus , ac rudioribus maxime inter hæreticos , qui renituntur quidem veritatibus fidei catholicæ , & in hoc graviter peccant; sed tamen id non agunt *ex malitia* , sed ex sola ignorantia licet vincibili , & culpabili.

III. At vero , cum infidelitas isthæc *contraria* peccatum est, numquid tale peccatum censeri debet , ut inficiat , & corrumpat omnia opera infidelium , adeo ut nulla sit ipsorum actio , quæ non sit peccati labe polluta ? Quæstionem hanc excitat S. Thomas sequenti *art.* 4. eamque fuso calamo pertractant plures Theologi . Satis mihi est , quæ ad

ad illam resolvendam affert S. Doctor, ex quibus veritas in luce nitidissima collocatur. Respondet igitur: „ Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem; non autem totaliter corrumpit bonum naturæ. „ Unde cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent: remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde manifestum est, quod infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt.

„ Unde non oportet, quod in omni suo opere peccent. Sed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando; ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis ". Hæc ille, qui subinde solvit juxta hanc doctrinam argumenta, quæ sibi objecerat. Et in *resp. ad* 2. notat, quod *fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis: sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis*.

§. II.

Species Infidelitatis.

IV. Tres assignari communiter solent infidelitatis species; nempe *Paganismus*, *Judaismus*, & *Hæresis*, ad quam reducitur *Apostasia*; quemadmodum Atheismus, & Mahometismus ad Paganismum. Hujusce divisionis pulcram affert rationem S. Thomas *q.* 10. *art.* 5. scilicet: „ Cum peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere dupliciter: quia aut renititur fidei nondum susceptæ; & talis infidelitas est *Paganorum*, sive Gentilium. „ Aut renititur fidei Christianæ susceptæ: „ & hoc vel *in figura*, & sic est *infidelitas Judæorum*: vel in ipsa *manifestatione veritatis*; & sic est *infidelitas Hæreticorum*. Unde in generali possunt assignari tres prædictæ species infidelitatis ".

Ex tribus hisce infidelitatis speciebus definit S. Doctor *art.* 6. simpliciter graviorem esse infidelitatem *Hæreticorum*, quam Judæorum, & *Judæorum*, quam Paganorum, si culpa infidelitatis spectetur ex hoc, quod renititur fidei. Major namque culpa est reniti fidei susceptæ, quam nondum susceptæ; & major reniti fidei susceptæ in manifestatione veritatis, quam in figura. Addit tamen, graviorem esse infidelitatem Paganorum, quam aliorum, prout scilicet consideratur corruptio eorum, quæ ad fidem pertinent: quia in pluribus errant Gentiles, quam Judæi, & Judæi, quam Hæretici, nisi forte quidam Hæretici, ut olim Manichæi, errent in pluribus, & forte nunc etiam *Socíniani*; quorum hæresis pestilentior omnibus est, ac omnibus ferme Christianæ fidei veritatibus adversatur.

§. III.

Num liceat cum Infidelibus publice disputare de Fide?

V. Circa publicam disputationem de fidei veritatibus fidelium cum infidelibus, hæc est solida, ac limpidissima S. Thomæ doctrina. Duo ille distinguit *art.* 7. in hac disputatione; alterum quod se tenet ex parte *disputantis*, & aliud ex parte *audientium*. „ Ex parte quidem disputantis (ait) est consideranda intentio. Si enim disputet tamquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certa non supponens, sed argumentis experiri intendens; procul dubio peccat tamquam *dubius in fide*, & infidelis. Si autem *disputet aliquis de fide ad confutandum errores*, vel etiam ad exercitium,

„ nium, laudabile est ". Quibus addere oportet, idem judicium ferendum esse, si vel is, qui disputationem cum infidelibus instituit, satis doctus sit, ut possit eorum argumenta refellere, & disputationem suscipiat, ut vel fidem defendat, vel alios ad fidem convertat. Nam si indoctus esset, aut nesciret infidelium argumenta dissolvere, tunc & seipsum periculo perversionis exponeret, & aliis praeberet occasionem ruinae. Atque hoc quidem ex parte disputantis.

„ Ex parte vero audientium, sequitur S. „ Thomas, considerandum est, utrum illi, „ qui disputationem audiunt, sint instructi, & firmi in fide, aut simplices, & in „ fide titubantes. Et quidem coram sapientibus in fide firmis, nullum periculum „ est disputare de fide. Sed circa simplices „ est distinguendum: quia aut sunt sollicitati, sive pulsati ab Infidelibus, puta „ Judaeis, vel Haereticis, sive Paganis nitentibus corrumpere in eis fidem, aut omnino non sunt sollicitati super hoc, sicut in „ terris, in quibus non sunt infideles. In „ primo casu necessarium est publice disputare de fide, dummodo inveniantur aliqui „ ad hoc sufficientes, & idonei, qui errores „ confutare possint. Per hoc enim simplices „ in fide firmabuntur, & tolletur infidelibus „ decipiendi facultas, & ipsa taciturnitas eorum, qui resistere deberent pervertentibus „ fidei veritatem, esset erroris confirmatio. „ Unde Greg. in 2. Pastor. *Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit* ".

„ In secundo vero casu periculosum est publice disputare de fide coram simplicibus, „ quorum fides ex hoc est firmior, quia nihil diversum audierunt ab eo, quod credunt. Et ideo non expedit eis, ut verba „ infidelium audiant disputantium contra „ fidem. "

VI. Circa hanc quaestionem controversia est circa rectam intelligentiam Canonis Alexandri IV. C. *Quicunque* tit. de Haereticis, ubi Summus Pontifex prohibet, *ne cuiquam laicae personae liceat publice, vel privatim de fide Catholica disputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*: Quid nempe veniat nomine *personae laicae*. Et quidem frequentior apud Theologos expositio est, quod significet personam *saecularem*, prout contraponitur *ecclesiasticae*: adeoque dicunt, cuicumque saeculari personae vigore hujus Canonis interdictum esse disputare cum infidelibus, sive Pagani sint, sive Judaei, sive Haeretici. Sed alii sunt doctissimi Viri, qui contra sentiunt, eo vocabulo *illiteratam* personam intelligi; quia sic ferebat usus latinae linguae temporibus, queis praefatus Canon editus est, ut ita personae quaevis etiam ecclesiasticae rudes, & indoctae nominarentur: idque probat pluribus in medium productis exemplis ex Glossario Du-Fresne Ludovicus Antonius Muratorius sub nomine *Lamindi Pritanii* in Opere: *Riflessioni sopra il buon gusto p. 2. cap. 7.* ubi etiam in confirmationem affert authoritatem Oderici Vitalis, qui animadvertit, tunc temporis doctum laicum *Clericum* vocari coeptum fuisse, & contra ignorantes quoque Ecclesiasticos *Laicos* appellatos; & Gallos etiam olim doctum hominem pro *Clerico* accepisse. Unde ajunt hujus sententiae defensores, quos inter Cajetanus, Bannez, Ledesma, Granadus, Reginaldus, aliique, eo in Canone nonnisi indoctis viris, sive saeculares sint, sive ecclesiastici, prohiberi disputationem de fidei veritatibus cum infidelibus, quicumque fuerint Pagani, Judaei, aut Haeretici.

In hanc ego quoque sententiam proclivior sum, tum quia graviora mihi videntur illius fundamenta, tum quia quae afferuntur pro contraria, haud magni ponderis existimo. Quidquid tamen sit, cum hujusmodi disputationes de fidei Mysteriis cum infidelibus, praesertim publicae, rarissime probandae

bandæ sint : ex iis namque nulla plerumque consequitur utilitas ; si tamen eventus contingat aliquando, ut vel necessitas poscat, vel magna utilitas merito sperari valeat, puta si infidelis conaretur alios avertere a fide, nec adesset persona ecclesiastica, quæ ejus sophismata dissolveret ; tunc sæcularis doctus posset, quin & deberet hoc officium assumere, & infideles sive privatim, sive etiam publice de errore convincere, ac fideles in fide confirmare. Tunc enim lex ipsa naturalis urgeret, ut juxta Apostoli verba *eos, qui contradicunt, argueret*, & fidelibus periclitantibus opem ferret, etiam disputando, & veritates fidei defendendo.

§. IV.

De communicatione cum Infidelibus .

VII. Nedum cum infidelibus disputare de fide minime licet juxta ea, quæ dicta modo sunt, sed nec etiam in quibusdam casibus communicare cum ipsis. Circa quod optimas regulas tradit S. Præceptor *art*, 9. duplicem considerans prohibitionis rationem ; aliam scilicet, quæ fit in pœnam illius, cui communio fidelium subtrahitur ; aliam, quæ fit ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne aliis communicent. „ Primo ergo mo„ do (ait) non interdicit Ecclesia fidelibus „ communionem infidelium, qui nullo mo„ do fidem Christianam receperunt, scili„ cet Paganorum, vel Judæorum : quia non „ habet de eis judicare spirituali judicio, „ sed temporali in casu, cum inter Christia„ nos commorantes aliquam culpam com„ mittunt, & per fideles temporaliter puni„ untur. Sed isto modo scilicet *in pœnam*, „ interdicit Ecclesia fidelibus communionem „ illorum infidelium, qui a fide suscepta „ deviant vel corrumpendo fidem, sicuti Hæ„ retici, vel etiam totaliter a fide receden„ do, sicut Apostatæ : in utrosque enim ho„ rum excommunicationis sententiam pro„ fert Ecclesia ".

Expendit deinde rationem alteram, cur hæc prohibitio fiat, scilicet ad cautelam fidelium, eisque distinctione opus esse propter diversas conditiones personarum, negotiorum, & temporum. „ Si enim aliqui fuerint „ firmi in fide, ita quod ex communione „ eorum cum infidelibus conversio Infidelium „ magis sperari possit, quam fidelium a fide „ aversio, non sunt prohibendi infidelibus „ communicare, qui fidem non susceperunt, „ scilicet Paganis, vel Judæis, & maxime „ si necessitas urgeat. Si autem sint sim„ plices, & infirmi in fide, de quorum sub„ versione probabiliter timeri possit, pro„ hibendi sunt ab infidelium communione, „ & præcipue ut magnam familiaritatem „ cum eis habeant, vel absque necessitate „ eis communicent ".

Hinc in *resp. ad* 3. sapienter animadvertit, quod Dominus fidelis possit habere servum infidelem, sive Paganum, sive Saracenum, eo quod probabile magis sit, quod servus, qui regitur imperio Domini, *convertatur ad fidem Domini fidelis, quam e converso ; & ideo non est prohibitum, quin fideles habeant servos infideles*. Si tamen, apposite subdit, *Domino periculum immineret ex communione talis servi, deberet eum a se abjicere secundum illud mandatum Domini* : Si pes tuus scandalizat te &c.

VIII, Præter communicationem in ritibus, & cultu superstitioso, quam nunquam habere fas est cum infidelibus sunt casus aliqui, in quibus Ecclesia canonico jure eam tem vetuit præsertim cum Judæis communicationem. Et hi præcipui sunt : nimirum ne Christiani cum Judæis habitent, comedant, simul laventur in balneo, ipsis famulatum præstent, multoque magis se ipsis tamquam servos, aut mancipia subjiciant, ne ad morbos curandos adhibeant, aliaque hujusmodi, in quibus legitimæ inter Christianos observandæ sunt consuetudines, maximeque attendendus spiritus Ecclesiæ

Ecclesiæ præcipientis, qui eo tendit, tum ut subversionis præcaveatur periculum, tum etiam ne honor, ac dignitas Christianæ Religionis violetur, aut ullo modo lædatur.

§. V.

De potestate Christianorum in Infideles.

IX. Ad hoc argumentum revocantur ea, quæ traduntur a S. Thoma sequentibus articulis *quæst.* 8. de quibus quædam cursim dabimus. Primum igitur *art.* 8. inquirit, num Infideles ad fidem sint compellendi? qua in quæstione duplex distinguit genus infidelium. Alii namque sunt, qui fidem nunquam susceperunt, sicut Pagani, Mahometani, ac Judæi, Et hujusmodi nullatenus ad fidem compellendi sunt, ut ipsi fidem amplectantur, & credant: *quia credere voluntatis est*; & coactio non est legitima, nisi quis jurisdictione gaudeat in eos, qui coguntur. Porro nec Ecclesia, nec Christiani Principes jurisdictione gaudent in voluntatem prædictorum Infidelium, sicut neque in personas, si sint extranei. *Sunt tamen*, subjicit S. Doctor, *compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent: non quidem ut eos ad credendum cogant: quia si etiam eos vicissent, & captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent; sed propter hoc ut eos compellant, ne fidem Christi impediant.* Possunt etiam, si Christianorum Principum subditi sint, ab iis obligari, ne ea peragant, quæ legi naturali adversantur, & cogere ad hujusce legis observantiam: quoniam legum naturæ observantia, cum ad rempublicam recte administrandam conducat, sub potestate cadit Principis temporalis. Atque etiam illos cogere possunt, aliqua pœna denunciata, ut audiant fidei doctrinam, quemadmodum & Romæ semel in hebdomada, & aliquando in aliis Civitatibus Judæi adstringuntur.

Sed alii sunt Infideles, qui fidem Christi jam susceperunt, aut eam professi sunt, ut Hæretici, & Apostatæ. *Et tales*, inquit S. Thomas, *sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt; & teneant, quod semel susceperunt.* Sunt enim per Baptismum effecti subditi Ecclesiæ, quoad ea, quæ ad salutem, & Religionem pertinent; adeoque Ecclesia etiam censurarum metu compellere eos potest ad leges suas observandas, & Principes ipsi Christiani pœnarum temporalium comminatione, dum id expedire judicaverint.

X. *Art.* 10. S. Præceptor quærit, *utrum infideles dominium habere possint supra fideles?* Et hanc quæstionem solida, ac dilucida doctrina resolvit inquiens: " Circa hoc dupliciter
" loqui possumus. Uno modo de Prælatione,
" aut Dominio infidelium supra fideles de
" novo instituenda; & hoc nullo modo permitti debet: cederet enim hoc in scandalum, & in periculum fidei. De facili enim
" illi, qui subjiciuntur aliorum jurisdictioni,
" immutari possunt ab eis, quibus subsunt, ut sequantur illorum imperium, nisi illi, qui subsunt fuerint magnæ virtutis. Et similiter Infideles contemnunt fidem, si fidelium defectus cognoscant &c.

" Alio modo possumus loqui de dominio,
" vel prælatione jam præexistente. Ubi considerandum est, quod dominium, & prælatio introducta sunt ex jure humano [a
" jure naturæ profecto]. Distinctio autem
" fidelium, & infidelium est ex jure divino.
" Jus autem divinum, quod est ex gratia,
" non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione. Ideo distinctio fidelium, &
" infidelium secundum se considerata non tollit dominium, & prælationem infidelium
" supra fideles,

Hoc confirmat *in resp. ad* 2. loquens de iis Chri-

Christianis, qui erant sub dominio Paganorum Principum tempore primitivæ Ecclesiæ dicens: " Prælatio Cæsaris præexistebat distinctioni fidelium ab infidelibus: unde non „ solvebatur per conversionem aliquorum ad „ fidem, & utile erat, quod aliqui fideles „ locum in familia Imperatoris haberent ad „ defendendum alios fideles. Sicut Beatus Se„ bastianus Christianorum animos, quos in „ tormentis videbat deficere, confortabat; „ & adhuc latebat sub militari chlamyde in „ domo Diocletiani ". Plura animadverterem circa alia, quæ habet in hoc articulo, quemadmodum & *in art.* 2. *q.* 12. Sed quia hæc ad præsens institutum meum parum, aut nihil pertinent, ideo ea prætereo.

XI. Quæstionem aliam movet S. Doctor *art.* 11. circa *ritus* Infidelium, Gentilium præsertim, ac Judæorum: eamque resolvit præclara proposita doctrina ab ipso supremo gubernatore Deo deducta. " Humanum, inquit, regimen derivatur a divino regimine, „ & ipsum debet imitari. Deus autem, „ quamvis sit omnipotens, & summe bonus, „ permittit tamen aliqua mala fieri in uni„ verso, quæ prohibere posset; ne, eis sub„ latis, majora bona tollerentur, vel etiam „ pejora mala sequerentur. Sic ergo & in „ regimine humano illi, qui præsunt, recte „ aliqua mala tolerant, ne aliqua bona im„ pediantur, vel etiam ne aliqua mala pe„ jora incurrantur: sicut Augustinus dicit in „ lib. 2. de Ordine: *Aufer meretrices de re„ bus humanis, turbaveris omnia libidinibus*. „ Sic ergo, quamvis infideles in suis ritibus „ peccent, tolerari possunt vel propter ali„ quod bonum, quod ex eis provenit, vel „ propter aliquod malum, quod vitatur.

„ Ex hoc autem [subdit specialiter loquens „ de ritibus, quos etiam nunc observant Ju„ dæi] quod Judæi ritus suos observant, „ in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, „ quam tenemus; hoc bonum provenit, quod „ testimonium fidei nostræ habemus ab ho„ stibus; & quasi in figura nobis repræsenta„ tur, quod credimus. Et ideo in suis ritibus „ tolerantur.

„ Aliorum vero infidelium ritus, qui ni„ hil veritatis, aut utilitatis afferunt, non „ sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad „ aliquod malum vitandum, scilicet ad vi„ tandum scandalum, vel dissidium, quod „ ex hoc posset provenire, vel impedimen„ tum salutis eorum, qui paulatim sic tole„ rati convertuntur ad fidem ". Hic S. Augustinus *Epist.* 50. docet, Ezechiam, & Josiam Reges Judææ in hoc commendari in Sacris Libris, quod Deo vero famulatum præstiterint jubendo, ut luci, ac templa Idolorum, ac *excelsa*, quæ adversum Dei præceptum constructa fuerant, diruerentur. Et in Lege Evangelica laudantur Constantinus Magnus, & alii Christiani Imperatores, quod Idolorum Templa claudenda præceperint. Hinc etiam in Viennensi Concilio prohibetur, ne Catholici Principes permittant, Saracenos sibi subjectos publice Mahumetum invocare, aut peregrinationes ad ejus sepulchrum instituere.

XII. Demum S. Thomas *art.* 12. proponit, ac resolvit celebrem controversiam, num pueri Judæorum, aliorumque infidelium baptizandi sint, invitis parentibus? De qua quæstione cum frequentius a Theologis disseratur in Tract. *de Baptismo*; idcirco hic tantum ejus responsionem negantem attingo, ejusque fundamenta, quibus illam confirmat: quorum primum est, quod Ecclesiæ consuetudo, quæ maximam hac in re authoritatem habere debet, nunquam habuit, ut *Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi &c., qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi*.

Fundamentum alterum profert ex periculo fidei. Si enim pueri nondum usum rationis ha-

habentes Baptismum susciperent, postmodum, cum ad perfectam ætatem pervenirent, facile possent induci a parentibus, ut eam desererent, quam ignorantes susceperunt, quod vergeret in fidei detrimentum.

Tertium fundamentum ex eo desumit, quod id repugnet justitiæ naturali. Nam filius est naturaliter aliquid Patris. " Et primo qui„ dem, ait, a parentibus non distinguitur „ secundum corpus, quamdiu in Matris ute„ ro continetur: Postmodum vero, postquam „ ab utero egreditur, antequam usum libe„ ri arbitrii habeat, continetur sub paren„ tum cura, sicut sub quodam spirituali ute„ ro. Quamdiu enim usum rationis non ha„ bet puer, non differt ab animali irratio„ nali: unde sicut bos, vel equus est alicu„ jus, ut utatur eo, cum voluerit, secun„ dum jus civile, si ut proprio instrumento; „ ita de jure naturali est, quod filius, an„ tequam habeat usum rationis, sit sub cu„ ra patris. Unde contra justitiam natura„ lem esset, si puer, antequam habeat usum „ rationis, a cura parentum subtrahatur, vel „ de eo aliquid ordinetur, invitis parenti„ bus. Postquam autem incipit habere usum „ liberi arbitrii, jam incipit esse suus; & „ potest quantum ad ea, quæ sunt juris di„ vini, vel naturalis, sibi ipsi providere. „ Et tunc est inducendus ad fidem non coac„ tione, sed persuasione; & potest, etiam „ invitis parentibus, consentire fidei, & bap„ tizari &c. ".

XIII. Ex qua ratione consequens illud est, quod si a parentibus infidelibus pueri ad Baptismum sponte offerantur ex aliquo motivo, quodcumque illud sit, puta ne a Dæmonio vexentur, vel ut suæ indigentiæ provideant, tunc baptizari possint; quoniam hoc pacto puerorum saluti consulitur absque parentum injuria; cedunt enim proprio juri hoc ipso, quod illos sponte ad Baptismum offerant. Immo necesse tunc non est, ut ambo filios offerant, sed sufficit, ut unus, aut alter, sive pater sit, sive mater. Atque hæc de duabus speciebus Infidelitatis, Judaismo scilicet, & Paganismo, satis. Nam de tertia, nempe Hæresi quædam specialiter adnotanda sunt.

CAPUT IX.

De Hæresi.

D O C T R I N A.

I. *Hæresis definitio proposita, & explicata.*

II. *Amplior ex S. Thoma ejusdem declaratio.*

III. *Pertinacia hæresis propria est; eamque a cæteris peccatis distinguit.*

IV. *De dubio in fide. Quo pacto intelligendum sit illud effatum:* Dubius in fide hæreticus est.

V. *Quædam aliquando dubitatio est circa fidem absque hæresi.*

VI. *Dubitatio pertinax de aliqua veritate ad fidem pertinente, saltem moraliter loquendo, nunquam est sine hæresi.*

VII. *Apostasia multiplex. Quid sit prout est a fide.*

VIII. *De Apostasia ab* Ordine Sacro.

IX. *De Apostasia a Religione. Quid ad hanc requiratur.*

X. *Verisimilius* Apostata *non est, qui propriam Religionem absque licentia deserit, animo ad aliam Religionem transeundi.*

XI. *Communior, ac verior sententia est non incurrere excommunicationem latæ sententiæ, qui licet suam Religionem deserat, illius tamen habitum non dimittit.*

XII. *Eam tamen incurrere, qui etiam cum voluntate non deserendi Religionem habitum* temere *dimittit.*

XIII. *Pœnæ temporales, quibus hæretici mulctari solent.*

XIV. *Pœnæ spirituales in eosdem ab Ecclesia statutæ.*

XV. *Quædam observantur circa excommunicationem in hæreticos latam.*

XVI. *Nec hæretici pure mentales, nec solo exter-*

terno actu hac censura innodantur.

XVII. *Bene vero, qui assensum interius errori præstantes, illum signo aliquo externo, etiam occulto, produnt.*

XVIII. *Prohibitio legendi Hæreticorum libros, alia ex jure naturæ profluit; alia ex jure humano positivo. Utraque explicatur.*

§. I.

Legitima notio hæresis explicatur.

I. HÆRESIS, prout hoc nomen in præsenti sumitur, scilicet pro specie quadam infidelitatis, qua *quis fidem Christi profitetur, sed ejus dogmata corrumpit*; definiri frequentius solet: *Error intellectus voluntarius, & pertinax contra aliquam veritatem fidei Catholicæ in eo, qui fidem recepit.* Dicitur in primis *error intellectus*; quia sicut fides ad intellectum pertinet, ita etiam hæresis, quæ fidei opponitur. Additur *voluntarius*: quoniam sine voluntate nullum peccatum est; & sicut assensus fidei pendet a pio voluntatis affectu, ita a perversa voluntate fidei contraria hæresis originem trahit. Subditur *pertinax*; quæ particula maxime propria hæresis est, ac significat *electionem constantem*, sive obstinatam in errore deliberationem. Demum error iste, ut hæresis dicatur, *in eo* fit oportet, *qui Catholicam fidem recepit*. Qui enim fidem nunquam recepit, non hæreticus, sed Judæus, Paganus, sive Mahumedanus dicendus est, cujus infidelitas ad aliam duplicem speciem jam expositam spectat.

II. Verum quia legitima, ac genuina hæresis notio necessaria admodum est, propterea ex doctrina S. Thomæ hic *q.* 11. *art.* 2. amplius declarandum censeo, circa quæ proprie hæresis versetur. „ De hæresi (ita perquam „ luculenter S. Doctor) nunc loquimur, se„ cundum quod importat corruptionem fidei „ Christianæ. Non autem ad corruptionem „ fidei Christianæ pertinet, si aliquis habet „ aliquam falsam opinionem in his, quæ „ non sunt fidei &c. sed solum, quando ali„ quis habet aliquam falsam opinionem cir„ ca ea, quæ ad fidem pertinent, ad quam „ aliquid pertinet dupliciter; uno modo *dire„ cte, & principaliter*, sicut articuli fidei; „ alio modo *indirecte, & secundario*, sicut „ ea, ex quibus negatis sequitur corruptio „ alicujus articuli: & circa utraque potest esse „ hæresis eo modo, quo & fides “.

Distinctionem hanc magis declarat *lect.* 4. *in cap.* XI. *primæ Epist. ad Corinth.* dicens: „ Pertinet aliquid ad disciplinam fidei du„ pliciter. Uno modo *directe*, sicut articu„ li fidei, qui per se credendi proponuntur „ (quales sunt articuli, qui continentur in „ Symbolo Apostolorum). Unde error cir„ ca hos facit hæreticum, si pertinacia ad„ sit . . . . . Quædam vero *indirecte* perti„ nent ad fidei disciplinam, in quantum sci„ licet ipsa non proponuntur, ut propter se „ credenda, sed ex negatione eorum sequitur „ aliquid contrarium fidei: sicut si negetur „ Isaac fuisse filium Abrahæ, sequitur aliquid „ contrarium fidei, scilicet Sacram Scriptu„ ram continere aliquid falsi “. Siquidem „ cum in Scriptura, quam ut Verbum Dei proponit Ecclesia, utrumque contineatur, scilicet & articuli fidei, & Isaac fuisse Abrahæ filium, quemadmodum & plurima alia ejusmodi facta, non possunt hæc negari, quin simul Verbum Dei Scripturam esse negetur.

III. Subdit autem S. Doctor: *Ex talibus autem non judicatur aliquis hæreticus, nisi adeo pertinaciter perseveret, quod ab errore non recedat, etiam viso, quid ex hoc sequitur*; ut siquis in allato exemplo persisteret in negando, Isaacum fuisse Abrahæ filium, quamvis ipsi ostenderetur id contineri in Scriptura, quam Ecclesia ut Verbum Dei proponit. Quare nemo hæreticus proprie, ac formaliter dici potest, nisi qui pertinaciter assentiri recusat vel articulo alicui fidei, vel Scripturæ, aut veritati in Scriptura contentæ, quam ipsi

ipsi Ecclesia proponit: nec ab errore recedere vult, etiamsi videat ex hoc consequi, vel Scripturam non esse Verbum Dei, vel decipi Ecclesiam in veritate, sive dogmate proponendo. Hec pertinacia illa est, quæ proprie *hereticum* constituit; & sine hac *errans* quidem aliquis dici poterit, sed non *hereticus*. Quod etiam ex Can. *Dixit Apostolus* 24. q. 3. comprobatur inquiente: *Qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt .... corrigi parati, cum invenerint veritatem, nequaquam sunt inter hereticos deputandi*. Qui Canon desumptus videtur ex Augustino, qui *Epist.* 16. ait; *Sine pertinacia errare quidem potero: sed hereticus non ero*.

Neque vero hæc pertinacia in eo sita est, quod quis errorem suum acriter, mordicusque defendat: sed hoc satis est, quod aliquis sciens, & volens repugnet catholicæ fidei sibi sufficienter propositæ juxta illud S. Augustini lib. 4. de Bapt. cap. 16. *Nondum illum hereticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholicæ fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit*. Sufficienter autem veritas Catholicæ fidei proponitur ei, qui sibi conscius est, se sentire contra id, quod Ecclesia Catholica tenet, & fide certum proponit; nec tamen illi veritati vult submittere sensum suum, sed in suo errore persistit. Unde S. Thomas hic *art.* 2. *ad* 3. ad quamdam objectionem respondens ait: *Sic aliqui Doctores videntur dissensisse vel circa ea, quorum nihil interest, utrum sic, vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent authoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hereticus censeretur*.

§. II.

De dubio in Fide.

IV. Ex his haud difficile mihi videtur quæstionem solvere, num hæreticus censendus sit, qui assensum quidem non præstat errori alicui fidei veritati contrario, sed solum dubitat de eadem. Super qua longum Theologi plures disputationis funem intexunt. Et quidem veluti axioma circumfertur: *Dubius in fide hæreticus est*; sed nihilominus distinctione indiget, & explicatione. Quædam namque dubitatio est, quæ ortum ducit ex mera ignorantia: veluti cum quis ideo dubitat de aliquo fidei dogmate, eo quod nescit, num sit, necne ab Ecclesia definitum. Quædam ex tentatione, aut mentis infirmitate nascitur, ex qua, licet quis non ignoret quidpiam esse definitum ab Ecclesia, vel ad fidem pertinere; quia tamen contrariis argumentis pulsatur, aut concutitur, nonnihil fluctuat, sive vacillat, sed absque perfecta intellectus advertentia, & voluntatis consensione. Ac quædam etiam dubitatio est, quæ provenit ex pravitate, ac pertinacia: ut quando aliquis, postquam doctrina Catholicæ veritatis est ei sufficienter proposita, sciens & volens de illa dubitat, sive anceps hæret, num sit vera vel falsa.

V. Qui primo, vel altero modo dubitat, hæreticus non est immo ne mortaliter quidem peccat, si nec ignorantia culpabilis sit, nec dubitatio plene voluntaria: quemadmodum contingere solet iis, qui scrupulis agitantur, licet aliquando diu persistant, quantumvis ipsorum voluntas repugnet. Si autem ignorantia culpabilis fuerit, vel manente voluntate credendi omnia, quæ fides proponit, dubitatio minime repellatur, juxta negligentiæ quantitatem veniale, aut mortale peccatum est; neque tamen *hæresis* dicenda erit. Quoniam, ut ait S. Thomas 1. *ad Corinth.* c. xi. lect. 4. *electio*, quæ propria hæresis est, *firmam importat inhæsionem: & ideo hæreticus dicitur, qui pertinaciter proprium errorem sectatur*.

VI. Superest tertius dubitandi modus, qui a pertinacia sejungi non potest, cum quis vi-

videlicet certo cognoscens veritatem aliquam a fide, sive ab Ecclesia proponi, vult nihilosecius in ea dubitatione persistere. De hoc Melchior Cano *lib.* 12. *de loc. Theolog. cap.* 7. loquens ita scribit: " Si metaphysi„ cas leges inspicio, neque hoc dubium con„ stituere formalem hæreticum assero. Quo„ niam dubium neque speciem habet, neque „ formam, sed quid medium est. Non er„ go contrarium fidei est. Quæ enim con„ traria proprie sunt, ea duas esse formas „ maxime repugnantes constat. At si Mora„ lis Philosophiæ leges sequimur, quæ in id „ spectat, quod frequentissimum est, incredi„ bile est, hominem pertinaciter dubitantem „ nullum habere errorem fidei contrarium ". Igitur si rem metaphysice consideremus, dubitans de aliqua fidei veritate, si ita anceps fuerit, ut nullum eliciat assensum, vel dissensum, non est iste vere, ac proprie dicendus hæreticus, quia nullam adhæsionem habet ad objectum fidei contrarium, prout ad hæresim formalem requiritur. Sed quia contingere vix potest, ut aliquis pertinaciter dubitet de objecto ad fidem pertinente, quin judicium aliquod in animo reflexum ferat, quo judicet, res fidei non esse omnino certas, & infallibiles, sed dubias: non enim de ipsis dubitaret, si certas omnino esse crederet; ideo in praxi hæretici judicandi sunt omnes, qui pertinaciter dubitant de aliqua fidei veritate; meritoque Theologi, ac Judices Ecclesiastici tamquam hæreticos ejusmodi habent.

§. III.

De Apostasia a Fide.

VII. Apostasia multiplex esse potest, seu multipliciter intelligi. Si ea generatim spectetur, *importat*, ut docet S. Thomas q. 12. art. 1. *retrocessionem quamdam a Deo.* " Quæ „ quidem diversimode fit secundum diversos „ modos, quibus homo Deo conjungitur. „ Primo namque conjungitur homo Deo per „ fidem: secundo per debitam, & subjectam „ voluntatem ad obediendum præceptis ejus; „ tertio per aliqua specialia ad supererroga„ tionem pertinentia, sicut per Religionem, „ & Clericaturam, vel Sacrum Ordinem ". Porro circa hujusmodi apostasias illud observat, contingere aliquem apostatare a Deo retrocedendo a Religione, quam professus est, vel ab Ordine, quem suscepit, sicut etiam per mentem repugnantem divinis mandatis: *Quibus duabus apostasiis existentibus, adhuc potest homo Deo remanere conjunctus per fidem. Sed si a fide discedat, tunc omnino a Deo retrocedere videtur. Et ideo simpliciter, & absolute est apostasia, per quam aliquis recedit a fide, quæ vocatur apostasia perfidiæ. Et secundum hunc modum apostasia simpliciter dicta, ad infidelitatem pertinet.*

Hinc apostasia, de qua in præsenti sermo est, definiri potest *recessus hominis baptizati a tota fide*. Quare apostata ab hæretico distinguitur, quod hic aliquam Christianæ fidei veritatem negat, sed alias admittit, & Christum, ejusdemque Religionem profitetur, aut profiteri jactat. Apostata autem universæ Christianæ Legi, ejusque Authori Christo, quem professus fuerat, renunciat. Theologi inter se dissentiunt, num apostasia ab hæresi specie differat. Sed hanc quæstionem, cum nullius arbitrer esse momenti, missam facio. Illud solum adverto, quod sive hæresis, & apostasia specie differant, sive non, exprimere omnino debeat pœnitens in Confessione, num simplex *hæreticus* sit, num *apostata*, & ad quas sectas, recedendo a Fide Christiana, se se converterit; scilicet ad Judaismum, ad Mahometismum &c. Adnoto etiam, pœnas easdem jure communi decretas esse appostatis, & hæreticis, ut liquet tum ex cap. *contra Christianos* de Hæret. in 6., tum ex eo, quod in jure nulla distinctio fiat hæreticorum, & apostatarum. Prudens

dens tamen Confessarius graviorem pœnitentiam injungere debet apostatæ, quam hæretico: illius quippe peccatum gravius est.

§. IV.

De Apostasia ab Ordine, & Religione.

VIII. Præter apostasiam a fide, quæ omnium est gravissima, triplicem aliam hoc eodem articulo indigitat S. Thomas, a Deo scilicet, ab Ordine, & a Religione. Et de prima quidem, de qua interdum mentionem faciunt Divinæ Scripturæ, nihil hic attinet dicere, quoniam communis est cuicumque peccato lethali, per quod aliquis voluntarie recedit a mandatis divinis, sive legitimorum Superiorum, quatenus iisdem obedire recusat. Unde eadem est, ac inobedientia. De duabus vero aliis pauca subjicio.

Apostasia *ab Ordine* in eo posita est, quod quis Sacro jam Ordine initiatus, clericalem habitum deserit, ut laicali more vivat. Hinc apostata non est, qui solum recedit ab Ordinibus non Sacris, sive Minoribus, tametsi & habitum Ecclesiasticum dimittat, & uxorem accipiat; sed solum qui deserit statum, in quo per Sacri Ordinis susceptionem collocatus est, & ad divinum servitium, & castitatem voto, vel lege Ecclesiastica mancipatus. Unde ipsi aptari potest ea Christi Domini sententia: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei*. Atque hic etiam incurrit pœnas in jure constitutas. Quamdiu enim in hac apostasia persistit, ex cap. *Alieni 2. q. 7. infamis* declaratur. Ad dignitatem, vel Ordinem promoveri non potest; &, si uxorem ducat, ipso facto excommunicationis censura innodatur, ut ex Clementina unica *de Consanguineis, & affin.*

IX. Apostasia *a Religione* est recessus a statu Religioso, quem quis professus est, ad statum vitæ sæcularis, dimisso habitu Religionis, vel cum animo ad illam non redeundi. Quia tamen non omnis hoc ipso solum, quod habitum religiosum exuat, statim efficitur *apostata*; propterea ad clariorem hujus apostasiæ intelligentiam quædam observo. Et primo quidem illud certum est apostatam esse, & excommunicationem incurrere ex cap. *Ut periculosa tit. Ne Cler. vel Mon.* in 6., qui absque legitima auctoritate dimittit habitum Religionis approbatæ, quam professus est cum animo excutiendi jugum obedientiæ regularis. *Dico cum animo excutiendi Religionis jugum*: quoniam si is, qui vel habitum dimittit, vel a Religione recedit, non tamen cum intentione deserendi statum religiosum, ipsamque Religionem, sed ex aliqua vanitate, aut temeritate; graviter quidem peccat, at juxta gravium Doctorum sententiam *apostata* dicendus non est.

X. Major videtur esse difficultas de Religioso, qui suam Religionem deserit cum animo ad illam non amplius redeundi, sed ad aliam transeundi ad quam ei transire non liceat: num hic *apostata* censendus sit, an ab hoc delicto excusetur? Qua in quæstione quamvis nonnemo apostatam judicet, nihilominus alii graviores Authores, ut mihi videtur verosimilius, negant. En textus quorumdam, qui hanc sententiam tuentur, & hanc apostasiam luculentius declarant. Sylvester verbo *apostata* quæst. 4: „ Collige, inquit, quod apostata a Religione est Religiosus professus, sine licentia „ exiens a Monasterio cum intentione non „ reintrandi illud, *vel aliud; sed vivendi irreligiose, puta clericaliter, vel laicaliter*, „ *vel inobedienter*. Unde si egrediatur quidem, sed intret Monasterium laxius, non „ est *proprie apostata*.

Cajetanus in Comment. hujus art. S. Thomæ sic habet: „ Quum apostasia a Religione sit retrocessio a Religione; & aliud sit „ retrocedere a Religione, aliud retrocedere „ ab hac Religione; consequens est, quod si

,, quis a sua Religione retrocedat in aliam
,, laxiorem intrans, *non fit apostata a Reli-
,, gione*, ac per hoc non incurrit pœnas con-
,, tra apostatas statutas. Quamvis si ab Or-
,, dine Mendicantium ad aliquam Monacha-
,, lem Religionem, præterquam Carthusien-
,, sem, transeat absque debita licentia, sit
,, excommunicatus, non propter apostasiam,
,, sed propter transitum ad talem juxta sta-
,, tutum Martini V.

Navarrus quoque *lib. 5. Consil. tit. de Apost. n. 5.* sic ait: " Recessio ab aliquo Monaste-
,, rio alicujus Religionis sine licentia Præla-
,, ti, cum animo tamen intrandi aliam Re-
,, ligionem etiam laxiorem, si intret in il-
,, lam, non dicitur *apostata*: quia licet sit
,, recessio ab illo, vel illo Monasterio, &
,, ab illo Ordine; non tamen est recessio a
,, Religione: & ita non incidit in pœnas
,, apostatarum juxta determinationem Inno-
,, centii ". Et hanc sententiam plures alii amplectuntur Canonistæ, ac Theologi.

XI. Sed & hæc alia videtur esse communior, & verior sententia, quæ docet, spectato saltem jure communi, non incidere in excommunicationem latæ sententiæ, qui licet Religionem deserat, habitum tamen suæ Religionis non dimittit. Siquidem nullum extat jus commune, quod hanc pœnam ipso facto incurrendam decernat. Nam cap. cit. *Ut periculosa*, non aliis Religiosis excommunicationem infligit, nisi eis, qui suæ Religionis habitum temere dimittunt: neque jus aliud aut affertur, aut afferri potest. Hinc Paulus IV. in Bulla *contra apostatas* data anno 1658. jubet eos requiri, & ad Monasterium reduci; si vero se inobedientes præstiterint: subdit: *Sint etiam auctoritate nostra majoris excommunicationis sententia innodati*. Quibus verbis satis indicare videtur, quod ante illam inobedientiam sententia excommunicationis irretiti non sint. Dixi tamen: *spectato jure communi*. Quoniam aliquæ Religiones privilegio gaudent, quo eatum apostatæ ipso facto excommunicationem incurrant, quamquam Religionis habitum non dimiserint.

XII. E contra vero in excommunicationem latæ sententiæ incidunt ex cap. *Ut periculosa*, qui suæ Religionis habitum temere dimittunt, quamvis cum animo reassumendi illum, & permanendi in Religione. Censetur autem *temere* habitum dimittere, qui sic habitum exuit absque causa ulla rationabili, ut & mortaliter peccet, & juxta communem hominum sensum dici queat habitum dimisisse. Unde hanc censuram non incurrit, qui propter defensionem vitæ, vel famæ suæ vel proximi, aut ad grave scandalum devitandum, aut etiam ex quadam levitate &c, habitum ad breve tempus dimittit.

§. V.

De pœnis contra Hæreticos.

XIII. Pœnæ, quibus mulctantur hæretici, duplicis generis sunt: aliæ namque sunt *temporales*; aliæ *spirituales*. Temporales infliguntur a Catholicis Principibus, qui tamquam fidei Christianæ protectores, atque custodes, ad fidem in propriis ditionibus incolumem conservandam in eos, qui ipsam corrumpere moliuntur, easdem constituerunt: & hæ, cum a Principum arbitrio pendeant, non eædem constitutæ apud omnes fuerunt. Frequentius tamen hisce pœnis puniri solent: scilicet 1. confiscatione bonorum; 2. incapacitate ad publica officia obtinenda; 3. privatione jurisdictionis temporalis; 4. etiam pœna mortis. Sic enim declaratum est variis Imperatorum legibus; & usus obtinet in quibusdam Regnis. Et vel hanc etiam pœnam mereri hæreticos ostendit S. Thomas hic q. 11. art. 3. *Multo enim gravius est*, inquit, *corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quam falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subvenitur. Unde si falsarii pecuniæ, vel alii malefactores statim per sæculares Principes juste morti traduntur; multo magis hære-*

hæretici statim, ex quo de hæresi convincuntur, possunt non solum excommunicari, sed & juste occidi.

XIV. Pœnæ spirituales, quas Ecclesia solum infligit, sunt 1. excommunicatio major, quam plures Summi Pontifices sibi reservarunt; 2. privatio Ecclesiasticæ sepulturæ; 3. irregularitas; 4. privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ, sicut etiam aliarum dignitatum, honorum, & officiorum Ecclesiæ; 5. inhabilitas ad omnia beneficia: quæ pœnæ omnes constitutæ sunt in variis Canonibus, quos brevitatis causa prætermitto.

XV. Quoad excommunicationem attinet, quæ prima & potissima pœna est, quædam observo. Atque in primis affero doctrinam Angelici Doctoris, qui loco laudato post ea, quæ recitavimus, verba statim subjungit: *Ex parte Ecclesiæ est misericordia ad errantium conversionem. Et ideo non statim condemnat; sed post primam, & secundam correptionem, ut Apostolus docet* (ad tit. cap. 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*: sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est). *Postmodum vero, si adhuc pertinax invenjatur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam: & ulterius relinquit eum judicio sæculari a Mundo exterminandum per mortem*. Sistit igitur Ecclesia juxta S. Doctorem in sola excommunicatione; dum punit hæreticum, quoties præmissa prima, & altera correptione, ille pertinaciter perstat in errore suo: ad quam pœnam pœnæ cæteræ spirituales jam enumeratæ consequuntur.

XVI. Porro hæretici distinguendi sunt. Alii namque sunt pure mentales, qui mente hæresim concipiunt, eique pertinaciter inhærent; sed nullo exteriori signo errorem suum manifestant. Hi vere quidem hæretici sunt; sed non ideo excommunicationem incurrunt, adeoque a quolibet Confessario absolvi possunt. Neque enim hoc peccatum reservatum est aut ratione sui, aut ratione censuræ, quam nullam habet annexam: non quia Ecclesia potestate absolute non gaudeat præcipiendi actus interiores, aut etiam puniendi, de quo inter authores controversia est, sed quia hoc peccatum internum neq Ecclesia sibi reapse reservat, nec ulla censura punit, ut ex communi Theologorum consensu liquet.

Alii dicuntur hæretici solo actu externo, qui scilicet aliquid exterius quidem vel faciunt, vel proferunt, quod hæresim præfert; sed interius ipsi non assentiuntur, & acquiescunt Ecclesiæ judicio. Et hi quoque non incurrunt excommunicationem, aliasve pœnas Ecclesiasticas, & a quolibet Confessario absolvi queunt. Pœnæ siquidem ab Ecclesia contra hæreticos inflictæ in eos tantum feruntur, qui revera sunt hæretici. Ii autem revera hæretici non sunt: cum hæresis proprie consistat in voluntario assensu mentis catholicæ veritati repugnantis; quamquam qui hoc peccatum committit, in foro externo pro hæretico facile reputetur.

XVII. Alii vero hæretici sunt, qui & animo hæresi assensum præstant, & aliquo signo externo eam produnt, quantumvis occulto. Et hi procul dubio excommunicationem reservatam incurrunt latam per Summos Pontifices Innocent. III. cap. *Excommunicamus* tit. de Hæret. & Honorium III. cap. *Noveritis* de sentent. Excommunicat. Dixi *quantumvis occulto*: quoniam ad hanc excommunicationem incurrendam non est opus, ut hæreticus hæresim suam aliquibus manifestaverit, sed satis est, quod illam verbo, scripto, nutu, vel signo aliquo prodiderit, etiam nemine aspiciente, aut audiente, ut si de hæresi sua cogitans ita loquatur; *Non sunt tres Santissimæ Trinitatis personæ*; aut *Christus vere non est in Eucharistiæ Sacramento &c.* Hujusmodi quippe hæresis jam ad forum externum pertinet, & quamvis probari non possit, quantum tamen de se est, exterioris

ris fori judicio subjicitur.

Illud tamen animadvertere oportet, non omne signum externum sufficere, ut aliquis interiorem hæresim suam prodidisse dicatur; sed tale omnino requiritur, & sufficit, ut spectatis circumstantiis, satis exprimat conceptum mentis, sive hæresim mente conceptam: ut C. E. siquis animo hæretico imagines frangat, Sacramentum pedibus conculcet, aut verba proferat conceptum mentis errorem satis indicantia &c. Si autem id, quod exterius agit, aut loquitur, haud satis errorem mente conceptum exterius significet; veluti si quis cogitans, Christum verum Deum non esse, aut non existere in Sacramento Altaris, erumpat in hæc verba: *ita est*; aut caput inclinet &c., sed cogitationem suam nemini prodat; hæreticus exterior minime censetur: ejusmodi siquidem actus haud magis signa sunt hæresis internæ, quam alicujus rei ad hæresim nullatenus pertinentis; nisi forte circumstantiæ tales occurrant, quæ significationem externi illius signi determinent.

§. VI.

De prohibitione librorum hæreticorum.

XVIII. Luculentissimum infidelium & hæreticorum libros abolendi ob maximum, quod pariunt legentibus, detrimentum, exemplum dedit omnibus Ecclesia primitiva Apostolorum tempore. Legimus namque in Act. c. 19. *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Subinde vero Magna Synodus I. Nicæna libros Arii comburendos decrevit; & Constantinus Imperator capitis pœnam tulit in eos, qui istiusmodi libros occultassent. Valentinianus quoque, & Marcianus publico Edicto Nestorii libros igni adjudicarunt. Et habemus etiam in Synodo V. Constantinopolitana *sess.* 5 legem Theodosii, & Valentiniani adversus hosce libros; sicut & alia multa de iisdem Catholicæ Ecclesiæ Decreta. At cum omnes aboleri non possint, suppletur hoc prohibitione lectionis horum librorum.

Porro hæc prohibitio legendi hæreticorum libros alia est ex jure ipso naturali; alia ex jure humano positivo. Prima obstringit omnes illos, qui ex librorum lectione subversionis fidei periculum sibi imminere prudenter timent, meoremque suam gravibus adeo tentaminibus concuti sentiunt, ut in probabile saltem dubitandi de fide discrimen adducantur. Unde ejusmodi libros legentes, etiam habita quoscumque legendi facultate graviter peccant. *Qui* enim, inquit Scriptura, *amat periculum, in illo peribit.* Atque in hoc periculum se se conjiciunt saperdæ quidam, qui destituti solidioribus Christianæ Religionis principiis, ac fundamentis, libere legunt plures, non dicam hæreticorum tantummodo, verum etiam Deistarum, aut Incredulorum libros, ex quibus venenum ebibunt absque antidoto, quo ex eraffa ipsorum imperitia carent. Hi plane, etiamsi licentias, sive facultates legendi se habere jactent, nihil omnino hæ suffragantur, dum experientia deprehendunt, se ex electione talium librorum grave damnum referre, multisque ipsorum mentes involvi dubitationum nebulis, quas discutere plerumque nesciunt.

Alia prohibitio legendi libros hæreticorum aliosque oritur ex jure humano positivo, sive ex authoritate Sedis Apostolicæ, sive alia legitima authoritate. Et hæc obligat omnes, quibus peculiaris legendi facultas concessa non est. Legem hanc justam esse quis in dubium revocet? Nam lectio librorum hæreticorum, aliorumve periculi plena est relate ad quoscumque indoctos homines, qui sæpe propter eam inficiuntur, & corrumpuntur in fide. Profecto si ex D. Paulo *corrumpunt bonos mores colloquia prava*; quanto magis ad hoc præjudicium inducendum idonea sunt scripta, quæ seriæ meditationi subjici valent, & sæpe attente perleguntur: unde con-

contingit, quod homines incauti & ignorantes, qui plerique sunt, facile decipiantur? Nemo igitur, qui facultate non fruatur obtenta ab authoritate legitima absque peccato libros hujusmodi legere potest: praeceptum enim legitimi Superioris obligat in conscientia.

Vi tamen hujus prohibitionis non interdicuntur, nisi ii libri, qui in decretis sunt expressi; adeoque in ea non comprehenduntur libri Judaeorum, Mahumetanorum, aut Ethnicorum, nisi quandoque eorum aliqui exprimerentur. Communis quoque inter authores sententia materiae parvitatem admittit in illorum lectione; quae tamen definiri vix potest, cum hoc pendeat ex pluribus circumstantiis, scilicet ex conditione legentis, ex periculo seductionis, ex qualitate controversiae, & ex ipsa materia, quae legitur.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRAECEDENTIUM DUORUM CAPITUM.

I *Illicita semper est communicatio fidelium cum infidelibus in iis, quae ad cultum superstitiosum attinent.*

II. *Peccant Christiani, qui ea ministrant, aut vendunt infidelibus, quae sanae suae Religionis ritibus exercendis inserviunt.*

III. *Infideles communiter admittendi non sunt ad eas spectandas sacras functiones, quae propriae sunt Religionis Christianae.*

IV. *In communicatione fidelium cum infidelibus jure positivo vetita, attendendus maxime est spiritus legis, & probata consuetudo.*

V. *Hinc licet aliquando comedere Judaeorum azyma.*

VI. *Hinc etiam explicanda lex, quae vetat Judeos admittere ad convivia.*

VII. *Nisi necessitas urgeat, vocandi Judaei non sunt ad curandos Christianorum morbos.*

VIII. *Haeresis gravius peccatum est, quam aliae infidelitatis species.*

IX. *Nullus formaliter est haereticus, quamdiu judicium suum submittit Ecclesiae.*

X. *Hinc quis potest ex ignorantia culpabili contra fidem peccare, quin tamen sit haereticus.*

XI. *Plures sunt inter indoctos, qui haeretici dicendi non sunt, tametsi erroribus contra fidem haud careant.*

XII. *Ignorantia affectata ab haeresi excusat, dum provenit ex solo addiscendi taedio: non autem, si ex judicii Ecclesiae contemptu proveniet.*

XIII. *Eadem habenda ratio est de illo, qui falso putat dogma aliquid definitum ab Ecclesia, quod tamen definitum non fuit.*

XIV. *Cum dissidium inter Catholicos est, num aliquid definitum sit ab Ecclesia, neuter ut haereticus non est credendus, qui negativi parti adhaeret.*

XV. *Haeretici sunt, qui Ecclesiae judicio non acquiescunt, nisi argumentis convincantur de proposito dogmate.*

XVI. *Qui exterius tantum fidem negat, aut aliquid profert contra fidem, nec haereticus formaliter est, nec haereticorum poenis obnoxius.*

XVII. *Qui de aliquo fidei articulo proprie dubitat inter haereticos est accendendus.*

XVIII. *Contra fidem non peccat, qui ita scrupulis, aut tentationibus veluti obruitur, ut judicium suum suspendat, qui tamen consensum praebeat.*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. SEMPER illicita est communicatio fidelis cum infideli in iis, quae pertinent ad superstitiosum ejus cultum, puta in ritibus, in sacrificiis, aliisque Religionis exercitiis. Communicatio autem in rebus civilibus absolute considerata non est prohibita. Contingere tamen potest, ut haec aliquando illicita fiat, ut si nimium familiaris, & fre-

frequens fuerit, & ex ea aliquid immineat subversionis periculum, ut cum præsertim personæ fideles infimæ sunt, minusque in fide stabiles.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Peccant Christiani, qui infidelibus, sive Judæi sint, sive Mahumetani, aut alterius sectæ, vendunt, aut ministrant ea, quæ vanæ suæ Religionis ritibus exercendis inserviunt, aut auxiliatrem manum præstant in erigendis eorumdem templis, & sacris ministeriis obeundis. Ita cum cæteris Theologis S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. ubi hæc habet: *Si qua ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato; per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occasionem peccandi, puta si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia*. Sed de his, aliisque similibus latius, cum *de cooperatione ad malum*.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Infideles communiter admittendi non sunt ad eas inspiciendas sacras functiones, quæ propriæ sunt Religionis Christianæ, puta ad Missæ Sacrificium: quoniam nullum plerumque fructum ex hoc percipiunt, sed potius eas contemnendi, aut deridendi occasionem sumunt. Unde D. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 4. *ad* 4. scribit *Non baptizati autem non sunt admittendi etiam ad inspectionem hujus Sacramenti* (Eucharistiæ), *ut patet per Dionys. in lib. de Ecclesiast. Hierarch.* Hinc etiam ex antiqua consuetudine Catechumeni admitti quidem solebant ad Conciones, & preces, ac Missam, quæ dicebatur Catechumenorum, tamquam Christianæ Religionis candidati; non autem ad sacratiora Mysteria consecrationis Corporis, & Sanguinis Domini, Communionis &c.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Quum plures sint casus, in quibus ex jure humano interdicta est communicatio Christiani cum infideli, nec ubique æque obtinuerint; ideo in eorum observantia attendenda est regionum & locorum probata consuetudo, maximeque inspiciendus est spiritus, ac intentio legis ejusmodi communicationem prohibentis. Sic in primis, dum prohibetur cohabitatio fidelis cum infideli, ea intelligenda potissimum est, quæ veram præfert societatem, ac familiaritatem. Quare vetitum Christianis non est habere in servum aliquem Judæum, ut colligitur cap. *Judæi* de Judæis. Nam servitus contemptionem prodit; intimam vero in eadem domo familiaritatem vetat, ut Christianæ Religionis dignitas conservetur. Hæc tamen prohibitio non extenditur ad Saracenos, aliosque Gentiles, quos propterea nedum servos habere licet, sed in propriis domibus detinere.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Dum Christianis prohibetur ab Ecclesia comedere Judæorum azyma, hoc intelligi debet de comestione azymorum ritu Judaico, sive de azymis, prout sunt ad falsam Religionem profitendam instituta. Cæterum comestio azymorum vel ad famem exsaturandam, vel ad alium finem interdicta non est: idque patet ex plurium Christianorum consuetudine edendi azyma; quam nemo unus peccati condemnat.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Fas equidem Christianis est in eadem taberna cum Judæis manducare, quin etiam ad illorum caupones divertere; quoniam hoc nimiam haud prodit familiaritatem. Verum lege humana prohibitum est, eosdem ad convivia vocare: quæ lex tamen intelligitur de conviviis in proprio sensu acceptis, quæ

quæ nempe in ſymbolum amicitiæ, & familiaritatis condicuntur, quæque inſtrui ſolent ſingulari apparatu, ut dum celebrantur nuptiæ, vel intimiores amici invitantur. In iis itaque nedum convivari, ſed etiam choreas ducere, ludos ac jocos cum Judæis in his circumſtantiis exercere interdictum eſt.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Tum ex Sacris Canonibus, tum ex peculiari Conſtitutione S. Pii V. prohibetur Chriſtianis, ne medicos Judæos ad ſuos morbos curandos accerſant, dum ſuppetunt Medici Chriſtiani, qui ad eorumdem curam æque idonei ſint. Niſi ergo gravis urgeat neceſſitas, & ſublata contraria conſuetudine, de qua mihi non conſtat, ad medendum Chriſtianorum morbis vocandi non ſunt. Atque ita in aliis ſimilibus caſibus judicandum de legibus poſitivis, quæ vetant communicationem cum Judæis, aut etiam aliis infidelibus, ſcilicet Mahumetanis, & Saracenis, dum illos exprimunt. Nam ſi eorum expreſſa mentio non fiat, non eſt lex poſitiva ad illos extendenda: ſolaque tunc obligare poteſt lex naturalis, prout ſupra dictum eſt.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Hæreſis adeo grave peccatum eſt, ut S. Thomas *in 4. diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 2.* doceat, quod magis *noceat, quam aliquod aliud peccatum: Quia ſubvertit fundamentum omnium bonorum, ſine quo nihil boni remanet. Ideo hæreſis eſt ex genere ſuo maximum peccatum*; maximum utique non abſolute, ſed in genere infidelitatis, ac maximum etiam ex genere relate ad peccata, quæ virtutibus moralibus opponuntur.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Nemo eſt, & exiſtimari oportet *formaliter* hæreticus, quamdiu non ficte, ſed ex animo paratus eſt judicium ſuum ſubmittere judicio Eccleſiæ. Non enim hæreſis preſſe, & in vero ſenſu accepta abſque pertinacia conſiſtit, & malitia voluntatis nolentis ſubmittere ſe Eccleſiæ judicio. Quamobrem qui propoſitionem aut verbo, aut ſcripto enunciat fidei Catholicæ contrariam; ipſa quidem propoſitio erit ex ſe, ſive objecto ſuo hæretica, ſignumque hæreſis eſſe poteſt; non tamen hæreticum formaliter conſtituit, qui eam profert, aut ſcribit, ſi revera paratus ſit ſe Eccleſiæ judicio ſubjicere, nec eam defendere contra ſenſum Eccleſiæ.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Hinc errantes in aliquo fidei dogmate, ſeu veritate ex aliqua ignorantia nedum invincibili, ſed etiam vincibili, & mortaliter culpabili, animo tamen parato ad ea omnia credenda, quæ credit Eccleſia, ſi ein ab Eccleſia tamquam dogma proponeretur, dicendi non ſunt formaliter hæretici, tametſi mortaliter peccent. Ita docet S. Thomas *lect. 2. in cap. 2. Epiſt. ad Galat.* quem ſequuntur communiter Theologi. Ratio eſt, quia licet error ipſorum voluntarius ſit ſaltem indirecte, adeoque peccatum non evitent, haud errant tamen pertinaciter, ſive cum pertinacia, quæ ad hæreſim preſſe dictam conſtituendam requiritur. Unde S. Thomas ibidem errantes *ex ignorantia* contraponit errantibus *ex pertinacia*, quæ ſolum eſt, quando aliquis ſciens, & volens repugnat veritati ſibi ſufficienter propoſitæ. Hoc enim hæreſis culpa præ cæteris peccatis peculiare habet, quod cætera non dicuntur talia *ab electione*, ſicut *hæreſis*, ad cujus perfectam rationem non ſufficit voluntas quomo-

modocumque inordinata, sed necessaria ele ctio est fidei directe repugnans, sive ejusmodi electio requiritur, qua quis sciens Ecclesiam tenere aliquid ut fide credendum, deliberate contrarium tenet, aut de illo saltem dubitat.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Ex quo colligere oportet, haud raro contingere, ut aliqui errent in quibusdam opinionibus, quas tenent, & alios etiam quandoque docent, quin tamen formaliter hæretici dicendi sint. Hoc plerumque locum habet in rusticis, & mulierculis, qui plures errores in animo fovent, ob quos licet sæpe lethaliter peccent, propter culpabilem negligentiam in addiscendis fidei veritatibus, quas noscunt, & scire tenentur, non tamen hæreticis annumerandi sunt, defectu *pertinaciæ*, quod nimirum prompti sint ad eos repudiandos, dum Ecclesiæ fides iisdem innotescat.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Juxta traditam doctrinam facile, ut mihi videtur, definiri quæstio potest de errantibus contra fidem ex ignorantia affectata, num videlicet hæreticorum classi accensendi sint, de qua litigant inter se Theologi. Nam si ignorantia affectata ex solo proveniat addiscendi tædio, ex hoc formales hæreticos esse non arbitror: quoniam cum hujusmodi voluntate consistere valet voluntas credendi, quæ ab Ecclesia proponuntur, quoties ipsis sufficienter proposita fuerint. Et quamvis hi forte sint *pertinaces in ignorando*; ipsorum tamen quamtumvis pertinax ignorantia non est *hæresis*, nec hæresis proprie malitiam contrahit; sed solum præcepto fidei opponitur de adhibenda diligentia pro sciendis veritatibus, quæ ad ipsam pertinent. Quod si ignorantia affectata ex contemptu Ecclesiæ procedat, sive ex voluntate non credendi, quamvis ea scirent, quæ Ecclesia credenda proponit; ideoque scire non curant, quid de hac, vel illa re sentiat Ecclesia; ejusmodi errantes contra fidem tamquam hæreticos habendos puto. Nihil quippe istis deest ad pertinaciam hæresis propriam. Nam tametsi fidei veritatem in particulari non cognoscant [quia cognoscere nolunt]; cognoscunt tamen in communi, ex illa perversa opinione, qua parvi pendunt ea, quæ ab Ecclesia proponuntur.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Eadem ratio habenda videtur de illo qui nollet credere aliquid, quod putat ab Ecclesia definitum, cum tamen adhuc definitum non fuerit; puta animas in Purgatorio detentas igne sensibili haudquaquam torqueri. Sed hoc in casu hæreticus potius censendus foret ex eo, quod vel crederet, Ecclesiam esse fallibilem, vel se non debere credere ea, quæ Ecclesia credenda proponit. Si enim solam attendamus opinionem, quam falso putat esse ab Ecclesia definitam, *affectu* quidem hæreticus dici potest, at non *effectu*, & consummate; cum non habeat errorem in intellectu circa particulare illud dogma, sed contumaciam duntaxat in voluntate.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Heretici dicendi non sunt, qui negant doctrinam, aut propositionem aliquam, quam plures quidem Catholici Doctores contendunt definitam esse ab Ecclesia, sed alii non minus Catholici negant non ex mero arbitrio, sed solidis fundamentis innixi. Siquidem hoc in casu Ecclesiæ definitio sufficienter proposita non est. Multo minus hæretici sunt, qui aliquam veritatem impugnant, quam quidem plures credunt esse a Deo revelatam, sed nulla prodiit adhuc de ea Ec-

Ecclesiæ definitio, cui se submittere parati sunt. S. Thomas hic *quæst. xi. art. 2. ad 3.* ad hujus consectarii confirmationem affert in primis authoritatem S. Augustini dicentis: *Si quis sententiam suam quamvis falsam, atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt; quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi*: Subdit vero S. Doctor: " Quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ. Sic ergo aliqui Doctores videntur dissensisse vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, utrum sic, vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent authoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur.

Consectarium Decimumquintum.

XV. Hæretici formaliter existimandi sunt, qui judicium suum Ecclesiæ definitioni submittere renuunt, nisi prius argumentis convincantur vel ex ratione, vel etiam ex Scriptura, aut traditione depromptis. Hi namque *pertinaces* dicuntur in proprio judicio, quod judicio Ecclesiæ submittere nolunt, quæ nonnisi ex Scripturis, aut Traditione Divina certo depromit, quæcumque credenda definit: unde qui huic acquiescere detrectat, nec ipsi veritatem proponenti vult credere, nisi post exhibita sibi argumenta, ac rationes, jam non Deo, sed potius cerebro suo credere convincitur.

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Qui exterius duntaxat aut fidem negat, aut hæreticam aliquam propositionem enunciat, quamvis peccet, infidelis tamen, aut hæreticus proprie non est, nec pœnis in hæreticos constitutis obnoxius. Siquidem hæreticorum pœnæ nonnisi ob hæresis crimen infliguntur. Exterior autem fidei negatio, aut hæretica propositio absque interiore mentis assensu pronunciata non est hæresis. Unde a quolibet Confessario absolvi potest tum ille, qui timore, aut alia ratione victus fidem exterius negat, tum qui sine interno assensu hæreticam propositionem effert. Quod si eos Ecclesia interdum puniat, ideo est, quia in foro exteriori uterque prudenter præsumitur vel fidem abnegasse, vel hæresim ex animo pronunciasse. Hinc ambo in foro externo excommunicatione innodantur, donec se purgaverint.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. Qui de aliquo fidei articulo dubitat ob difficultates, quæ circa illum in mente ipsius insurgunt, atque harum difficultatum laqueis implicatus suspensionem intellectus voluntarie imperat; adversus fidem peccat. Idque colligitur ex illis verbis a *S.* Thoma q. 10. art. 7. *Si quis disputet tamquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certa non supponens, sed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat, tamquam dubius in fide, & infidelis*. Et ratio est, quia dum deliberate assensum cohibet, hoc ipso satis approbat difficultatum momenta contra fidem, quam judicio suo metiri audet; & saltem æquivalenter judicat, mysterium revelatum, seu ab Ecclesia definitum, non esse certum, sed dubium reddi ex argumentis, quæ ipsum oppugnant; quod judicium nonnisi cum errore est.

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. E contra vero non est credendus peccare contra fidem, qui vel scrupulis, vel tentationibus veluti obrutus, sic judicium suspendit, ut tamen tentationibus illis consensum non præbeat, sed potius ita animo com-

K 2

comparatus est, ut mortem pati mallet, quam a Deo revelatis, & ab Ecclesia propositis veritatibus repugnare, vel ejus definitiones in dubium adducere. Qui enim ita affectus est, non promovet, sed pati ut quamdam veluti involuntariam dubitationem, seu potius tentationem contra fidem, quam non formidare, sed contemnere debet. Et quoniam frequentes sunt indeliberatæ hujusmodi dubitationes in iis præsertim, qui speciali fruuntur acumine, & perspicacitate mentis: ad piarum animarum, quæ hisce vexantur, instructionem simul, atque solamen placet hic afferre nonnulla, quæ ex Patribus Spiritualibus corrivat P. Vincentius Contensonius *Dissert.* 2. *de Fide cap.* 2. *Spec.* 3. ac *piæ Reflexionis* loco subjicio.

REFLEXIO.

„ Verum quidem est, eum qui cum pertinacia dubitat, neque certitudini earum, quæ fides docet, & Ecclesia proponit, assentitur, peccare contra fidem, & in peccatum infidelitatis incidere. Verumtamen qui passive patitur dubia, & tentationibus fatigatur, non quia judicat certam non esse fidem, sed propter naturalem, quam circa credita animus veluti refractarius experitur, difficultatem, dum ratio tam arduis, tam reconditis veritatibus veluti obruitur, & obstupescit; talis non agit contra fidem, sed similis est illi in Evangelio *Marc.* 9. dicenti: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*. Unde tentationes illas non tam debet refellere, vel actibus contrariis repellere, quam flocci facere, ne imaginatio importuno conflictu fatigata lædatur, & tentatio e fronte, aut e diametro impugnata magis menti figatur, quæ contemptu, & neglectu citius evanescit.

„ Quod si tentatio animum pulsans fidem etiam concutiat, & dubitationes veluti semivoluntarias, vel saltem ob infirmitatem animi debilitatem quadantenus incipientes experiaris, Lector: post exoratum divinum auxilium, quo sicut adjuvante vincimus, ita eo iterum non adjuvante, vincamur necesse est, duo nobis suppeditant Patres spirituales opportuna hujusmodi tentationibus remedia. Etenim vel de Religione, quam profitemur, generalia dubia obrepunt, vel circa aliquod peculiare duntaxat mysterium difficultatem animus experitur. Si de Religione Catholica in communi dubitationis motus exoriantur, advocanda est, mentisque oculis subjicienda præclara illa argumentorum credibilitatis harmonia, quibus intellectus & prudenter credit, & nonnisi imprudenter dissentitur. Certe si absque aliqua fide in hoc mortali sæculo humana nequit vita consistere; si ex solo hominum testimonio & parentes ipsos agnoscimus, & remotas regiones existere fatemur; si percunte fide & Historiarum omnium monumenta, & Rerumpublicarum traditiones, ac consuetudines, & humani generis adeo utilia commercia ad nihilum redigerentur; profecto æquum est, ut Deo de se multa, tametsi ardua eloquenti, & Ecclesiæ proponenti fidem adhibeamus. Maxime quia nulla est in orbe sub cælo toto secta, in qua plura non proponantur credenda, quæ articulis Religionis nostræ comparata, & aliunde ab omnibus credibilitatis argumentis deserta, merito ridicula & fabulosa censentur.

„ Porro si alicujus singularis articuli, puta Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ difficultas animum pulset, præter varias a Patribus, Sacrisque Doctoribus adductas congruentias, a nobisque in decursu Theologiæ pro data occasione recensitas, & recensendas; hoc etiam discursu omnes singularium difficultatum nebulas cito dissipabis, *sicut stipulam ante faciem venti*. Sic ergo

„ ergo ratiocinabere. Si Ecclesiæ Catholicæ „ tempore innumerabilium credibilitatis argu„ mentorum decore indutæ, omnigenis mi„ raculis illustratæ, tot Martyrum sangui„ ne irrigatæ, tot præstantissimorum Doc„ ctorum lumine irradiatæ credo, & pruden„ ter credo: Ergo illum in speciali articu„ lum in dubium revocare sine flagitio non „ possum, non debeo: quia si singulares ve„ ritates tentem irrumpere, perperam Reli„ gioni illas proponenti assensum delo. Un„ de merito, ut Bernardus loquitur, re„ putabor effractor, & scrutator Majestatis „ opprimendus a gloria ".

DISSERTATIO II.

DE SECUNDA VIRTUTE THEOLOGICA, SCILICET

DE SPE.

FIDEI *tractatio latius a nobis est exposita, quod plures in ea, illæque peculiares difficultates occurrant. De* Spe, *quæ Virtutum Theologicarum ordine secunda est, pauciora sunt, quæ in quæstionem veniant. Nonnulla tamen accuratam considerationem merentur, quæ quibusdam de more capitibus expedienda sunt.*

CAPUT I.

De natura, & indole Spei, tum prout animi passio est, tum prout est virtus Theologica.

DOCTRINA.

I. *Non una est in Sacris Litteris Spei acceptio.*
II. *Spes ut passio in appetitu irascente sedem habet: unde ab amore, ac desiderio distinguitur.*
III. *Absque amore tamen non est, & ab illo oritur.*
IV. *Spei, ut virtus theologica est, definitio.*
V. *Virtutis proprie dictæ, & quidem theologicæ rationem obtinet.*
VI. *Discrimen ejusdem a fide, & charitate.*
VII. *Objectum, quod respicit spes theologica, primarium, & secundarium.*
VIII. *Objecti primarii spei amplior expositio ex Scripturis, ac Patribus.*
IX. *Arduitas propria spei in quo reapse posita sit, & quomodo explicanda.*
X. *Thomistarum sententia de formali ratione, sub qua spes theologica proprium attingit objectum, tamquam unice vera amplectenda.*
XI. *S. Thomæ doctrina Scripturarum testimoniis consentanea prorsus est.*
XII. *Eadem efficaci ratione illustratur, & comprobatur.*
XIII. *Aliud motivum formale secundarium spei nostræ neutiquam excindendum, quod me-*

merita etiam nostra compellitur.

XIV. *Justi homines ex bonis operibus quæ in Deo facta fuerint, expectare, & sperare possunt æternam beatitudinem.*

§. I.

Quædam præmittuntur de spe, ut passio animi est.

I. QUemadmodum fidei, ita & spei non eadem semper est in Sacris Libris acceptio. Nam aliquando generatim sumitur pro expectatione rei futuræ, quæcunque illa sit sive bona, sive mala. Unde est illud Judith cap. 13. *Sperabant eam non esse venturam*. Sed hæc acceptio minus propria est. Magis proprie sumitur pro expectatione boboni futuri: propriissime vero pro expectatione boni futuri ardui, & sensibilis; & sub hac ratione est *passio animi*, ac demum pro expectatione boni supernaturalis, prout eam sumimus in præsenti. Sed quia plurimum inservit ad hujus naturam accurate cognoscendam notitia spei, prout est animi passio, sive perturbatio; idcirco quædam de hac præmittere præstat ex Angelico Præceptore.

Spem itaque passionem vendicare sibi veluti propriam sedem, partem appetitus non concupiscentem, sed irascentem, docet ille *lib. 3. sent. distinct. 26. q. 1. art. 2.* his verbis: „ Omnis passio, de cujus intellectu est „ appetitus in bonum cum circumstantia dif„ ficultatis, est in irascibili ... Spes autem „ non est de bono tantum, ad quod nul„ lo modo possit perveniri, nec tam parvo, „ ut pro nihilo habeatur: sed de eo, quod „ est possibile haberi, & tamen est difficile „ ad habendum, propter quod dicitur *ar„ duum*".

II. Hinc *p. 2. q. 40. art. 1.* distinctam facit, ac probat spem a gaudio, desiderio, & amore, quæ ad appetitum concupiscentem pertinent, inquiens: „ Circa objectum spei „ quatuor conditiones attenduntur. Primo „ quidem, quod sit *bonum*. Non enim pro„ prie loquendo est spes, nisi de bono: & „ per hoc differt spes a *timore*, qui est de „ malo. Secundo ut sit *futurum*: non enim „ spes est de præsenti bono jam habito; & „ per hoc differt spes a *gaudio*, quod est de „ bono præsenti. Tertio requiritur, quod „ sit aliquid *arduum* cum difficultate adipi„ scibile, non enim aliquis dici ur aliquid „ sperare, quod statim est in sua potestate, „ ut habeat; & per hoc differt spes a *desi„ derio*, vel *cupiditate*, quæ est de bono fu„ turo absolute: unde pertinet ad concupi„ scibilem; spes autem ad *irascibilem*. Quar„ to quod illud arduum sit *possibile adipisci*: „ non enim aliquis sperat id, quod omnino „ adipisci non potest; & secundum hoc dif„ fert spes a *desperatione*".

III. Nihilominus absque amore, vel desiderio spem non esse, & ex amore veluti ex causa eam oriri, decernit idem S. Thomas *art. 7.* dicens: *In quantum spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur; non enim est spes, nisi de bono desiderato, & amato*. Hinc etiam spes definiri potest; *desiderium quoddam vigorosum, quo erigitur animus ad boni ardui consecutionem*. Desiderium quidem, si ratio veluti generica consideretur nisus vero, conatus, & erectio animi, si spectetur ratio specifica, quæ desiderium ad partem irascentem traducit, illudque differre facit a desiderio, quod est motus, & affectio partis concupiscentis.

§. II.

Notio, & indoles Spei, ut est virtus theologica.

IV. Quæ de spe passione dicimus, dici quoque possunt, si pauca excipias, de spe virtute theologica. Inest hæc rationali ap-

pe-

petitui, sive voluntas, quæ spirituum, aut sanguinis agitatione non excitatur, sed solo regitur rationis judicio. Perturbatio non est, neque turbidus animi motus; immo tranquilla, & placida voluntatis actio, bonumque divinum respicit, & in bona illa sublimia tendit, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec ulla percipit cogitatio, nisi gratuita Dei revelatione illustretur. Ex his ergo hæc confici potest spei definitio; nimirum:

Spes est virtus theologica, qua erigitur animus ad sperandam a Deo æternam beatitudinem ejus auxilio obtinendam.

V. Spes in primis *virtus* est. Cum enim quælibet virtus hoc habeat, quod efficiat *bonum habentem, & actum ejus bonum reddat*; quæ bonitas desumitur ex conformitate vel cum regula proxima, quæ ratio est, vel cum regula suprema, quæ est Deus ipse; manifestum est, spem attingere Deum tamquam regulam suam. Nam, ut ait S. Thomas hic *q.* 17. *art.* 1. *In quantum speramus aliquid ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cujus auxilio innititur. Et idea patet, quod spes est virtus, cum faciat actum hominis bonum, & divinam regulam attingentem.*

Hæc virtus *theologica* est: quoniam, sicut sapienter ratiocinatur S. Doctor *art.* 5. „Spes „habet rationem virtutis ex hoc, quod at„tingit supremam regulam humanorum ac„tuum; quam attingit & sicut primam cau„sam efficientem, in quantum ejus auxilio „innititur, & sicut ultimam causam fi„nalem in quantum in ejus fruitione bea„titudinem expectat. Et sic patet, quod „spei, in quantum est virtus, principale „objectum est Deus. Cum ergo in hoc „consistat ratio virtutis theologicæ, quod „Deum habeat pro objecto, manifestum est, „quod spes est virtus theologica". Verum totum hoc, quod spectat alias particulas in spei definitionem positas, ex iis, quæ mox subjiciemus, evidentius fiet. Interim in quo virtus hæc theologica a duabus aliis virtutibus theologicis, fide scilicet, & charitate, quæ Deum pariter respiciunt, distinguatur, ex eodem S. Præceptore adnotemus.

VI. Totum hoc discrimen ex diverso respectu oritur, sub quo tres istæ virtutes in Deum feruntur. Nam fides Deum considerat, eique inhæret tamquam principio, quo certo cognoscimus rerum veritatem: charitas respicit Deum in semetipso, efficitque, ut ei adhæreamus tamquam bonitati infinitæ in se ipsa. At vero spes tendit in Deum tam, quam principium bonitatis communicabilis creaturæ, adeoque ut principium, quod, dum suam bonitatem communicat, creaturam felicem, atque beatam reddere valet. Audiamus S. Thomam id *art.* 6. egregie enucleantem: *Virtus aliqua dicitur esse theologica ex hoc, quod habet Deum pro objecto, cui inhæret. Potest autem alicui inhærere dupliciter: uno modo propter seipsum; alio modo in quantum ex eo in aliud devenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter seipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris.*

Spes autem, & fides faciunt hominem inhærere Deo sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo inhærere, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem. Credimus enim ea vera esse, quæ nobis a Deo dicuntur. Spes autem facit Deo inhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum scilicet per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam. Hæc ille.

§. III.

§. III.

De objecto Spei Theologicæ.

VII. Objectum spei theologicæ aliud *primarium*, & principale est; aliud *secundarium* & instrumentale. *Primarium* est bonum divinum, seu felicitas æterna, quæ a Deo, ejusque summa bonitate non distinguitur; cætera vero ad objectum Dei *secundarium* pertinent. Quoad primam partem sic evincitur a S. Thoma q. 17. art. 2. *Sicut dictum est*, ait, *spes, de qua nunc loquimur, attingit Deum innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum. Oportet autem, effectum esse causæ proportionatum. Et ideo bonum, quod proprie & principaliter sperare debemus, est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis. Nam infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit. Non enim minus aliquid a Deo sperandum est, quam sit ipse: cum non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quam ejus essentia. Et ideo proprium, & principale objectum spei est beatitudo æterna.*

Altera quoque ab eodem Sancto Doctore traditur in *resp. ad 2.* docens, *Spem principaliter quidem respicere beatitudinem æternam; alia vero, quæ petuntur a Deo, respicere secundario, in ordine ad beatitudinem æternam: sicut & fides principaliter quidem respicit Deum, & secundario respicit ea, quæ ad Deum ordinantur.*

VIII. Verum, ut hoc objectum, quod est divina increata bonitas, spei theologicæ speciem tribuat, necesse est ut proponatur tamquam possibile, futurum, & arduum. Quoniam, si bonitas divina beatificans proponatur *ut impossibilis*, jam evadit objectum desperationis; si *ut præsens*, non est objectum spei, sed gaudii; si *ut facilis*, esset objectum desiderii. Ut igitur objectum spei sit, proponi debet tamquam *possibilis*, *futura*, & *ardua*.

Sed mirum plane est, quanta sit opinionum inter Theologos discrepantia in hac explicanda *arduitate*, quæ convenire beatitudini oportet, ut sit spei objectum. Missis plurimorum plerumque valde dissonis sententiis, legitimam *boni ardui* notionem repetendam duco ex Angelica D. Tomæ doctrina, quæ duo complectitur; ipsam nempe beatitudinem æternam, & labores, molestias, atque perplexitates, sine quibus eadem comparari non potest, ac propterea veluti pretiosior efficitur. Ejus verba habentur *lib. 3. sentent. dist. 26. q. 1. art. 2* ubi ait: *Difficile, vel arduum addit quamdam specialem rationem bonitati, scilicet pretiositatem ex hoc ipso, quod non de facili habetur, sicut dicitur: Omne rarum carum.*

Expositionem hanc satis confirmant Sacræ Litteræ, & Patrum testimonia. Patientiam, quæ labores, ac molestias in hac vita sustinet, spei tribuit S. Paulus in Epist. ad Romanos inquiens: *Spes autem, quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam expectemus.* Patia scribit Hebræis cap. 6. *Fortissimum solamen habemus, qui confugimus ad propositam spem, quam sicut anchoram tenemus animæ tutam ac firmam.* Ubi fortitudo, firmitas, & constantia, quæ spei conditiones numerantur, animum erigunt contra difficultates, quæ occurrunt in hoc statu vitæ mortalis ad beatitudinem consequendam.

Consona est expositio S. Joannis Chrysostomi in priora Apostoli verba *hom. 19.* dicentis: *Deus sic sperantem coronat, ut qui seipsum laboribus infinitis afficit, affligit, excruciat, coronetur. Patientia enim nomen sudorum est, & tolerantiæ multæ. Sed tamen largitus est & hoc speranti, ut animum laboribus exercitum*

tum

tum coquetur. Similia scribit S. Augustinus *in Psal. 91.* inquiens: *Modo ergo patientia necessaria est, quando veniat, quod promissum est. Homo autem patiens est in bonis. Quando dicitur*: Patiens esto, tolera, sustine; *molestia est, sub qua te Deus vult esse fortem, tolerantem, longanimum, patientem*. Paria habent Bernardus, aliique Patres.

IX. At vero non eadem occurrunt hominibus sperantibus impedimenta, quæ, spe elevante animum, vinci debeant. Varia sunt difficultatum genera pro vario sperantium statu, quibus boni comparandi *arduitas* constat. Patent ærumnæ plures, inter quas vitam nos ducimus, concupiscentiæ estuantes, tentationes multæ, occasiones obviæ, incertitudo salutis, quibus difficillimam, ac molestiis circumseptam effici beatitudinis consecutionem nemo non perspicit. Difficilis fuit Apostolis, quamquam essent in gratia confirmati, deque æterna salute securi: neque enim illis concessum est ingredi in Regnum Dei, nisi per labores, afflictiones, persecutiones, & mortem inter pœnas acerrimas a sævitia carnificum obeundam; atque ita de aliis: nam & Christum Dominum *oportuisse pati, & ita intrare in gloriam suam* Scriptura testatur.

Molestiæ porro, labores, anxietates hujusmodi ubi deficiunt, spes nulla proprie dicta locum habet. Unde Beati in patria futuram corporis gloriam expectantes magis eam desiderare, quam sperare dicuntur. Satis præterea est boni consecutionem plenam esse difficultatibus, ut illud speremus, quamquam sperantes adeo possunt esse animo erecti, ac divinis consolationibus perfusi, ut vix arduitatem persentiant; quo pacto *ibant Apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, ut legimus *Actor. cap. 5.* Et similiter delectatio, quam causabat certitudo gloriæ aliquando adipiscendæ, absorbebat omnem afflictionem, quæ ex dilatione ejusdem affligere potuisset Sanctos Patres in Limbo existentes, ut animadvertit S. Thomas.

§. IV.

De ratione formali, sub qua Spes proprium attingit objectum.

X. Etsi in assignanda ratione, *sub qua* spes theologica suum attingit objectum, æternam scilicet beatitudinem, non eadem sit apud omnes opinio; communis tamen, & certa existimanda est Thomistarum sententia, quæ illam collocat in Dei omnipotentia, auxiliante nos ad assequendam beatitudinem; quæ tamen non excludit divinas alias perfectiones, quæ spem nostram omnino firmam faciunt: quemadmodum & testimonium Dei, quod est ratio formalis fidei, præsupponit summam Dei sapientiam, quæ falli non potest, summamque Dei bonitatem, quæ fallere non vult. Supponit itaque etiam spes theologica divinam misericordiam, a qua imperatur, ac divinam fidelitatem, quæ in promissis suis decipere neminem potest.

Hæc propositio adstruitur in primis S. Thomæ auctoritate, qui in Disp. quæst. unica de spe ita loquitur: *Spes adipiscendi vitam æternam habet duo objecta; scilicet ipsam vitam æternam, quam quis sperat*; & hoc est objectum formale quod inspicit, sive quod speramus: *& auxilium divinum, a quo sperat*; sive quo mediante, ac vires præbente vitam æternam adipisci confidimus. *Sicut & fides habet duo objecta, scilicet rem, quam credit, & veritatem primam*, nimirum revelantem, *cui correspondet. Sic igitur, sicut objectum formale fidei est veritas prima revelans &c.; ita etiam formale objectum spei est auxilium divinæ potestatis, & pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata.* Et *art. 4.* ejusdem quæstionis: *Spei*, inquit, *secundum quod est virtus theologica, objectum sur-*

formale est auxilium divinum, cui inhaeretur.

XI. Consentanea est hæc doctrina Divinis Scripturarum testimoniis, quibus ea ratio indicatur, quæ spem theologicam movet, eamque reducit in actum. Pauca profero. Lib. 2. Reg. cap. 22. *Deus fortis meus; sperabo in eum*. Isai. cap. 26. *Sperastis in Domino .... in Domino Deo forti in perpetuum*. Psal. 13. *Ego autem in misericordia tua speravi &c.*

XII. Ratio quoque efficax hoc suadet. Illa namque constituenda est formalis ratio, sub qua spes suum attingit objectum, quæ est motivum sperandi. Omnipotentia autem Dei auxiliantis, sive auxilium Dei adjuvantis motivum est, cur speremus æternam beatitudinem. Si enim ab aliquo quæras, quare amet, ac desideret vitam, aut beatitudinem æternam; respondebit sane, *Quia valde bona est, mihique conveniens*. Si autem rursum quæras ab eodem, cur, aut unde speret, confidat, aut præsumat tantum assequi bonum, quod arduum admodum est? Non utique priorem iterabit responsionem; sed respondebit, aut ipsi profecto respondendum erit: *Tantum bonum assequi spero; quia tametsi arduum illud sit, attamen innitor auxilio divino, sive omnipotentiæ Dei auxiliantis, quæ me potest ad tantum bonum infallibiliter perducere*. Qua responsione proprium suæ spei motivum, causamque adæquatam assignabit. Quemadmodum, ut res clarior exemplo fiat, si Ductor Exercitus interrogetur, quare, vel unde speret victoriam de hostibus reportare, Regnumque aliquod adipisci? Haud plane respondebit: *Quia victoria bona est; quia regnum est bonum, mihi conveniens, aut Principi meo*: Sed potius: *Quia meæ, meorumque militum vires cum Dei adjutorio ad hostes profligandos Regnumque expugnandum sufficiunt*. Qua ex ratione, si bene perpendatur, in fumum abeunt, quæ contra ab adversantibus opponi solent; quibus non aliud reapse probatur, nisi amorem, & desiderium beatitudinis præsupponi quidem ad ipsam spem: sed supposito amore, & desiderio, spem tendere ad illius possessionem, animumque erigi ad eam sperandam non ipsa objecti bonitate, sed auxilio divinæ virtutis.

§. V.

De motivo formali spei secundario, & instrumentali.

XIII. Quamquam vero formale motivum theologicæ spei sit ipsa omnipotentia Dei ex sua misericordia gratiæ auxilia elargientis, quibus ad æternam vitam perducimur; id tamen intelligi debet *de motivo formali primario*: neque enim excludimus motivum aliud *secundarium*, quod in suffragiis Sanctorum, ipsisque in primis meritis Christi Domini, ac etiam nostris fundatur, queis veluti mediis Deus auxilians perducit nos ad beatitudinem. Qua de re disserit S. Thomas hic *q. 17. art. 4.* ubi inquirit: *Utrum aliquis possit licite sperare in homine?* resolvitque, in solo Deo sperandum esse, tamquam *in primaria causa* beatitudinis nostræ: sed licitum simul esse sperare in homine, vel in aliqua alia creatura, sicut *in agente secundario, & instrumentali*, per quod adjuvamur ad bona quæcumque assequenda in beatitudinem ordinata. Verba ejus sunt: *Sicut non licet sperare aliquod bonum præter beatitudinem, sicut ultimum finem; sed solum sicut id, quod est ad finem beatitudinis ordinatum: ita etiam non licet sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de prima causa movente in beatitudinem. Licet autem sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de agente secundario, & instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quacumque bona consequenda in beatitudinem ordinata*.

XIV. Ex quo manifestum est, homines *justos pro bonis operibus, quæ in Deo facta fue-*

fuerint, *expectare*, *& sperare posse æternam retributionem*. Hæc doctrina, quam definivit Concilium Tridentinum *sess. 6. Can. 26.* perspicuis Scripturarum verbis, & perpetua Patrum traditione confirmatur. Tobiæ cap. 4. dicitur: *Fiducia magna erit coram summo Deo omnibus eleemosynam facientibus*. 1. Joan. cap. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. 2. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*. Psal. 4. *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino*: Quæ verba ita commentatur S. Hieronimus in Psal. *Sacrificium Deo immolate justitiam, & consequenter sperabitis in Domino*.

Suffragantur alii Patres. Chrysost. in 2. Epist. ad Corinth: *Optemus*, inquit, *ut etiam ex benefactis habeas fiduciam*. Ambrof. serm. 3. in Psal. 118. *Innocentis est conscientia ab illo, cui servieris, petere mercedem. Pete igitur confidenter, si merita suffragantur*. S. August. præf. in Psal. 31. *Ipsa charitas bene operanti dat ei spem bonæ conscientiæ*. Et serm. 16. de verbis Apostoli: *Quæ spes est, nisi de aliqua conscientiæ bonitate?*

Demum & ratione ipsa theologica comprobatur. Possumus namque iis in rebus spem nostram reponere, quæ a Deo sunt ordinata ad nostram salutem. Ejusmodi autem sunt merita bonorum operum: ita nempe dispositum est a Sapientia, ac Providentia Divina, ut mediantibus operum nostrorum meritis æternam salutem obtineamus; adeoque in ipsis spem nostram collocare possumus veluti in mediis, caussisque instrumentalibus ejusdem salutis.

CAPUT II.

CONSECTARIA.

I. *Spes Theologica, sive ut habitus, sive ut actus spectetur, non causatur ex meritis.*

II. *Amor concupiscentiæ, quo regitur spes, eamdem non inficit, aut corrumpit.*

III. *Spes, sicut & aliæ virtutes theologicæ, medium non habet proprie dictum.*

IV. *Sicut fides spem ordine præcedit; ita spes charitatem.*

V. *Falsa eorum sententia est, qui spem asserunt esse non posse absque charitate.*

VI. *Amor boni, quo spes excitatur magis minusque potest esse imperfectus.*

VII. *Amoris perfectioni non obest, quod Deus cum aliquo ad nos respectu diligatur.*

VIII. *Animarum Pastores fideles doceant oportet, ut bona temporalia, quæ a Deo petunt, aut sperant, in æternam beatitudinem ordinent.*

IX. *Nihil oblat, quominus auxilium Dei nos ad beatitudinem perducentis motivum formale spei nostræ sit, quod causa sit beatitudinis ejusdem effectiva.*

X. *Confidere quidem fas est in bonis nostris operibus, sed magis semper in Dei misericordia.*

XI. *Sperandum non est in meritis nostris, prout nostra sunt, sed prout effectus misericordiæ divinæ.*

XII. *Illud summopere cavendum, ne plus nimio meritis, aut operibus bonis, quæ agimus, confidamus.*

XIII. *Quæ motiva inserviant, ut in hoc laqueos Diaboli, ac illusiones devitemus.*

XIV. *Quamquam spes directe respiciat bonum nostrum, respicere etiam potest bonum proximi, prout quid unum nobiscum est.*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM

I. QUUM spes aliquando *habitum* virtutis significet, aliquando *actum*, quem elicit, juxta utramque consideratiónem spes nobis confertur ex gratia, non autem causatur ex meritis, prout habetur ex S.Thoma. Nam de *habitu* ita loquitur hic art. 1. ad 2.

ad 2. *Ipse habitus spei, per quam aliquis expectat beatitudinem, non causatur ex meritis, sed pure ex gratia*. *De actu* vero spei, sive de expectatione beatitudinis, quæ est actus proprius ipsius, *in Disp. de Spe art. 1. ad 2.* asserit; quod *si expectatio* [beatitudinis] *intelligatur ex meritis provenire ex parte expectantis*, ut scilicet ejusmodi expectatio causetur in homine ex meritis præcedentibus, *ille sensus falsus est*. Quapropter, cum S. Thomas ibidem ait, spem posse provenire ex meritis, *quantum ad actum spei formatæ*, intelligendus est, quatenus is, qui meritorie operatur, ex bonorum operum consideratione, quæ per Dei gratiam elicit, excitatur ad actus spei, & expectationis beatitudinis majori cum fiducia exercendos,

Consectarium Secundum.

II. Non inficitur aliqua imperfectione actus spei ex hoc, quod ab amore *concupiscentiæ* proveniat; nec ideo desinit habere Deum pro suo formali objecto. Neque enim objectum amoris illius concupiscentiæ ad nos refertur tamquam ad finem (quod procul dubio vitiosum esset), sed solum ad subjectum. Siquidem cum æternam appetimus beatitudinem, appetimus illam nobis tamquam subjecto per illam tam inæstimabili bono perficiendo: non autem propter nos sicut propter finem, sed propter Deum, ejusque infinitam bonitatem, quæ noster est ultimus finis. Quomodo Pater Æternus voluit propter nos dare Filium suum Unigenitum, non quod ad nos retulerit veluti ad suum finem, sed sicut ad subiectum, cui tantum bonum communicare voluit. Verum de hoc sermo infra fortasse recurret.

Consectarium Tertium.

III. Spes, sicut & aliæ duæ virtutes theologicæ, medium non habet, sive non consistit, sicut virtutes morales, in medio duorum vitiorum *per excessum*, & *per defectum*, si consideretur per se, & secundum proprium objectum; sive, ut inquit S. Thomas hic art. 5. ad 2. *ex parte principalis objecti: quia divino auxilio nullus potest nimis inniti. Sed quantum ad ea, quæ confidit aliquis se adepturum*, & per accidens ex conditione subjecti sperantis, *potest ibi esse medium, & extrema, in quantum vel præsumit ea, quæ sunt supra suam proportionem*, quatenus caret iis, quæ necessaria sunt ad obtinendam salutem; *vel desperat de iis, quæ sunt proportionata*, scilicet cum non caret dispositionibus ad salutem necessariis.

Consectarium Quartum.

IV. Quum tres sint virtutes theologicæ fides, spes, charitas; recte inter eas talis ordo constitutus est, ut fides præcedat spem, & spes charitatem, quemadmodum eleganter declarat S. Thomas hic *q. 17. art. 7. & 8.* quia objectum spei est illud bonum, quod proponitur a fide; neque cognosci a creatura potest, nisi fide prælucente: amor autem perfectus, scilicet *charitatis*, quo Deus secundum se amatur, posterior est amore imperfecto, quo quis amat alium ut sibi bonum, quo regitur spes, præcedit perfectum, qui est charitas. Unde & Scriptura in nominandis hisce virtutibus hunc ordinem servat, & secundo loco spem collocat. Verum hac in re piaculum foret pulcherrimam doctrinam præterire, quam eodem *art. 8.* tradit S. Doctor; ubi etiam declarat, quo pacto spes introducat ad charitatem.

„ Spes [inquit] & omnis appetitivus
„ motus ex amore derivatur. Amor autem
„ quidam est *perfectus*, quidam *imperfectus*.
„ Perfectus quidem amor est, quo aliquis se-
„ cundum se amatur; ut puta, cum aliquis
„ secundum se vult alicui bonum, sicut ho-
„ mo amat amicum. *Imperfectus* amor est,
„ quo quis amat aliquid non secundum ip-
„ sum

„ sum , sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat : sicut homo amat rem , quam concupiscit . Primus autem amor pertinet ad charitatem , quæ inhæret Deo secundum se ipsum . Sed spes pertinet ad secundum amorem [qui est amor *concupiscentiæ ordinatæ*] : quia ille, qui sperat , *aliquid sibi obtinere intendit* (æternam videlicet beatitudinem , quæ Deus ipse est) . Et ideo in via generationis spes est prior charitate. Sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc , quod timens ab ipso puniri , cessat a peccato , ut Augustinus dicit super primam Canonicam Joannis ; ita etiam spes introducit ad charitatem , in quantum aliquis sperans remunerari a Deo , accenditur ad amandum Deum , & servandum præcepta ejus . Sed secundum ordinem perfectionis charitas prior est naturaliter . Et ideo adveniente charitate, spes perficitur redditur : quia de amicis maxime speramus “ .

CONSECTARIUM QUINTUM .

V. Hinc tamquam falsa rejicienda est Juniorum quorumdam sententia , qui docere videntur , spem non esse sine charitate justificante , innixi aliquorum Patrum testimoniis perperam intellectis . Præcipua horum testimonia , maximeque S. Augustini sibi jam opposuerat S. Thomas *in Disp. q. de spe art.* 3. atque his responsionibus plene diluerat : nimirum vel loqui de spe meritoria , sive meritum habente , cujus principium dubio procul est charitas : vel *de recta voluntate* , quæ causaliter dicitur *charitas* ; quia scilicet perfecta voluntatis rectitudo non potest esse , nisi ex charitate : vel demum spem quidem præsupponere aliquem amorem , non tamen amorem charitatis , sed amorem ordinatum sui ipsius , quo quis divinum bonum desiderat , ac sperat . Videantur , quæ ibidem habet Doctor Angelicus in responsione ad argumenta .

CONSECTARIUM SEXTUM .

VI. Amor boni , quo spes excitatur , magis minusque imperfectus esse potest , secundum quod magis , minusque perfecta amandi Dei ratio , vel idea proponitur . Altera *expressa* dicitur , eaque est bonitas ipsa divina , quam per fidem cognoscimus causam multiplicis utilitatis , & commodi nobis ex ea provenientis . Altera *confusa* est , quæ bonum quoddam sublime nobis repromissum respicit , idest Deum ipsum sub prædicta minus distincta boni repromissi notione . Uterque satis est ad spem Christianam . Verum his imperfectis Dei amoribus non ita spes innititur , ut non aliam perfectiorem etiam causam habeat . Immo in hominibus justis spem fovet ipsa charitas justificans , quæ in statu viæ boni divini absentis desiderium parit , prout explicat S. Thomas hic *art.* 8. *ad* 2. dicens : *Spes , & omnis motus appetitivus ex amore provenit aliquo , quo scilicet aliquis amat bonum expectatum : sed non omnis spes provenit ex charitate* . Sunt enim & alii imperfectiores amores , qui sunt spei causa sufficiens .

CONSECTARIUM SEPTIMUM .

VII. Hinc repudianda omnino plurium Theologorum sententia est , qui confundunt amorem spei cum amore charitatis , Deique amorem ut summi boni , & ultimi finis nostri vocant amorem spei minus perfectum. Existimant quippe amoris perfectioni obesse, quod Deus diligatur cum aliquo ad nos respectu , summi utique boni nostri , nostrique ultimi finis : adeoque perfectionem amoris in eo collocant , quod Deus diligatur præcise ut in se summe bonus est , atque perfectus . Nam præter ea , quæ infra dicemus adversum Quietistas, vel sola verba , quibus nobis præcipitur in Scripturis primum , maximumque mandatum Legis de diligendo Deo, hanc sen-

sententiam falsitatis convincunt. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Quo mandato caritatis dilectionem præcipi, eodemque præcipi dilectionem perfectam, imo perfectissimam, quis in controversiam revocet? Porro ejusmodi dilectio non præcipitur absque ullo ad nos respectu: nam ipsa verba hoc clarissime significant, atque exprimunt, dum dicitur: *Diliges Dominum Deum Tuum*; quasi dicat: *Quia* ipse est Dominus Deus *tuus*; quia Creator *tuus*; quia principium *tuum*, & ultimus finis *tuus*; quia Benefactor *tuus*, Pater *tuus*, omne bonum *tuum*; quæ plane absque relatione ad nos intelligi nequeunt.

Consectarium Octavum.

VIII. Quoniam spei theologicæ objectum est æterna beatitudo, & ea, quæ in ipsam ordinantur, enixe curandum animarum Pastoribus est, ut fideles, dum actus spei eliciunt, in eam potissimum tendant, ac cetera omnia, quibus ad ipsam pervenimus. Nam tametsi etiam bona temporalia a Deo petere liceat, ac sperare, eadem nos a Deo assecutuos; nisi tamen hæc in æternam beatitudinem ordinentur, ad objectum theologicæ spei non pertinent. Quare frequenter fideles suos admoneant, ut ita temporalia bona a Deo petant, quod æternis obtinendis obfutura non sint, sed profutura, Christumque Dominum audiant in Evangelio inculcantem: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicentur vobis*, si expedient ad æternæ salutis consecutionem.

Consectarium Nonum.

IX. Licet auxilium divinum, quo adjuvamur ad beatitudinem obtinendam, comparetur ut causa *effectrix* relate ad media, quibus ipsam beatitudinem assequimur; rationem quoque sortitur *motivi formalis* relate ad ipsam spem. Speramus siquidem beatitudinem obtinere; quia innitimur auxilio omnipotentis Dei, qui ea omnia nobis concedere paratus est, quæ ad assequendam beatitudinem conferunt. Hinc S. Thomas hic *art.* 4. postquam dixit: *Auxilium, per quod aliquis sperat illud bonum obtinere, habet rationem causæ efficientis*: docet deinde ibidem: *Spes respicit beatitudinem æternam, sicut finem ultimum: divinum autem auxilium sicut primam causam inducentem ad beatitudinem*. Unde reducit *auxilium Dei non ad ipsam spem*, ejusque actum; sed ad media, quibus consequimur beatitudinem.

Consectarium Decimum.

X. Confidere quidem possumus etiam in meritis nostris, sive in bonis operibus, quæ in Deo facta fuerint, nos assecuturos æternam retributionem; quemadmodum S. Hilarion morti proximus in ipsis sperabat, animumque suum timore perculsum erigebat dicens: *Egredere, quid times? Egredere, anima mea: quid dubitas? Septuaginta prope annis servisti Christo: & mortem times?* Verumtamen magis, ac potissimum confidere semper oportet in divina misericordia, & bonitate, & in meritis Passionis Christi Redemptoris nostri: non solum quia hæc causa principalis est, per quam possimus ad æternam beatitudinem pervenire, sed etiam quia *universa salus nostra est ingens Dei misericordia*, ut ait piissimus Thomas a Kempis.

Consectarium Undecimum

XI. Ut in suis meritis pie quisquam sperare valeat, illud semper præ oculis habeat, & in mente fixum, quod minime possit sperare in bonis, quæ agit, operibus, prout sua sunt, idest quæ propriis viribus efficit, sed in iis tantummodo, quæ ex gratia divina proficiscuntur, & ipsamet sunt gratia Dei, quia gratuita misericordia donata. *Quid*

quid

quid enim, inquit S. Gregor. Magn. hom. 8. sup. Ezech. *in Sanctorum virtutibus agitur, ejus est gratiæ qui merita largitur*. Et, ut ait Cæleſtinus Papa, & ex ipſo Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 16. *Tanta est Dei erga homines bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*; Quare dum homo omne meritum ſuum gratiæ divinæ adſcribit, id quod expectabit ex ſuis meritis, omnino expectabit ex gratia; atque ita verum erit illud Apoſtoli: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; non in ſemetipſo.

Consectarium Duodecimum.

XII. Illud tamen ſummopere cavere debemus, ne meritis noſtris plus nimio fidamus vel nos justos eſſe certo exiſtimantes, vel plura nobis arrogantes merita, vel noſmetipſos aliis præferentes. Qui enim ejuſmodi perſuaſiones animo fovent, faciliime incicidunt in laqueos Diaboli, & a timore ſalutari, ac ab humilitate excidentes, eadem ipſa, ſiqua reapſe habeant, merita, & gratiam amittunt, ſine qua nullius ſunt coram Deo æſtimationis, atque valoris.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Ut hos Diaboli laqueos devitemus, oportet, ut illud in primis attente recolamus, *in multis offendere omnes*, ut ait Jacob. cap. 3. *neque esse hominem* [monente Eccleſiaſt. c. 6.] *justum in terra, qui faciat bonum, & non peccet*; tum etiam multa nos latere peccata, quæ committimus, de quibus Pſalmiſta dicebat: *Ab occultis meis munda me, Domine*; ac denique neminem propterea juſtificatum eſſe, quod nihil ſibi conſcius ſit. Sic enim docemur timore ſancto ſpem noſtram continere, oculoſque ad Deum attollere, Deique potentiam, ac miſericordiam implorare, ſalutis noſtræ cauſam principalem.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Spes directe ſolum reſpicit bonum ejus, qui ſperat; quia, ut habet S. Doctor hic art. 3. *Motus semper est ad proprium terminum proportionatus mobili; bonum autem alterius non est proprius terminus speranti proportionatus*. Unde S. Auguſt. in Enchirid. cap. 8. ſpem a fide diſtinguit, quod *fides est suarum rerum, & alienarum .... Spes autem nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum & ad eum pertinentium, qui earum spem agere perhibetur*. Conſentit tamen Angelicus, quod ſi proximus ſpectetur, ut nobis unitus, ac veluti unum quid factus nobiſcum per amorem, conſanguinitatem, aut ſimile aliud amicitiæ vinculum; illi, ſicut & nobis ipſis, ſperare poſſimus beatitudinem ſpe theologica. Siquidem amor unit amantem, & amatum, & ex utroque unum efficit; ita ut bonum unius alterius bonum reputetur: atque adeo, quemadmodum amans ſibi ſperat beatitudinem, ita & alteri eamdem ſperare poteſt. Quo ſenſu ſcripſit Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 1. *Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute; sive consolamur pro vestra consolatione; sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur, ut spes nostra firma sit pro vobis, scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis*.

REFLEXIO.

Perpulchra inter alia ſunt documenta, quæ de ſpe exhibet piiſſimus S. Bernardus in expoſitione Davidici Pſalmi nonageſimi, in quibus omnia ferme complectitur, quæ de ipſa hactenus locuti ſumus, ac deinceps loquemur, & ſimul piis affectibus animum excitat, & corda inflammat ad ſpem omnem noſtram in ſolo Deo collocandam. Ex multis, quæ ibidem habet, liceat mihi pro Re-

Reflexione præsenti pauca decerpere; eaque præsertim, quæ tradit in illum versiculum: *Quoniam tu es, Domine, spes mea; Altissimum posuisti refugium tuum*. Sic itaque loquitur.

„ Bona omnia non modo propter Deum „ constat fieri, sed per eum. Deus enim est, „ qui operatur in nobis & velle, & perfi- „ cere pro bona voluntate. Ipse ergo au- „ thor, ipse remunerator operis, ipse remu- „ neratio tota; ut summum illud bonum, „ cujus nimirum tam perfecta est simplicitas „ in se ipso, duplex quodammodo videatur „ in nobis causa bonorum: *effectiva* scilicet, „ & *finalis*. Bene ergo, dilectissimi, quod in „ his omnibus tam multis laboribus vestris „ non modo subsistitis, sed etiam superatis „ propter eum, qui dilexit vos. An vero „ non per eum? Et manifeste. *Sicut enim* „ *abundant pro Christo tribulationes nostræ*, „ ait Apostolus, *ita abundant etiam consola-* „ *tiones nostræ per ipsum*. Usitatus sermo, „ communis sermo: *Propter Deum*; sed pla- „ ne, si non vacue dicitur, profundissimus „ sermo. Crebro sonat in ore hominum, „ etiam a quorum corde longe esse proba- „ tur. Omnes sibi propter Deum præstari „ postulant, propter Deum flagitant sibi „ subveniri. Facile quoque & ipsa petuntur „ propter Deum, quæ tamen non sunt se- „ cundum Deum: & id ipsi fieri obsecrat „ propter Deum, quod non desiderat prop- „ ter Deum, magis autem forte contra „ Deum ". Et post alia quædam, quæ sapienter observat, proximius accedens ad ea psalmi verba: *Quoniam tu es, Domine, spes mea*; hæc subjicit.

„ Quidquid igitur agendum sit, quidquid „ declinandum, quidquid tolerandum, quid- „ quid optandum, *tu es, Domine, spes mea*. „ Hæc mihi omnium promissionum causa: „ hæc tota ratio meæ expectationis. Præ- „ tendat alter meritum, sustinere se jactet „ pondus diei, & æstus, jejunare bis in Sab- „ bato dicat; postremo non esse sicut cæ- „ teros homines glorietur: Mihi autem ad- „ hærere Deo bonum est; ponere in Do- „ mino Deo spem meam. Sperent in aliis „ alii: forte hic in scientia litterarum, hic „ in astutia sæculi; ille in nobilitate, ille „ in dignitate, ille in alia qualibet vanita- „ te confidat: propter te omnia detrimen- „ tum feci, & ut stercora arbitror; quo- „ niam tu es, Domine spes mea. Speret, „ qui vult, in incerto divitiarum: ego ve- „ ro ne ipsa quidem nisi abs te victui ne- „ cessaria spero; nimirum verbo tuo confi- „ dens, in quo abjeci omnia: *Quærite pri-* „ *mum Regnum Dei, & justitiam ejus; &* „ *omnia adjicientur vobis*. Si mihi præmia „ promittuntur, per te obtinenda sperabo: „ si insurgant adversum me prælia, si sæ- „ viat Mundus, si fremat malignus, si ipsa „ caro adversum spiritum concupiscat; in te „ ego sperabo.

„ Hoc sapere, Fratres, ex fide vivere est: „ nec alius ex sententia dicere potest: *Quo-* „ *niam tu es, Domine, spes mea*, nisi cui „ intus sit persuasum a Spiritu, ut [quem- „ admodum monet Propheta] jactet cogi- „ tatum suum in Domino, sciens, quod „ enutriendus sit ab eo juxta illud quoque „ Petri Apostoli: *Omnem sollicitudinem ve-* „ *stram projicientes in eum; ipsi enim cura est* „ *de vobis*. Ut quid enim, si hæc sapimus, „ ut quid cunctamur abjicere spes miseras, „ vanas, inutiles, seductorias; & huic uni „ tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ „ spei tota devotione animi, toto fervore „ spiritus inhærere? Si quid illi impossibile, „ si quid vel difficile est, quære aliud, in quo „ speres. Quid facilius dictu? Attamen hu- „ jusmodi dictum intelligas volo. Si decre- „ verit salvare nos, continuo liberabimur; „ si vivificare placuerit, vita in voluntate „ ejus est: si præmia æterna largiri, licet „ ei, quod vult, facere. An vero de faci- „ litate jam non dubitas; sed ipsa tibi est suf-

fupecta voluntas? Plane & voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis. *Majorem* „ *hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Denique quando in se speranti desit illa majestas, quæ tam studiose monet in se sperati? Plane non derelinquit sperantes in „ se. *Adjuvabit eos*, ait, *& liberabit eos*, „ *& eruet eos a peccatoribus*, *& salvabit eos*. „ Quare? quibus meritis? audi quod sequitur: *Quia speraverunt in eo*. Dulcis causa: Attamen efficax, attamen irrefragabilis. Nimirum hæc est justitia, sed quæ „ ex fide est, non ex lege. *De quacumque* „ *tribulatione*, inquit, *clamaverint ad me*, „ *exaudiam eos*. Ecce numera tribulationes. „ Secundum multitudinem earum consolationes ejus lætificabunt animam tuam; dummodo ad alium non convertaris, dummodo clames ad eum, dummodo speres in „ eum; nec humile aliquid, vel terrenum, „ sed altissimum ponas refugium tuum. „ Quis speravit in eo & confusus est? Facilius est, cælum & terram transire, quam „ verbum ejus evacuari.

„ *Altissimum posuisti refugium tuum*. Non „ accedet illuc tentator, non calumniator „ ascendet, non pessimus ille fratrum accusator attinget. Nempe ei dicitur hoc [recolite Psalmi primo dia]: qui in protectione Altissimi commoratur, illuc refugiens a pusillanimitate spiritus, & tempestate. . . . *Altissimum*, ait, *posuisti refugium tuum*. Sæpe illuc fugiamus, Fratres: munitus est locus; nullus ibi timetur hostis. Utinam magis semper ibi manere liceret! Sed non est hoc temporis hujus. Quod modo refugium est, quandoque „ habitaculum erit, & habitaculum sempiternum. Interim tamen, etsi persistere non conceditur, frequenter tamen est recurrendum; „ nempe ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique „ cujusque modi necessitatem apeta est nobis urbs refugii, sinus matris expansus est: „ parata sunt foramina petræ; patent viscera misericordiæ Dei nostri. Hoc refugium „ qui declinat, nihil mirum, si effugere non „ meretur ". Hæc & alia ibidem habet „ Sanctissimus Abbas, quæ præterire piget; „ sed tamen, ne longior sim, præterire debeo.

CAPUT III.

De subjecto, aliisque Spei Theologicæ conditionibus.

DOCTRINA.

I. *Spes theologica in informem, & formatam accidentario dividitur.*

II. *Nedum in justis, sed etiam in peccatoribus invenitur.*

III. *Non manet in Beatis nec quoad actum, nec quoad habitum.*

IV. *Locum quoque non habet in damnatis: bene vero in animabus in flammis Purgatorii detentis.*

V. *In Cathecuminis quidem est admittenda; non autem in adultis hæreticis, multoque minus in Infidelibus.*

VI. *Spes Christiana summa gaudet certitudine, Quid hæc sit, explicatur.*

VII. *Perspicua de hac certitudine spei Scripturarum testimonia.*

VIII. *Nemo tamen, dum vitam hanc agit, debet esse de sua æterna salute securus.*

IX. *Quo pacto spei certitudo cum salutari timore consistat.*

X. *Spei actus necessarius est ad justificationem, & salutem necessitate medii.*

XI. *Est etiam necessarius necessitate præcepti, & quidem per se, & ex natura hujus virtutis.*

XII. *Quo tempore hoc præceptum eliciendi spei actus obliget tum per se, tum per accidens.*

XIII. *In hac vita admittendus non est Christianæ perfectionis status, qui spei actus eliciendi necessitatem excludat. Quædam propositiones Michaelis de Molinos ab Ecclesia damnatæ.*

XIV. *Alia propositio de hac re D. de Fenelon itidem damnata.*

XV. *Quam merito proscriptæ fuerint relatæ propositiones, ostenditur.*

XVI. *Idem efficaci ratione theologica convincitur.*

SPEI Theologicæ naturam, & indolem satis jam, ut arbitror, in aperto posuimus. Alias modo persequor ejusdem conditiones, ac dotes, quæ spem ipsam, vel ut virtus est, vel ut in actum prodit, circumstant, ut nitidior ejusdem idea, magisque adæquata efformetur. Primumque pauca dissero de ipsius divisione, ac subjecto.

§. I.

Divisio, ac subjectum Spei Theologicæ.

I. Spes theologica una quidem est specie virtus, quia unicum est ejus objectum formale, quod respicit, atque unicum etiam formale motivum, quo in illud tendit. Dividitur tamen accidentario, & ex adjunctis quibusdam, quemadmodum & fides, in spem *formatam*, & *informem*. Spes *informis* dicitur illa, quæ est absque charitate justificante, ut in peccatoribus: Spes *formata* est spes cum charitate justificante conjuncta, ut in justis. Spes *informis*, etsi spes esse non desinat, *mortua* tamen vocatur: quoniam a charitate sejuncta vel est absque motu, & actu, sicut corpus ab anima separatum; vel si quandoque operatur, opera ipsius, quamquam supernaturaliter bona sint, & ad justificationem disponant, viva tamen non sunt, nec æternæ vitæ meritoria. Plerumque autem spes informis iners, & otiosa est; primo propter malam conscientiam: quia timor, qui ex mala conscientia oritur, diffidentiam parit. Secundo propter frigus cupiditatis dominantis, qua peccatoris animus veluti adstringitur, atque obstupescit, & quodammodo rebus terrenis adglutinatur, ac cælestium obliviscitur. Spes vero *formata viva* dicitur, quia charitas, quæ eam format, est veluti vitalis quidam spiritus vivificans, & in actu ponens sicut reliquas virtutes, ita quoque spem. Tum quia bonam tribuit voluntatem, & cælestium bonorum desiderium inflammat: tum etiam quia nos vere Dei amicos constituit; vera autem amicitia diffidentiam nescit.

II. Porro spes, & quidem formata, sicut omnibus inest hominibus justis mortalem hanc vitam agentibus, quia charitas non est absque fide, ac spe, sicut & cæteris virtutibus supernaturalibus, quibus vitam confert; ita eadem, saltem informis, non amittitur a peccatoribus, qui eam in Baptismate receperunt, propter quodcumque peccatum, quod committunt, excepto tamen peccato desperationis, ac etiam præsumptionis præsse dictæ. Sicut enim in peccatoribus permanet fides, ita etiam spes; illa namque prælucente cognoscunt possibilem sibi esse, ac futuram cum arduitate æternæ beatitudinis consecutionem, si a via mala converti velint, & in semitas Domini introire. Unde Syracides *cap.* 21. peccatorem hominem ita ad spem excitat: *Fili, peccasti? non adjicias iterum: sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.*

III. Nullatenus vero spes manet nec in Beatis, nec in Damnatis sive quoad actum, sive quoad habitum. Et si de illis quidem loquamur, satis comperta est hæc veritas saltem quod actum spectat, ex verbis Apostoli. Etenim ad Romanos cap. 8. diserte ait: *Spes autem, quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus*; præter alia plura, quæ apertissime

fime omnem actum fpei a ftatu beatorum excludunt. Sed neque in Beatis admittendum effe habitum fpei probat Doctor Angelicus ex notione habitus ab Augustino tradita in lib. *de bon. conjug. cap.* 21. dicente: *Habitus est, quo aliquid agitur, cum opus est; & , si non agitur, potest*. Ex quo infertur, quod, ubi non poteft effe actus, ubi non eft habitus. Cum igitur in patria beata non poffit effe actus fpei, qui refpicit beatitudinem non habitam, ibi neque fpei habitus effe poteft.

IV. Quoad Damnatos fpectat, hac ratione probat itidem S. Thomas *q.* 18. *art.* 3. *Sicut*, inquit, *de ratione beatitudinis est, ut in ea quietetur voluntas, ita de ratione pœnæ est, ut id, quod pro pœna infligitur, voluntati repugnet. Non autem potest voluntatem quietare, vel repugnare, quod ignoratur. Et ideo Augustinus dicit* 11. fuper Gen. ad litt. *quod Angeli perfecte beati esse non poterant in primo statu ante confirmationem, vel lapsum, cum non essent præscii sui eventus. Requiritur enim ad perfectam, & veram beatitudinem, ut aliquis certus sit de suæ beatitudinis perpetuitate; alioquin voluntas non quietaretur.*

Similiter etiam cum perpetuitas damnationis pertineat ad pœnam Damnatorum, non vere haberet rationem pœnæ, nisi voluntati repugnaret: quod esse non posset, si perpetuitatem suæ damnationis ignorarent. Et ideo ad conditionem miseriæ Damnatorum pertinet, ut ipsi sciant, quod nullo modo possint damnationem evadere .... Unde patet, quod non possunt apprehendere beatitudinem ut bonum possibile; sicut nec Beati ut bonum futurum. Et ideo neque in Beatis, neque in Damnatis est spes. Hinc ob rationem oppofitam admittenda fpes eft in animabus juftis, quæ in pœnis purgatorii detinentur.

V. Demum, ut aliquid etiam dicam de infidelibus, & hæreticis, compertum in primis eft, fpem non amittere habitualem pueros in hærefi prognatos, quam receperunt in Baptifmate, fi retenta promptitudine credendi quidquid Ecclefia Catholica docet, per ignorantiam errant in quibufdam fidei dogmatibus. Patet rurfus Catechumenos ab hærefi, & quacumque infidelitate venientes, fi animo rejiciant quidquid in eorum fecta damnat Ecclefia, poffe, Dei gratia favente, in actus fidei, ac fpei prodire, quibus credant, & fperent beatitudinem æternam.

Quod vero pertinet ad alios hæreticos, & infideles, qui pertinaci voluntate fidei Catholicæ fufficienter propofitæ reluctantur, fpem in ipfis theologicam non inveniri omnino dicendum eft: quoniam, fublato fundamento, cætera omnia, quæ fuperftructa funt, corruant neceffe eft. Fides porro, quæ juxta Apoftoli definitionem fundamentum fpei eft, non eft in infidelibus, & hæreticis; adeoque neque illis fpes ineft theologica, quæ ab illa pendet.

§. II.

De Spei Christianæ certitudine.

VI. Inter præclaras fpei chriftianæ, five theologicæ dotes præftantiffima eft certitudo, aut firmitas, qua ipfa fruitur, quamque peculiari articulo expendit S. Thomas hic *quæst.* 18. Equidem certitudo ex fe, & effentialiter ad facultatem cognofcentem pertinet; non autem ad voluntatem, quæ propria fpei fedes eft: quoniam, ut adnotat ille *in disp. quæst.* 26. *art.* 2. certitudo preffe dicta eft firmitas adhæfionis cognofcitivæ virtutis. Quia tamen, quod per fe uni competit facultati, per analogiam quamdam & alteri non infrequenter tribuitur, potuit ratio, nomenque certitudinis ad voluntatem penes aliquam participationem derivari. Unde ficut, dum intellectus firmiter adhæret, five determinatur ad verum, certitudine gaudere dicitur; ita quoque voluntas, dum firmiter adhæret, five determinatur ad bonum. Spem itaque

M 2 hoc

hoc sensu omnimoda certitudine, seu firmitate potiri tamquam fidei dogma tenendum existimo. Perspicuis namque Sacrarum Litterarum auctoritatibus hæc veritas nititur.

VII. Præsto in primis est testimonium Prophetæ David canentis: *In te, Domine, speravi: non confundar in æternum*. Et: *In te speraverunt Patres nostri, & non sunt confusi*. Sic Syracides cap. 2. Ecclesiast. fidenter dicebat: *Scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est?* Sic Paulus ad Timoth. cum fiducia scribebat: *Scio, cui credidi; & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem*. Et in Epist. ad Hebr. *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam*. Ex quibus, & ex aliis hoc decretum inferendum putavit Synodus Tridentina sess. 6. cap. 13. *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent*.

VIII. At quamquam certa omnino sit spes christiana; nemo tamen de æterna sua salute in hac vita securus est, nisi per divinam revelationem id alicui notum fiat. Hoc assertum eodem loco definivit Tridentina Synodus his verbis: *Nemo de perseverantiæ dono sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur*; quod pariter ex clarissimis Scripturarum textibus deduxit. Nam sacræ litteræ passim monent, ac jubent, ut timeamus, ne a præsenti justitia, & futura excidamus beatitudine. Regius Vates psal. 2. ait: *Servite Domino in timore*. Ecclesiastes cap. 9. *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta*. Apostolus Paulus ad Rom. cap. 11. *Tu autem fide stas. Noli altum sapere; sed time*. 1. ad Corinth. cap. 10. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*. Et 2. ad eosd. cap. 11. *Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua; ita corrumpantur sensus vestri*. Ad Philippenses quoque scribens admonet eos cap. 2. *ut cum metu, & tremore salutem operentur*. Ac demum in Epist. ad *Hebr. cap.* 4. ait: *Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse &c.* Satis sunt hæc, ut nemo hominum sibi plaudat de securitate salutis [nisi forte, quod rarum est, ac paucis contigit, specialem a Deo revelationem consecutus sit], refellanturque Lutheri, ac Calvini somnia securitatem illam obtrudentium, dum justificationis gratiam exponunt.

IX. Quo pacto utrumque consistat, spem esse certam cum hoc timore conjunctam, haud difficile est explicare. Nimirum ex diversis principiis certitudo spei, ac timor de adipiscenda salute proficiscuntur. Nam si principia spectentur, quibus illa innititur, scilicet omnipotentia Dei, quam nihil impedire valet, veritas ejus, atque fidelitas quæ falli, aut fallere nescit, ac merita nostra, quæ valorem certum obtinent, atque indefectibilem, prout sunt *dona Dei*, ab ejusque gratia pendent; spes nostra certissima, ac firmissima est. At vero merita hæc pendent etiam a libero hominum arbitrio, cujus sunt opera; eademque hoc modo sumpta defectum habere possunt juxta conditionem arbitrii, quod in malum vertibile est, expugnarique potest ab adversariis potestatibus, & ab illiciis carnis, & mundi in eo, quod geritur in hac vita, certamine. Unde spes, quæ certitudinem trahit ex propriis principiis, defectum pati potest in subjecto, cui inest.

Utramque certitudinem, & incertitudinem ex diverso capite profectam paucis exponit Augustinus *Enarr. in psal.* 123. inquiens: *Spes nostra tam certa est, quasi res jam perfecta sit: neque enim timemus, promittente veri-*

veritate. *Veritas enim nec falli, nec fallere potest. Bonum est, ut hæreamus illi: ille nos liberat; sed si manserimus in verbis ejus*. Unde non est timendum, nisi de nobis; nempe scilicet in verbis ejus, sive mandatis maneamus.

§. III.

De Spei necessitate medii, ac præcepti.

X. Quum in superiori dissertatione de necessitate fidei agente duplicem distinxerimus necessitatem, *medii* scilicet, ac *præcepti*, ac legitimam dederimus utriusque notionem; de ea rursus hic sermonem habere supervacaneum duco. Quapropter ea nunc supposita doctrina, assero in primis, actum spei in adultis necessarium esse necessitate *medii* ad justificationem, & salutem: quod obvio hoc argumento adstruo. Illud namque necessarium est necessitate *medii* ad justificationem, atque salutem, sine quo utraque obtineri non potest. Quod autem neutra sine spe obtineri valeat, constat ex iisdem momentis, quibus fidei necessitatem ostendimus. Siquidem, ut sapienter animadvertit S. Bernardus *serm.* 10. *in Psalm.* Qui habitat, *Germana fidei, speique cognatio est, ut quod illa futurum credit, hæc sibi incipiat sperare futurum . . . Dicit fides: parata sunt magna, & inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes: mihi illa servantur*. Atque hinc est, quod in Sacris Litteris fides, & spes sæpe invicem conjungantur. De fide dicitur Roman. 4. *Credidit Abraham Deo; & reputatum est illi ad justitiam*. De spe vero: *Qui in spem contra spem credidit*. Et Hebr. xi. *Fide demoratus est* (Abraham) *in terra repromissionis tamquam aliena*; & statim subditur: *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem*. Quin spes indirecte ponitur in ipsa fidei definitione: *Est autem fides*, inquit Apostolus, *sperandarum substantia rerum &c.*; & increduli vocantur *filii diffidentiæ* Ephes. cap. 2. Infirmus enim frustra credit se posse sanari a Medico, nisi etiam speret se sanandum: immo ejus diffidentia indicat, ipsum neque credere. Sicut ergo accedentem ad Deum credere oportet: *quia est*; quia pœnitentibus peccata dimittit, deprecantes exaudit, inquirentibus se remunerator est; similiter eadem speret oportet: alioquin fides ejus inanis foret. Spes enim est dispositio necessaria, tum ad peccatorum veniam obtinendam, ut aperte statuit Synodus Tridentina *sess.* 6. *cap.* 6., tum ad cæteras gratias impetrandas.

XI. Ex his sequitur pars altera, quod nempe spes necessaria sit necessitate *præcepti*. Illud enim, quod est necessarium necessitate *medii*, in adultis est quoque necessarium necessitate *præcepti*: cum omnis homo ea media adhibere teneatur, quæ ad assequendam salutem suam necessaria sunt. Sed præterea divinum præceptum de spe frequenter intonant Sacræ Scripturæ. Psal. 65. *Sperate in eo omnis congregatio populi*. Ecclesiast. xi. *Dirige viam tuam, & spera in illum*, Osc. 12. *Spera in Deo tuo*; aliaque his similia. Hoc etiam ex Tridentina Synodo laudato loco patet, ubi de impiorum justificatione agens, tum fidei, tum spei ad ipsam acquirendam actum necessarium pronunciat, dum ait: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum &c. Et dum peccatores se esse intelligentes a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerationem Dei misericordiæ se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore &c.*

At non tantum spei eliciendi sunt actus ad donum justificationis obtinendum: verum etiam præceptum divinum peculiare urget, quod spei actus quandoque elicere *per se* obligat, ut inter alia constat ex propositione prima damnata ab Alexandro VII. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere* actus-

ctus fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium. Quare hoc speciale præceptum *per se* obligans, sive ex natura ipsius spei, negari amplius a nemine potest; quidquid aliter olim senserint aliqui Theologi.

XII. Sed quo tempore hocce præceptum obligat? Recolantur, quæ a nobis superius dicta sunt de fide, agentibus de obligatione *per se*, & *per accidens*. Eadem quippe de utriusque virtutis actibus eliciendis ratio ferme militat. Ex quibus certum in primis mihi est, *per se* teneri Christianum hominem sæpe prorumpere in actus spei; quemadmodum sæpe operari debet propter vitam æternam, ad quam assequendam nitimur non propriis quidem viribus, sed omnipotentis Dei auxilio, quod in se sperantibus misericorditer promisit. Itaque identidem in motus spei effundi debet cor nostrum, totum se, suaque omnia divinæ curæ, atque misericordiæ committendo, ut promissum tandem bravium assequatur.

Consentiunt deinde Thomistæ, ac Theologi saniora docentes, hominem in primo suæ rationis morali instanti debere sibi finem suum ultimum Deum præstituere, illi se devovere, omnem illi fidem, spemque amoremque suum consecrare. Præterea urget etiam præceptum, sicut & fidei, ac charitatis, in mortis periculo. Item, saltem *per accidens*, quoties graves ingruunt tentationes contra spem, animusque desperationis motibus concutitur: ac etiam cum urget pœnitentiæ præceptum. *Nemo quippe bene potest agere pœnitentiam, nisi speraverit indulgentiam*, ut inquit S. Ambrosius. Denique credunt aliqui (advertit optime Contensonius) eum qui aliquoties per annum in fervidos spei actus prorumpit, hoc præceptum adimplevisse. Ego vero crediderim, quod licet illi, qui in negotio salutis incuriosi fuat, & negligentes, vix de Divinis cogitant, orationi non vacant, vitæ interiori nullam operam navant, istud spei præceptum non adimplere merito censendi sint; illi tamen, qui e contra haud segnem rebus salutis diligentiam adhibent, piis exercitiis incumbunt, ad Deum crebro, & filiali affectu recurrunt, præceptum istud adimpleant. Siquidem non illam adhiberent curam salutis, nisi vero spei motu cierentur.

§. IV.

An in hac vita admitti possit status perfectionis, qui excludat spem remunerationis æternæ, quemadmodum & pœnarum timorem.

XIII. Extiterunt circa finem sæculi proxime elapsi nonnulli, qui Christianæ perfectionis limites nimium protendere volentes in errores plurimos prolapsi sunt, & *Quietistæ*, ac etiam *Semiquietistæ*, vel communi nomine *Pseudomistici* sunt appellati. Quænam horum de hac re sententia fuerit, ex propositionibus, quas Ecclesia damnavit, facile colligitur. Atque in primis Innocentius XI. in Bulla *Cœlestis Pastor* sequentes theses nigro theta notavit Michaelis de Molinos. Prima est in ordine XI. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso: nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis &c.*

N. XIII. *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra; & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.*

N. XIV. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio: cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii: Petite*

tite, & accip etis; *non est dictum de animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.*

N. XV. *Sicut non debent a Deo rem aliquam petere; ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus proprie voluntatis.*

N. XVI. *Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & illud ab amore nostri interessato; nec est res Deo grata, nec meritoria; quia est velle Crucem fugere.*

XIV. Hæ quidem ex Michaele de Molinos. Sed & alia propositio damnata quoque ab Ecclesia est per Summum Pontificem Innocentium XII., eruta ex Libro *Maximæ Sanctorum* D. De Fenelon Archiepiscopi Cameracensis, proximius ad rem præsentem, quæ ita sonat: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Nec timor pœnarum, neque desiderium remunerationis habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, nec propter felicitatem in eo amando inveniendam.*

Vitium & error hujusce propositionis, sicut & aliarum quæ ibidem tradit, in eo potissimum consistit, quod admittat in hac vita statum animæ *habitualem*, que excludat exercitium spei, atque timoris. Nam quod aliquando prorumpere valeat homo in aliquem actum amoris Dei puri, absque respectu ad spem felicitatis æternæ, ac pœnarum timorem, admittitur, & admitti debet, præcipue in animabus quibusdam perfectis, qui ferventi affectu feruntur in Deum.

XV. Porro quam merito a Summis Pontificibus proscriptæ fuerint memoratæ propositiones, satis constare arbitror ex necessitate christianæ spei, timorisque salutaris, quæ ex perspicuis Scripturarum textibus evidentissime liquet. Profecto Sanctissimi Viri Abraham, Jobus, Moyses, David, aliique ex Testamento Veteri erant in statu vitæ perfecto; & nihilominus quot actus spei ab ipsis eliciti leguntur? In novo quoque Testamento plurima suppetunt momenta, quæ eamdem adstruunt veritatem, & oppositum errorem profligant. Nam ad Rom. cap. 8. scribit Apostolus: *Nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus ..... si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Hæc utique verba dicuntur de perfectissimis Christianis, atque etiam de ipso Apostolo, qui raptus est usque ad tertium cœlum, & cui plane nemo se conferre, nedum præferre præsumat.

Idem Apostolus ad Philip. *cap.* 3. ita de semetipso loquitur: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim &c. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens; ad ea vero, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor &c. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Omitto reliqua..

XVI. Efficax quoque ratio idem confirmat. Siquidem, quamdiu degimus in hac mortali miserrima vita, nunquam desunt tentationes, nunquam Mundi, & Carnis saltem aliqui illecebrosi, aut inordinati motus impetere nos desinunt; & corpus, quod corrumpitur, semper aggravat animam; ac voluntas semper in malum variabilis est; aliaque hujuscemodi continenter occurrunt. Igitur quemadmodum ex una parte de nobis metuere debemuus; ita ex alia assumere oportet scutum fidei, & *galeam spei salutis induere*, ut vincere possimus adversarios nostros, & ad sempiternam illam beatitudinem tendere, ubi nec timendi, nec sperandi necessitas erit. Sane ponere statum habitualis amoris Dei, in quo nunquam desideremus, atque speremus bonum illud, ad quod divina misericordia nos de-

destruxit, est ipsi misericordiæ Dei injuriam facere; nec eum servare ordinem, quem Deus ipse hominibus viatoribus præscripsit.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Infidelitatis peccato spes excluditur.*

II. *Spes, quæ in infidelibus esse videtur, nihil aliud est, quam naturalis quidam, & vanus affectus.*

III. *Non ideo spes Christiana a sua certitudine excidit, quod nemo in hac vita possit esse de sua salute securus.*

IV. *Spei certitudo cum plurium Christianorum damnatione optime concilatur.*

V. *Commentum est Hæreticorum, spem secum afferre omnimodam securitatem salutis.*

VI. *In quo differat certitudo spei a certitudine fidei.*

VII. *Improbanda est sententia P. Thomæ Sanchez circa obligationem præcepti spei, quemadmodum & P. Castropalai.*

VIII. *Quid colligi debeat ex damnatione a Summis Pontificibus facta plurium propositionum Michaelis Molinos, & D. de Fenelon.*

IX. *Aliæ quædam de eodem argumento illatæ ex hujus doctrina, & ab Ecclesia meritissime damnatæ propositiones.*

X. *Quo pacto se gerere debeat Confessarius, aut director cum animabus excellentis pietatis, dum desperationis stimulis aguntur.*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. Nedum spes excluditur a vitiis, quæ ipsi opponuntur, nimirum desperatione, ac præsumptione proprie dicta, verum etiam infidelitate, sive infidelitatis actu. Ratio est, quia fides ex Concilio Tridentino nedum est radix, & fundamentum cæterarum virtutum theologicarum, sicut etiam aliarum virtutum supernaturalium; sed etiam peculiari quadam ratione spei theologicæ, ut patet ex ipsa fidei definitione.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Hinc spes, quæ videtur esse in infidelibus, & hæreticis, nihil aliud dici debet, quam naturalis quidam, vanusque affectus, quo nituntur in beatudinem, quam sibi confingunt. *Confictam* dico *beatitudinem*, spemque illorum inanem, vel quia in eo ponunt felicitatem, in quo revera non est, ut Gentiles, & Mahumetani; vel quia a legitima eam sejungunt ratione spei per Jesum Christum unum Mediatorem Dei, & Hominum; vel demum quia non quærunt eamdem, ut hæretici, per media a Deo ordinata, quæ sunt auxilia gratiæ, Ecclesia Catholica, operum merita, & id genus alia.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Quamquam in hac vita nemo scire certo possit, an divinam gratiam justificantem possideat; non ideo spes Theologica a certitudine excidit, quam ipsi tribuimus. Siquidem, ut animadvertit S. Thomas quæst. 18. art. 4 ad 2. *Spes non innititur principaliter gratiæ jam habitæ, sed divinæ omnipotentiæ, & misericordiæ, per quam etiam qui gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad vitam æternam perveniat. De omnipotentia autem Dei, & misericordia certus est, quicumque fidem habet.*

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Non ex eo, quod plurimi Christianorum, qui spem habent, sperantque se consequuturos beatitudinem, eam tamen non consequuntur, sed damnantur, colligere fas est, spem Christianam summa certitudine non gaudere. Hic enim defectus haud se

se tenet ex parte Dei, divinæque suæ omnipotentiæ, ac misericordiæ, sed ex parte liberi arbitrii, quod impedimentum apponit effusioni divinæ bonitatis. *Quod aliqui*, inquit S. Thomas hic ad 3. *habentes spem deficiant a consecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitri ponentis obstaculum peccati; non autem ex defectu divinæ potentiæ, & misericordiæ, cui spes innititur. Unde hoc non præjudicat certitudini spei.*

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Hæreticorum commentum est, spem Christianam secum afferre securitatem salutis, sublato omni damnationis metu; quod jam a Synodo Tridentina anathemate percussum fuit. Quandoquidem Deus non absolute unicuique nostrum vitam æternam promisit; sed si vigilantes erimus in via salutis, si mandata ejus servabimus, si in bono usque in vitæ finem perseverabimus: quas conditiones cum nemo scire debeat, num in se adimplendæ sint, sequitur, neminem de consecutione æternæ salutis suæ posse esse securum. Et certe, ut alia plura, quæ jam innuimus, Scripturarum testimonia prætermittam, nonne solum illud ad hanc securitatem removendam satis esse deberet, quod apud Job legitur: *Militia est vita hominis super terram?* Quamdiu enim certatur, incerta victoria est: quandoque equidem vincimus, at etiam quandoque vincimur. Atque utinam pauci essent, qui ab hostibus nos continenter impugnantibus vincerentur! Sed heu plures, ac plures sunt etiam inter Christianos, qui turpiter vincuntur, & impugnationibus succumbunt.

CONSECTARIUM SEXTUM

VI. Ex his perspici facile potest, in quibus certitudo *spei* differat a certitudine *fidei*; in hoc nimirum, quod certitudo fidei sit intellectus; certitudo spei voluntatis. Deinde quia certitudo fidei nullatenus deficere potest, cum soli innitatur divino testimonio, quod nec falli, nec fallere potest; at vero spei quamquam ex parte Dei deficere nequeat, *per accidens* tamen deficere potest; si conditiones non ponantur, quæ ad rem speratam consequendam requiruntur. Demum quia certitudo fidei repugnat errori, & dubitationi; certitudo autem spei diffidentiæ, & hæsitationi.

CONSECTARIUM SEPTIMUM

VII. Improbanda est opinio P. Thomæ Sanchez, & Castropalai, aliorumque, quorum primus *lib. 2. in Decal. cap. 35. n. 3.* relatis aliorum sententiis, *per se* solum obligare docet spei præceptum, *quando aliquis desperationis gravi tentatione vexatus, in succumbendi periculo est nisi actu spei contrario animum confirmet*. Hoc præceptum spei actus eliciendi *per se* revera non est, & vi hujus virtutis ad spei actus nos urgentis, sed potius *per accidens*. Unde juxta hunc authorem, si nunquam occurrat desperationis periculum, toto vitæ suæ tempore ad actum spei eliciendum nunquam obligatur. Propterea hæc sententia damnata dicenda est in prima propositione Decreti Alexandri VII.

Alter vero, nempe Castropalaus *tract. 5. p. 4. T. 1. n. 4.* hæc habet: *Restat ergo ut dicamus, nullum esse tempus determinatum, in quo hujusmodi præceptum obliget: sed prudentis arbitrio mensurandum esse, nec permittendum longo tempore differri*. Hæc opinio adversatur non solum communi Theologorum sensui, verum etiam veritati. Siquidem si spei obligatio ex divino præcepto oritur, designatum tempus habere debet, quo præceptum obliget, illudque observare teneamur, nec soli prudentum arbitrio talem obligationem relinquere. Recolantur, quæ supra dicta sunt tum de spei, tum de fidei actuum obligatione.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. & ab Innocentio XII. in Decretis tum contra Michaelem de Molinos, tum contra Fenelonium Archiepiscopum Cameracensem editis, consequitur evidenter, semper locum esse spei theologicæ exercendæ, dum in hac vita mortali degimus, hominemque, in quocumque statu etiam excellentis perfectionis vitæ spiritualis existat, non debere excludere abs se exercitium spei, sicut etiam timoris Dei. Quæ sunt expressa in eorum novo systemate vitæ spiritualis, atque proscripta a Summis Pontificibus, id perspicue convincunt.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Hinc etiam jure, ac merito in eadem postremi decreti damnatione comprehensæ sunt sequentes aliæ propositiones.

N. II. *In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.*

N. IV. *In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.*

N. V. *In eodem statu nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.*

N. VI. *In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.*

N. VII. *Abnegatio, seu sui ipsius renunciatio: quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit ..... non est, nisi quoad interesse proprium .... Extremæ probationes, in quibus hominis abnegatio .... exerceri debet, sunt tentationes, in quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.*

N. XI. *In hoc statu anima amittit omnem spem proprii interesse; sed nunquam amittit in parte superiori idest in suis actibus directis, & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.*

N. XIX. *Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.*

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Director animæ eminentis pietatis, quæ, dum suas miserias contemplatur, desperationis motibus agitur, numquam permittere debet, ut sibi suadeat, jam esse a Deo derelictam, atque in reproborum numero positam. Huic quoque propositioni contrariam jam ab Ecclesia reprobatam tradidere Pseudo-mystici docentes, ut ex n. XII. Decreti Innocentiani liquet: *Director potest huic animæ excellentis pietatis permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui propii interesse, & justæ condemnationi, quam a Deo sibi indictam credit.* Illusio hæc est, atque error nimium manifestus. Nam consentire æternæ suæ damnationi, & adhærere cogitationi non amplius sperandi beatitudinem perinde est, ac desperare de ipsa, atque adeo peccatum desperationis incurrere: sicut qui assentitur cogitationi contra fidem, incurrit peccatum infidelitatis. Neque dicant Pseudo-mystici, animam tunc non assentiri desperationi actu *directo*, sed actu solum *reflexo*. Hoc enim principium actus directi, ac reflexi enormioribus delictis suffragatur. Sic impudicus ex. gr.

gr. obtrudere posset, se actu directo servare castitatem in corde suo, dum interim actu reflexo suam fragilitatem considerans corpus suum nefariis abominationis polluit; quod plane collegerunt & antiqui Gnostici, ac nuper Michael de Molinos.

REFLEXIO.

Spes Christiana, ut jam satis ostendimus, innixa omnipotentiæ Dei, atque misericordiæ, divinisque, suis promissionibus, certissima est, nullaque ex parte deficere potest; sed firma omnino, atque immota consistit. Cur igitur non erigimus animum ad sempiternam beatitudinem sperandam iis suffulti principiis plane infallibilibus, iis freti fundamentis penitus inconcussis? Cur non tota fiducia clamamus ad Dominum cum Regali Propheta: *Dominus firmamentum meum, refugium meum, liberator meus, Deus meus, adjutor meus, sperabo in eum: in te, Domine, speravi; non confundar in æternum?* Cur fiduciam nostram magis, magisque erigentes cum eodem non adjungimus: *In verbis tuis supersperavi?* Non solum *sperabat* ille in Deo suo, verum etiam *supersperabat*. Sperabat scilicet *supra* omne id, quod exprimi verbis potest; *supra* id, quod ab homine cogitari valet; *supra* id, quod dixerunt Scripturæ, quod prædicaverunt Prophetæ, quod Sancti unquam annunciaverunt. *Supersperabat* in omnipotentia, cui nihil est, quod possit resistere, in misericordia, quæ cum infinita sit, spem omnem nostram longe præ ergreditur. *Supersperabat* in verbis Dei supra cœlum, & terram permansuris. *Supersperabat* in promissionibus merita, & vota nostra excedentibus: quoniam, tametsi magna sint, quæ promisit, majus tamen est, quod futurum exspectamus. Ejusmodi erat spes piissimi Regis; atque eadem quoque debet esse spes omnium nostrum, quos divina bonitas, dum vocavit ad fidem, & ad admirabile lumen suum, *singulariter in spe constituit*. Litigent ergo inter se, atque invicem digladientur Theologi, num, cui facta foret propriæ damnationis revelatio, posset adhuc sperare suam beatitudinem? Mittamus nos vanas hujusmodi, atque inutiles quæstiones; nos, inquam, queis peculiaris æternæ vitæ facta repromissio est; ac dicamus iterum atque iterum ad Dominum cum Davide: *In verbis tuis supersperavi*; addamusque fidenter cum Sanctissimo Job: *Etiamsi occiderit me, sperabo in eum*; etiamsi pugnæ undique ex omni parte ingruant, atque timores; etiamsi tentationes, persecutiones, cupiditates, angustiæ, pericula circumquaque obsideant, vexent, perturbent, & ad æternam damnationem pertrahere conentur, *in eo semper sperabo, ac supersperabo*.

„ Si ad nos attendamus (appositissime S. „ August. enarrat. in psal. 148.) quid su„ mus? si ad illum: Deus est, *omnipotens* „ *est*, misericors est &c. Num pro minimo „ habet Deus hominem, propter quem mori „ voluit unicum suum? &c. Erigat ergo se „ humana fragilitas: non desperet; non se „ collidat &c. Qui promisit, Deus est; & „ venit, ut promitteret: apparuit homini„ bus, venit suscipere mortem nostram, „ promittere vitam suam. Venit ad regio„ nem peregrinationis nostræ, accipere hic, „ quod hic abundat, opprobria, flagella, „ colaphos, sputa in faciem, contumelias, „ spineam coronam, suspensionem in ligno, „ crucem, mortem. Hæc abundant in re„ gione nostra: ad talia commercia venit. „ Quid hic dedit, quid accepit? Dedit ex„ hortationem, dedit doctrinam, dedit re„ missionem peccatorum: accepit contume„ lias, mortem, crucem. Attulit nobis de „ illa regione bona, & in regione nostra „ pertulit mala. Promisit tamen nobis,

 quod

„ quod ibi futuri sumus, unde venit; & „ ait: *Pater, volo, ut ubi ego sum, & ipsi* „ *sint mecum*. Tanta præcessit dilectio &c. „ Plus est jam quod fecit, quam quod pro- „ misit. Quid fecit? Mortuus est pro te. „ Quid promisit? Ut vivas cum illo. In- „ credibilius est, quod mortuus est æternus, „ quam ut in æternum vivat mortalis. Jam „ quod incredibilius est, tenemus. Si propter „ hominem mortuus est Deus, non est vi- „ cturus homo cum Deo? non est victurus „ mortalis in æternum, propter quem mor- „ tuus est, qui vivit in æternum?

Itaque cum tot, ac tanta teneamus spei nostræ argumenta firmissima, cur non in Deo nostro fidentissime non sperabimus? cur angustiis, tribulationibus, conflictu, quem cum mundo, carne, & Diaboli potestate sustinere cogimus, nos dejici, ac opprimi patiemur? Immo potius in hac misera vita, in hac valle horroris, lacrymarum, atque periculorum hanc galeam salutis debemus assumere, huic anchoræ firmæ, ac tutæ confidere, eamque perpetim adhibere ad vitæ nostræ solatium, ne in tot adversitatibus, quæ hic nos circumstant, animo unquam concidamus. Nimirum spes futuræ beatissimæ immortalitatis sola est, quæ nos solari in hac vita possit, quæ animum inter tot adversa, totque labores confirmare valeat. Adeoque subdit Augustinus serm. 158. *Spes peregrinationi huic nostræ necessaria est: ipsa est, quæ consolatur in via. Viator enim, quando laborat ambulando, ideo laborem tolerat, quia pervenire sperat. Tolle illi spem perveniendi, continuo franguntur vires ambulandi. Ergo & spes, quæ hic est, ad justitiam pertinet peregrinationis nostræ. Ipsum Apostolum audi:* Adoptionem, *inquit*, expectantes, in nobismetipsis ingemiscimus adhuc. *Ubi est gemitus, jam non potest dici illa felicitas, de qua Scriptura dicit*: Transit labor, & gemitus.... *Adhuc ingemiscimus. Quare?* Spe enim salvi facti sumus, per patientiam expectamus. *In hac ergo patientia Martyres coronabantur. Desiderabant, quæ non videbant; contemnebant, quæ ferebant.* In hac spe, *dicebant*, quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius. Quapropter Regius Psaltes canebat: *Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum*, promissio tua, seu tuæ beatitudinis *vivificavit me*.

CAPUT V.

De Timore Dei.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA

I. *Timoris universim inspecti notio*.
II. *Objectum timoris Dei specialiter considerati.*
III. *Timoris divisio in plures species*.
IV. *De timore mundano, sive humano. Quodnam sit ejus objectum*.
V. *Pravitas hujusce timoris declaratur*.
VI. *A quo amore timor mundanus originem, ac labem trahat*.
VII. *De timore casto & filiali. Quomodo ejus objectum culpa sit*.
VIII. *Quædam Consectaria colliguntur*.
IX. *Alia nomina, quibus castus timor designatur, eorumque explicationes*.
X. *A quo amore timor castus proficiscatur*.
XI. *Non solum malum culpæ, sed & ipsa separatio a Deo consequens culpam, casti timoris objectum est*.
XII. *De timore* servili. *Ejus objectum, & causa*.
XIII. *Hujus discrimen a timore* mundano, & casto, sive filiali.
XIV. *Amor, a quo originem ducit* servilis *timor*.
XV *Bonus; ac honestus est hujusmodi timor.*
XVI. *A quo honestatem timor iste desumat*.
XVII. *Triplex distinguitur amor, a quo servilis timor oriri potest*.

XVIII.

XVIII. *Dum oritur ex amore mundano, ab ipso labem, ac malitiam contrahit: dum autem ex amore honesto, & ipse honestus est.*

XIX. *Duo admodum consideranda, ac distinguenda in servili timore; nempe* timor *ipse, &* servilitas. *Prior secundum se bonus est: altera semper mala.*

XX. *Quandonam timor* servilitate *inficiatur, ac malus fiat.*

XXI. *Idea, atque notio timoris* initialis.

XXII. *Substantia, & officio a* filiali *timore non differt.*

XXIII. *Unde timor* initialis *ortum ducat.*

XXIV. *Nonnulla Consectaria ex tradita doctrina derivata.*

Reflexio.

§. I.

Timoris Dei indoles, ac natura.

I. DISPUTATIONI de spe jure meritoque S. Thomas statim adnectit quæstionem *de Timore Dei*; quod spei fiducia, quæ propriis innixa principiis, & causis certa est, atque immobilis, incerta in subjecto, cui inest, ac facti timoris formidine temperata id præstat, ut spei securitas foveat, atque firmet certantes in hujus vitæ stadio, & comes timor serpentes pungat, & excitet. De timore universim considerato pertractat Doctor Angelicus *in* 2. 2. *q.* 41.; hic vero in specie, prout est timor ipsius Dei. Ex primo itaque loco pauca quædam delibabimus; ac deinde ad illud, quod ad præsens argumentum potissimum spectat, accedemus.

Timoris ideam nitidissime exponit S. Doctor cit. quæst, *art.* 2. inita comparatione cum spe his verbis: *Timor habet speciale objectum, sicut & spes. Sicut enim objectum spei est bonum futurum, arduum, possibile adipisci; ita objectum timoris est malum futurum, difficile, cui resisti non potest.*

Duo etiam in eodem objecto sicut spei, ita etiam timoris, discerni oportere animadvertit *quæst. seq. art.* 2. inquiens: *Sicuti spes ad duo respicit, scilicet ad bonum, in quod tendit, & ad id, per quod sperat se bonum concupitum adipisci; ita etiam timor ad duo respicit, scilicet ad malum, quod refugit, & ad illud, quod sua virtute potest infligere malum.* Hinc loco ante cit. merito colligit, sicuti spem, ita etiam timorem in parte irascente sive appetitus, sive voluntatis sedem habere. Quandoquidem non respicit malum absolute, sed cum quadam difficultate, & arduitate, ut ei resisti vix possit: adeoque non est simplex quædam fuga, & abominatio mali, sed exprimit etiam quamdam depressionem animi ob difficultatem mali vitandi. Unde colligit, timorem oriri ex amore, & desiderio boni; *Quia sicut spes causatur, vel nititur desiderio boni; ita timor est ex fuga mali. Fuga autem mali oritur ex desiderio boni.* Ita nempe cor nostrum comparatum est, ut amet bonum, quod convenit: fugiat vero, vel abominetur malum adversum; illudque, si difficile, & arduum cernat, depresso animo timeat.

II. Quibus positis de timore universim inspecto, accedimus ad præsentem *quæst.* 19. ubi S. Thomas *de Timore Dei* specialiter agens, primo loco inquirit, *utrum Deus possit timeri?* sive possit esse timoris objectum, quam quæstionem ita præclare resolvit. " Sicut spes habet duplex objectum, „ quorum unum est ipsum bonum futurum, cujus adeptionem quis expectat; „ aliud autem est auxilium alicujus, per „ quem expectat se adipisci, quod sperat: „ ita etiam & timor duplex objectum habere potest, quorum unum est *ipsum malum*, quod homo refugit; aliud autem est „ illud, a quo malum provenire potest. „ Primo ergo modo *Deus*, qui est ipsa bonitas, *objectum timoris esse non potest*: sed

sec.

„ secundo modo *potest esse objectum timoris* ; „ in quantum scilicet ab ipso , vel per com- „ parationem ad ipsum nobis potest aliquod „ malum imminere .

„ Ab ipso quidem potest nobis immine- „ re malum pœnæ , quod non est simplici- „ ter malum , sed secundum quid : bonum „ autem *simpliciter* . Cum enim bonum di- „ catur in ordine ad finem , malum autem „ importet hujus ordinis privationem ; illud „ est malum simpliciter , quod excludit or- „ dinem a fine ultimo , quod est malum „ culpæ . Malum autem pœnæ est quidem „ malum , in quantum privat aliquod par- „ ticulare bonum ; est tamen bonum sim- „ pliciter , in quantum dependet ab ordine „ finis ultimi . Per comparationem autem „ ad Deum potest malum culpæ provenire , „ si ab eo separemur . Et per hunc modum „ Deus potest , ac debet timeri “ .

Et in *resp. ad* 2. magis explicans , quomodo Deus idem , qui est objectum nostræ spei , sit simul objectum timoris , ait : *In Deo est considerare & justitiam , secundum quam peccantes punit , & misericordiam , secundum quam nos liberat . Secundum ergo considerationem ipsius justitiæ insurgit in nobis timor : secundum autem considerationem ipsius misericordiæ insurgit in nobis spes . Et ita secundum diversas rationes Deus est objectum spei , & timoris* .

§. II.

Timoris Divisio .

III. Plures distingui solent species timoris . Celebrior ea divisio est , quæ traditur hic *art.* 2. a S. Thoma ex Magistro Sententiarum , qui *dist.* 34. *cap.* 4. ita docet : *Sciendum est , quatuor esse timores ; scilicet mundanum , seu humanum ; servilem ; initialem ; castum , seu filialem , sive amicabilem* . Humanus timor est , ut ait Cassiodorus , *quando timemus pati pericula carnis , vel perdere bona mundi ; propter quod delinquimus* . Hic timor malus est , eumque prohibet Dominus in Evangelio dicens : *Nolite timere eos , qui occidunt corpus* . Timor autem *servilis* , ut ait Augustinus , est , *dum per timorem pœnæ continet se homo a peccato , præsentiam Judicis , & pœnam metuit ; & facit , quidquid facit , non timore amittendi æternum bonum , quod non amat , sed timore patiendi malum , quod formidat . Non timet , ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi ; sed timet , ne mittatur in gehennam* . Bonus est iste timor , atque utilis ad justitiam , tametsi se solo ad eam comparandam insufficiens . Huic succedit timor *initialis* , quando incipit amari , quod durum ac molestum erat ; atque ita incipit excludi timor *servilis* a caritate . Succedit demum timor *castus* , sive amicabilis , quo timemus , ne Sponsus tardet , ne discedat a nobis , neve illum offendamus , aut eo careamus . Timor iste ab amore caritatis proficiscitur . Timores istos paulo amplius expendamus .

§. III.

De Timore Mundano .

IV. Primus ex adductis timoribus considerandus occurrit , *Mundanus* , quem etiam *humanum* vocant Patres , ac Theologi . *Malum* , quod iste timet , malique causam effectricem paucis declarat S. Thomas hic q. 19. art. 2. ad 4. *Timor mundanus* , inquit , *sive humanus respicit pœnam a Deo avertentem , quam quandoque inimici Dei infligunt , vel comminantur* . Hoc timore corripiebantur pavidi , & ignavi milites Christi , qui ne capite , aut bonorum expoliatione plecterentur a persecutoribus fidei , idolis thus adolebant , aut fidem abnegabant ; eodemque tenentur desides Christiani , qui timentes dicteria hominum , facultatum jacturam , bonorum amis-

amissionem &c. Christi præcepta violant, proprii muneris officia prætermittunt, sanctioris vitæ sequelam negligunt. Aperit etiam S. Doctor *art.* 3. amorem, ex quo timor iste subolescit, ejusque pravam indolem his verbis: *Amor mundanus proprie dicitur, quo aliquis mundo innititur tamquam fini; & sic amor mundanus semper est malus. Timor autem ex amore nascitur; illud enim timet homo amittere, quod amat, ut patet per Augustinum &c. Et ideo timor mundanus est, qui procedit ab amore mundano, tamquam mala radice &c.*

V. Hujusce timoris pravitas se ipsa patet. Damnat illum diserta Christi sententia apud Matth. cap. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Eodem rectus rationis ordo pervertitur, propterea quod homo ex timore perculsus propter corporis detrimentum, & damna temporalia recedit a justitia Dei, præcepta contemnit, Deumque deserit. Clarius ejusdem turpitudo conspicitur in radice, ex qua pullulat, quæ est amor mundanus, quo nos, & creaturas plus nimio diligimus.

Sed ne ullus obrepat error, multiplicem discernere oportet amorem sui, & Mundi. Alius est amor eorum, quæ sunt in Mundo, *sobrius*, ac *temperatus*; quo nempe res Mundi, divitiæ, dignitates, delectationes amantur propter honestum finem propriæ conservationis, convenientiæ, decoris status, ac justæ relaxationis, quam sæpe postulat lassus animus. Bonum est hujusce amoris officium, utpote in ordine consistens; illudque, si in finem charitatis referatur, omnem assequitur perfectionem, quam habere potest. Alius amor mundanus est, qui *superfluus* dicitur; queritque temporalia bona majore, quam par est, sollicitudine, ac plura etiam, quam poscat conservatio vitæ, status, atque honestæ relaxationis. Malus est hic amor; sed dum servat ordinem ad finem ultimum, nonnisi *venialiter* malus est. Sed tertius succedit amor, & ille quidem semper lethaliter malus, quo quis seipsum, & bona mundi amat, tamquam ultimum finem, paratus ad ea obtinenda, vel conservanda adhibere media, quæ peccata lethalia sunt. Et hic amor, ut dixi, perversus, & mortaliter malus est. Uterque amor superfluus, & perversus dici potest amor *mundanus*; sed maxime postremus.

VI. Timor ergo mundanus utroque amore nititur, superfluo, & perverso; & ab utroque propriam eorum labem trahit, ab altero lethalem, ab altero venialem. Hinc timor *lethalis* pœnam bono amato adversam timet, tamquam malum principale; *simpliciter* nempe, & *absolute*: timor autem *venialis* pœnam timet *secundum quid*, ut inquiunt. Hinc etiam liquet, timorem omnem *mundanum* ab amore malo suam depromere malitiam; fallique Vincentium Contensonium, qui *lib.* 7. *dissert.* 3. *cap.* 2. scribit, *Timorem mundanum aliquando oriri ex amore per se licito, neque tunc esse malum ex causa, & radice*.

§. IV.

De Timore casto, & filiali.

VII. Mundano timori ex diametro opponitur *timor castus*, qui dividitur in *filialem*, & *initialem*. Objectum illius esse *malum culpæ*, definiunt una voce Theologi. Non uno tamen modo ab obvia difficultate se se expediunt, quod nempe *malum culpæ* a libera pendeat voluntate, nec culpam voluntas committat, nisi libero consensu: unde sub objecto timoris cadere haud posse videtur. Aptior mihi ad hanc solvendam difficultatem modus apparet, quem paucis propono; nimirum.

In primis casti timoris objectum non est *culpa* secundum propriam rationem, quatenus voluntaria est. Hoc constituit S. Thomas

mas 1, 2. q. 42. art. 3. probatque his verbis: *Sicut objectum spei est bonum futurum, arduum, quod potest adipisci; ita timor est de malo futuro arduo, quod non potest de facili vitari. Ex quo potest accipi, quod id, quod omnino subjacet potestati, & voluntati nostræ, non habet rationem terribilis; sed id solum habet rationem terribilis, quod habet causam extrinsecam: malum autem culpæ propriam habet causam humanam voluntatem; & ideo proprie non habet rationem terribilis; eodemque secundum propriam rationem, idest in quantum est voluntaria, non habet ut timeatur.*

Quodnam igitur est *casti* timoris objectum, sive qua ratione *culpa* objectum ipsius est? Non alia, nisi quatenus est ab exteriore causa; videlicet ea ratione timeri culpa potest, quia ad illam induci possumus terroribus, & horroribus, ac potestatibus hujus Mundi, Dæmonum impugnationibus, rebellis carnis concupiscentia &c. Id Angeli us eodem loco docet verbis, quæ sequuntur: *Sed quia voluntas ab aliquo exteriori potest inclinari ad peccandum, si illud inclinans habeat magnam vim ad inclinandum, propter hoc poterit esse timor de mala culpa, in quantum hoc est ab exteriori causa; puta cum aliquis timet commorari in societate malorum, ne ab eis ad peccandum inducatur*. Ita sane justorum nomine Apostolus Paulus in *Epist. ad Rom. cap.* 7. timorem eadum expressit inquiens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

VIII. Hinc colligas primo, malum, quod *casti timoris* objectum est, magis esse *seductionem*, quam *culpam*, ut loco laudato animadvertit S. Thom s dicens: *Homo in tali dispositione magis timet seductionem, quam culpam secundum propriam rationem*.

Colligas secundo, recte nihilominus malum culpæ veluti casti timoris objectum statui; eo quod non timet homo *seductionem*, nisi quia ipsa pertrahit ad peccatum.

Colligas tertio, causam efficientem, quæ facit objectum timoris *casti*, id omne esse, quod nos seducere potest, atque impellere in malum culpæ, sive peccatum.

Colligas quarto, Deum *caste* timeri, non quia sit ipse peccati, ac seductionis causa; sed quia est terminus, qui a peccato offenditur, & a quo per peccatum separamur.

IX. Duo supersunt de hoc timore paucia adnotanda. Primum est, timorem castum etiam appellari *donum timoris*, *timorem filialem*, & *amicabilem*. Diversæ appellationis originem exponit S. Thomas *in* 3. *dist.* 24. *q.* 2. *art.* 3. his verbis: *Malum culpæ abhorret quis vel ex hoc, quod declinat a rationis rectitudine; & sic est timor inhonesti contrarii, timor scilicet naturalis: vel ex hoc, quod declinare facit ab ipso Deo; & sic pertinet ad donum timoris .... Dicitur timor* amicabilis, *vel* filialis, *in quantum Deus dicitur* Pater noster, *vel etiam* castus, *in quantum Deus dicitur metaphorice* Sponsus *animarum nostrarum*.

X. Alterum est, amore Dei timorem *castum* induci, causari, & foveri non una, sed duplici ratione; tum quia nempe ita afficit, & disponit animum, ut ei peccatum omne bono divino adversum appareat malum omni dignum abominatione, atque timore; tum etiam quia amor idem non solum occasionem, & argumentum præbet intellectui, ut judicet culpam maximum malum abominatione, & timore cavendum, verum etiam movet voluntatem, ut timeat culpam propter Deum ultimum finem super omnia dilectum.

XI. Verum non solum casti timoris objectum est malum culpæ modo jam exposito, sed & ipsa separatio a Deo consequens culpam. Quod assertum ut liquido percipiatur, duplicem distinguere oportet separationem a Deo; eam scilicet, quam nos ipsi facimus libere per culpam, & offensam Dei rece-

recedentes ab ipso Deo; & illam, quæ culpam consequitur, & a Deo efficitur gratiam sanctificantem subtrahente, seque ab homine separante. Prima est ipsa culpa, & offensa Dei voluntaria & libera: altera pœna est, qua Deus peccatorem punit. Porro culpam caste timeri, quatenus connexam cum seductione, & causa externa seducente, jam diximus. Sed eamdem etiam casto timore posse timeri ratione consequentis separationis, qua Deus avertitur a nobis, asserimus.

S. Thomas 2. 2. *q.* 19. *art.* 6 hoc satis aperte docet inquiens: *Separari a Deo est quædam pœna, quam charitas maxime refugit; unde hoc pertinet ad timorem castum.* Quibus verbis rationem innuit, cur ille timor castus sit; quia nimirum a charitate procedit, eaque regitur. Neque ex hoc *timor castus* confunditur cum timore *servili*, qui habet timere pœnam: quoniam, ut statim dicemus, servili timore fugimus pœnas propriæ integritati, & convenientiæ, quam amore naturali diligimus, contrarias. Sed timore casto mala fugimus repugnantia bono divino caritate dilecto, quæ mala sunt culpa cum seductione connexa, & separatio ab amato Deo.

§. V.

De Timore servili.

XII. Sequitur tertius timor, qui *servilis* dicitur. Objectum hujus *malum pœnæ* est; ex. gr. gehenna ignis iniquis parata, & causa, quæ hoc malum infligit, est Deus ipse gehenna ignis puniens peccata. Rem de se perspicuam magis confirmo verbis S. Thomæ, quæ habentur hic *art.* 2. ubi ait: *Timor servilis respicit pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deum, divinitus inflictam, vel comminatam.* Et art. 4. ad 2. *Timor servilis respicit Deum sicut principium inflictivum pœnarum.*

XIII. Ex quo perspicitur differentia timoris *servilis* a *mundano*, & *filiali*. Illam paucis hic edisserit S. Thomas *art.* 2. inquiens: *De timore nunc agimus, secundum quod per ipsum aliquo modo ad Deum convertimur, vel ab eo avertimur. Cum enim objectum timoris sit malum, quandoque homo propter mala, quæ timet, a Deo recedit: & iste dicitur timor* mundanus, *vel* humanus. *Quandoque autem propter mala, quæ timet ad Deum convertitur, & ei inhæret: quod malum est duplex, scilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor* servilis: *Si autem propter timorem culpæ, erit timor* filialis.

XIV. Quinam sit amor, a quo servilis timor originem ducit, ostendit S. Thomas *lib.* 3. *dist.* 34. *q.* 2. *art.* 3. his verbis: *Actus timoris servilis, quando bonus est, non est ex amore gratuito, neque ex amore libidinoso, sed ex amore naturali, quo quis vult consistentiam, & bonum esse sui subjecti. Et ideo horret omnem pœnam, sive quam experientia docet, sicut in naturali timore; sive quam fides demonstrat, sicut in servili.* Hinc alterum discrimen fluit hujusce timoris a mundano, & casto. Hic enim nititur amore gratuito; alter amore libidinoso, & perverso: *servilis* autem ex naturali, & ordinato amore sui proficiscitur.

Hic porro adnotare liceat, gehennam ignis æterni esse principale malum, quod respicit timor *servilis*: alia autem hujusce vitæ mala, si tamquam pœnæ propter peccata a Deo inflictæ considerentur, pertinent ad objectum minus principale, & secundarium. His positis.

XV. Illud primum adversus recentiores hæreticos credere, ac tenere debemus, officium timoris servilis, quod est timere pœnam propter peccata a Deo infligendam, bonum esse, ac honestum. Hæc veritas definita est in

Synodo Tridentina ; eamque probat S. Thomas *in 3. dist. 34. q. 2. art. 2.* & *in Epist. ad Rom. cap. 8. lect. 3.* Primo loco ait : *Timor servilis essentiam suam habet ex comparatione ad proprium objectum , quod est pœna æterna , quam fides indicat ..... Et ideo essentia ejus bona est , quia refugere pœnas æternas non est nisi bonum* . Altero loco hæc habet : *Alius est timor , qui refugit malum, quod contrariatur creaturæ creatæ , scilicet malum pœnæ . Sed tamen hoc refugit pati a causa spirituali , scilicet a Deo : & hic timor est laudabilis quantum ad hoc saltem , quod Deum timet . . . . . & secundum hoc a Spiritu Sancto est* .

Unde etiam officium hujusce timoris bonum est ; quia respicit Deum tamquam causam infligentem malum . Rectus quippe ordo est pœnam inter & culpam , quem declarat idem S. Doctor hic *art. 1*, his verbis jam relatis : *Ab ipso quidem Deo potest nobis imminere malum pœnæ , quod non est simpliciter malum , sed* secundum quid : *bonum autem* simpliciter . *Cum enim bonum dicatur in ordine ad finem ; malum autem importet hujus ordinis privationem ; illud est malum simpliciter , quod excludit ordinem a fine ultimo , quod est malum culpæ . Malum autem pœnæ est quidem malum , in quantum privat aliquod particulare bonum ; est tamen bonum simpliciter , in quantum dependet ab ordine finis ultimi* .

XVI. Timor iste ab amore sui , propriique boni honestatem depromit , qui duplex est . Alius namque est amor *necessarius* , ad quem nos movet author naturæ ; & quivis illum percipit vigentem in corde suo , sibique congenitum erga vitam, quietem , integritatem . Timorem servilem ex eo oriri posse , nulla est dubitandi ratio , cum intellectus inde sumat argumentum judicandi , gehennam ignis , quam fides proponit , maximum proprio bono amato detrimentum inferre . Hinc timor inde exortus nullam labem trahit , sed propriam servat honestatem .

XVII. Sed alius est amor sui *liber* , qui triplex esse potest ; nimirum primus perversus , & caritati contrarius : alter caritati conjunctus , & in ultimum finem relatus : tertius neque indole , & ingenio suo caritati inimicus , sed hoc exprimens officium , quod est amare seipsum , propriumque bonum . Primus est amor *mundanus* , quo nos ipsos , & bona creata diligimus tamquam ultimum finem . Alter amor sui optimus est , quia amori proprii boni adjungitur circumstantia caritatis , sive ultimi finis . In tertio denique non adest quidem relatio in ultimum finem , sed neque excluditur , manetque sola bonitas ex officio .

XVIII. Itaque si timor *gehennæ* oriatur ex amore mundano sui , corruptæ radicis labe contaminatur , diciturque species quædam mundani timoris ; idemque caritati conjungi non potest , ut inquit S. Doctor ; quia refugit pœnam contrariam bono suo naturali , sicut principale malum contrarium bono , quod diligitur ut finis . Si ortum trahat ex altero amore sui , ille est bonus animi affectus , & in finem ultimum per caritatem relatus . Ab hoc non distinguitur quoad officium tertius timor , quem causat tertius amor sui : at solam exprimit officii honestatem in subjecto , ubi non est caritas ; verum caritati conjungi potest , & per ipsam ad ultimum finem ordinari . Unde ait S. Thomas hic art. 6. *Substantia timoris servilis cum caritate manere potest* . Et lib. 3. dist. 34. q. 2. art. 2. *Timor servilis manet , adveniente caritate , quantum , ad substantiam . Constat enim , quod homo caritatem habens timet pœnas æternas ; quod est proprium ejus objectum , quantum ad substantiam* .

XIX. At vero duo rursus accurate discernenda sunt in servili timore ; scilicet *timor ipse pœnæ* per sese consideratus , & *conditio servilitatis* eidem adnexa . Officium istud , quod est *timere pœnam* , nemo negat bonum esse & honestum ; idemque per caritatem in ul-

ultimum finem ordinari potest. Verum *servilitatem* novit ipse Doctor Angelicus malam esse, utpote in eo positam, quod pœna timeatur tamquam *malum principale* oppositum proprio bono, quod amatur ut finis, ut docet hic *art.* 4. & 6. Hinc nonnullis inferre placet, timorem *servilitate* affectum non esse bonum, sed malum, atque perversum.

Sed egregie falluntur, qui ita opinantur; neque mentem assequuntur Doctoris Angelici. Difficultatem quippe omnem de medio tollit Doctor ipse iisdem articulis, quorum primus inquirit: *Num timor servilis sit bonus?* Alter: *Num timor servilis remaneat cum caritate?* Primo loco *servilitatis* conditionem declarat hoc pacto: *Servitus libertati opponitur. Unde cum liber sit, qui causa sui est, ut dicitur* 1. *Metaphys. servus est, qui non causa sui operatur, sed quasi ab extrinseco motus. Quicumque autem ex amore aliquid facit, quasi ex seipso operatur; quia ex propria inclinatione movetur ad operandum: & ideo contra rationem servilitatis est, quod aliquis ex amore operetur. Sic ergo timor servilis, in quantum servilis est, charitati contrariatur.* Unde, ut uno verbo notionem *servilitatis* exponam, ea est conditio, vel circumstantia, quæ amorem excludit.

XX. Hac servilitate, sive amoris exclusione, ut ille docere pergit, timor inficitur, si eidem intima sit. Nihilominus timorem admittit, quem *servilitas* intime non afficit nec ejus corrumpit substantiam. Ait enim: *Si ergo servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret, quod timor servilis simpliciter esset malus: sicut adulterium simpliciter est malum; quia id, ex quo contrariatur caritati, pertinet ad adulterii speciem. Sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis*: idest timorem servilem, quo de agimus, non afficit intime servilitas, nec ad ejus speciem pertinet.

Quinam ergo est timor servilis bonus, seu servilitate *intime* nequaquam affectus; quinam vero malus, qui *intime* eadem afficitur? Hic est timor ille, qui oritur ex amore proprii boni tanquam finis; pœnamque horret tamquam *principale malum*: sicut ille e contra qui bonus est, ortum ducit ex amore honesto, & ordinato; timetque pœnam, quia timore digna est. Primus sicut præfert pœnam malo culpæ, ita disponit timentis animum, *ut peccaret, si posset impune peccare*. Alter, cum pœnam timeat, quia dignum est eam timere, eamdemque non respiciat ut malum principale; ita disponit subjectum, ut nolit peccare; illumque affectum conditionatum peccandi, *si posset impune*, non imprimit ipse, sed invenit in subjecto non habente caritatem. Hinc primus habet intimam servilitatem; adeoque dici solet ab aliquibus *timor serviliter servilis*: non alter, qui *timor servilis* simpliciter nuncupatur.

Hæc omnia enucleate necesse duxi, ut confusionem discuterem, si fieri quidem posset, quæ ex duplici timore servili, altero *bono*, altero *malo* progignitur. Et hæc omnia uno verbo comprehendi demum possunt, si dixerimus, conditionem *servilitatis* in timore nihil aliud esse, quam statum servitutis, vel peccati, in quo non habet homo caritatem, & diligit seipsum, & bona cetera tamquam finem; paratusque animo est fugere; & timere pœnam tamquam malum principale, sive quod principaliter respicit. Verum, quemadmodum homo peccati servus potest aliqua efficere bona ex officio, quin ea a dominante cupiditate prodeant, atque contaminentur; ita Spiritu Sancto movente gehennam ignis timere potest, quia timore digna est, quin ipsa servilitatis conditio timorem ipsum intime afficiat, atque corrumpat.

§. VI.

De Timore initiali.

XXI. Timoris *initialis* ideam, atque notionem haud difficile est colligere ex iis, quæ de uroque timore *filiali*, & *servili* dicta sunt: quoniam medium facit illum S. Thomas hic *art.* 2. inter timorem utrumque. At vero *art.* 8. monet, *initialem timorem dici medium inter timorem servilem, & filialem, non sicut inter ea, quæ sunt unius generis, ac si utriusque extremi partem aliquam caperet; sed sicut imperfectum est medium inter ens perfectum, & non ens, ut dicitur in 2. Metaph. quod tamen est idem secundum substantiam cum ente perfecto; differt autem totaliter a non ente.*

XXII. Itaque non differt timor *initialis* substantia, vel officio a filiali. Utriusque siquidem unum est fundamentum, eademque origo, scilicet *caritas Dei*; *perfecta* unius, *imperfecta* alterius. *Timor*, inquit S. Doctor art. 8. *initialis accipitur, secundum quod competit statui incipientium, in quibus inchoat quidem timor per inchoationem caritatis; non tamen inest eis timor filialis perfecte: quia nondum pervenerunt in perfectionem caritatis. Et ideo timor initialis se habet hoc modo ad filialem, sicut caritas imperfecta ad perfectam. Caritas autem perfecta, & imperfecta non differunt secundum essentiam, sed solum secundum statum. Et ideo dicendum est, quod etiam timor initialis non differt secundum essentiam a timore filiali.*

Hinc patet, quodnam sit timoris *initialis* officium. Illud nempe est timere culpam, & separationem a Deo. Dicitur etiam timere pœnam, non ita quod pœna sit ejus objectum minus principale, aut secundarium; sed quia comitem habet timorem servilem. Ita docet S. Thomas art. laud. ad 2. hæc habens: *Timor initialis non timet pœnam sicut proprium objectum, sed in quantum habet aliquid de timore servili adjunctum, qui secundum substantiam manet quidem cum caritate, servilitate remota.*

XXIII. Sumitur ergo duplicis hujusce timoris divisio, *filialis*, & *initialis* ex multiplici gradu caritatis, quæ utriusque origo est. Caritas initialis accipi potest, atque accipitur a pluribus Theologis, quæ fertur quidem in Deum propter se, sed nondum illum habet ut ultimum finem: quia non adeo fortis est, atque efficax, ut contrarium peccati affectum superet. Ex hac timor culpæ oriri potest, idemque *initialis*; locumque habet in conversione peccatoris, qui diligere incipit Deum, ac partim timore pœnæ, partim timore culpæ ad pœnitentiam movetur. Caritas ipsa, quæ filiorum Dei propria est, omnemque peccati affectum comprimit, minus magisque perfecta esse potest, & magis minusque fortis, & firmata in subjecto. Primam habet originem, & causam timor *initialis*, alteram *castus* & *filialis*. Unde ait S. Thomas hic art. 8. ad 1. *Timor servilis secundum substantiam manet cum caritate, servilitate remota* (hæc est caritas justificans, & justorum propria); *sed actus ejus manet quidem cum caritate imperfecta in eo, qui non solum movetur ad bene agendum ex amore justitiæ, sed etiam ex timore pœnæ; Sed iste actus cessat in eo, qui habet caritatem perfectam, quæ foras mittit timorem habentem pœnam, ut dicitur 1. Joan. cap. 4.*

Verum ne quis ex hac *Joannis* sententia a S. Thoma laudata quidpiam colligat in favorem Pseudomysticorum, quos supra refutavimus, addendum censeo, atque explicandum legitimum Apostolicæ sententiæ sensum: nempe in timore duo sunt, ut ex dictis constat, *timor pœnæ*, & conditio *servilitatis*. Utrumque compatitur caritas illa *initialis*, quæ gradu minor est opposita cupiditate, seu affectu peccati. Caritas vero justificans, sive *perfecta* excludit *servilitatem*, comitemque sustinet timorem pœnæ. Quare D. Thomas hic *art.* 10. ait. *Timor servilis, quantum ad ser-*

servilitatem totaliter tollitur, caritate adveniente: remanet tamen secundum substantiam timor poenae. Verum timor ille diminuitur, caritate crescente, maxime quantum ad actum: quia quanto aliquis magis diligit Deum, tanto minus timet poenam. Primo quidem quia minus attendit ad proprium bonum, cui contrarietur poena. Secundo quia firmius inhaerens magis confidit de praemio, & per consequens minus timet de poena.

Admonet vero sapienter Dominicus Bannez in Comment. artic. quod quia pro hoc statu mortalis vitae caritas est imperfecta, & justi adhuc venialiter peccant, non omnino excluditur timor poenae; sed interdum imperatur a caritate ad mitigandas magnas, & aestuantes passiones, si emergant: ex. gr. si oblata occasione mortis propter servandam legem Dei sensualitas expavescit, aut ardet concupiscentia, bona est Inferni consideratio contra timorem, aut passionem insurgentem, vel etiam ad humilitatis exercitium.

§ VII.

Consectaria quaedam derivata.

XXIV. Ex iis omnibus, quae dicta sunt, praeter ea, quae jam intulimus, consectaria aliqua derivari queunt. Quorum *primum* illud sit, timorem poenae, maximeque aeternae, quae a Deo infligitur propter peccatum, semper esse bonum, atque honestum. Unde ad hunc timorem hortatur nos ipse Christus Dominus dicens: *Timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam. Servilitatem* vero, sive timorem, quatenus *servilis* est, malum esse; quia prout ita sumitur, affert statum peccati, qui caritati opponitur.

Consectarium *secundum*. Crescente caritate crescit quoque *timor filialis*. Siquidem, ut docet D. Thomas art. 10. *Timor filialis necesse est, quod crescat, crescente caritate, sicut effectus crescit, crescente causa. Quanto enim aliquis magis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere, & ab eo separari.* Id exemplo etiam patet justorum hominum, in quorum corde dum caritas augetur, augetur etiam timor peccati, & periculorum ejus fuga. Unde quo sanctiores sunt, eo diligentius peccandi occasiones devitant, & interdum culpam metuunt, ubi culpa non est.

Consectarium *tertium*. Timor filialis perseverabit in Patria. Hoc declarat, illustrat, ac probat Doctor Angelicus *in Disp. q. de spe art. 4. ad 2.* his verbis „ Timor est refugium mali. Sub malo autem comprehendi „ potest omnis defectus. Est autem triplex „ hominis defectus: unus quidem *poena*; & „ hunc quidem respicit timor servilis. Alius „ autem est defectus *culpae*; & hunc defectum respicit *timor filialis*, vel *castus*; secundum quod est in statu viae, in quo peccare possumus. Neutro autem modo erit „ in Patria, sublata potestate culpae, & poenae secundum illud Proverb. cap. 1. *Qui* „ *me audierit, absque terrore requiescet, &* „ *abundantia perfruetur, timore malorum sublato*. Est autem tertius defectus, secundum „ quod quaelibet creatura in infinitum distat „ a Deo qui defectus nunquam tolletur. Et „ hunc defectum respicit *timor reverentialis*, „ qui erit in Patria; quam reverentiam exhibebit creatura Creatori suo ex consideratione majestatis ejus, in propriam respiciens pusillitatem ".

Nimirum timoris casti & filialis non unus est actus positus in abominatione, seu fuga mali culpae; quod est homini possibile, illudque vitatu difficile, & arduum inter hujus vitae pericula, tot hostium incursus, tot tentationum procellas, & turbidos passionum motus, quibus impetitur flexibilis, & infirmi arbitrii humani fragilitas. Haec mali fuga non est in Patria, ubi nulla anxietas, nullum adepti boni amittendi periculum, sed summa tranquillitas, & perfecta securitas.

Alius

Alius est timoris actus positus in affectu, quo majestatem, eminentiam, potestatemque Dei considerantes, ac etiam defectum cuilibet creaturæ in infinitum a Deo distantis proprium, & essentialem agnoscentes, reveremur Deum, seu volumus nos illi subjicere, sive exteriora corporis, & interioris mentis signa in protestationem summæ illius potestatis, quæ malum potest infligere, vel permittere. Unde sicuti eminentia divina, quæ summa est in bonitate, allicit ad amorem, eademque, ut est principium bene faciendi, colitur religione; ut qualibet creatura superior est, causat humilitatem, quæ subjicit hominem Deo, ipsum hominem deprimendo, & intra mensuram propriam continendo: ita quatenus potest infligere, aut permittere malum, reverentiam, timorem, & terrorem incutit.

Consectarium *quartum*. Ex his, quæ modo diximus, colligas, hujusce reverentiæ objectum non esse, presse loquendo, eminentiam Dei; sed esse ea omnia, quæ a nobis assumuntur in ejus protestationem, eo prorsus modo, quo excellentia divina non est objectum Religionis, sed illud positum est in interioribus, & exterioribus signis, quibus eam protestamur. Atque adeo non multiplicantur theologicæ virtutes.

Consectarium *quintum*. Colligas etiam, satis esse huic reverentiæ, sive timori reverentiali, ut absolute possit Deus infligere, aut permittere malum juxta conditionem naturæ creatæ, quæ infinite distat a Deo. Atque hinc etiam sequitur hunc actum timoris manere in Patria omni sollicitudine, & anxietate liberum. Hæc est constantissima S. Thomæ doctrina, quam passim tradit; eamque cum ipso tradunt cæteri Theologi.

REFLEXIO.

Confige timore tuo carnes meas, lacrymis perfusus ajebat Sanctus David; *a judiciis enim tuis timui*. Nemo est inter Christianos vitam hanc mortalem agentes, cui sæpe sæpius iteranda non sit ejusmodi sanctissimi viri deprecatio, sive peccator sit, sive justus. Si enim peccator est, nimium jam manifestum apparet, quam vehementer semper expavescat oportet indignationem divinam, ac supplicia illa supra sensum, & cogitationem omnem terribilia, atque sempiterna, quæ justissimus Judex impiis, & peccatoribus in futura vita denunciat. Si autem justus est, nonne semper metuendi gravissima causa subest in hac via tam salebrosa, totque tentationum, ac peccandi periculis circumsepta, ne a justitia aliquando excidat, æternumque damnetur? Quoniam, ut præclare ait Sanctus Prosper Epist. 84. *Vigilant tentatoris insidiæ, ut, ubi proficit devotio, subrepat elatio. Quanto ergo in mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habeant causas formidinis, & tremoris; ne de ipsis probitatis argumentis mens sibi bene conscia, & laudis avida in superbiæ rapiatur excessus; & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute.* Profecto quis non perspicit, justitiam ipsam justis timendam haud raro esse, ne ipsa pietatis opera vanæ gloriæ fuligine inficiantur ac dum ob eadem in superbiam eriguntur, nimiumque in ipsis confidunt, divinæ gratiæ ope, ac præsidio destituti, & in infirmitate naturæ suæ relicti e statu gratiæ decidant, ac tandem miserrime pereant? Quis nescit, Solem justitiæ Christum, qui justitias dilexit, & animarum Medicum protestatum esse, se non venisse vocare justos, sed peccatores, non quod veros justos negligat, aut non diligat, & ad gloriam suam vocet atque disponat; sed quia arrogantes, sibique justitiam tribuentes, ut erant Pharisæi, juste aversatur, ac reprobat, & tamquam *usurpatores justitiæ*, ut inquit Ambrosius, a gratia & justitia repellit?

Verum præter superbiam hanc, *quæ bonis etiam operibus insidiatur*, ut ait S. Augustinus,

nus, quænam semper timendi justis omnibus causa non est, dum serio considerant vere formidandam sententiam illam Ecclesiastici de justis, ac sapientibus, *quorum opera sunt in manu Domini; & tamen nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit?* Quis vel omni justitia per totam vitam ornatus non summopere contremiscat, dum eam attento animo perpendit? Quis securitatem sibi promittat, dum ignorat, quid de se tandem futurum sit, an de numero sit *Electorum*, an vero de *Reproborum* multitudine? Propterea S. Propheta rogans Dominum, ut *timore suo carnes configeret*, adjecit statim, causam veluti assignans, cur hoc ab ipso tam impense efflagitaret: *a judiciis enim tuis timui*. Judicia Dei scilicet pertimescebat inscrutabilia plane, & humanis oculis, atque cogitationibus prorsus impervia. Atque hæc divina judicia de sempiterna hominum salute ecquis non timeat? Ecquis, licet omni etiam crimine immunem vitam ducat, tam temerarius futurus est, ut præsumat, se de numero illorum esse, quos misericordia Dei ad suam gloriam possidendam destinavit? Haud paveat, haud formidet, haud timore Dei carnes suas configi postulet, qui ignorat Deum esse terribilem in consiliis super filios hominum; qui nescit propositum Dei super omnes firmum manere, atque immobile, qui non credit utrinque fixam consistere æternitatis sententiam. & in iis, qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt; quive illud Augustini parvi pendit: *Ovem te putas; hircum te forte novit Deus*.

Nihil igitur timore Dei, *quo configi carnes suas* Propheta postulabat, justum magis, nihil magis necessarium. Si mari, inquit pius Author, ejusque fluctibus mortem e vestigio minitantibus non credit nauta, licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa tacentis elementi vento terga crispentur, nec ejus tranquillitati confidit, quia momento mare vertitur, & eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur: quanto magis in hujus vitæ lubrico per turbulentissimi maris procellas, atque discrimina vecti jure omnia verentur, omnia timent. *Fratres*, ait Augustinus in Psal. 80. *nimis timendum esse volo: melius est enim vobis non dare securitatem malam. Non dabo, quod non accipio: timens terreo; securos vos facerem, si securus ego fierem: ignem æternum timeo.* Nec minus nervose, & vivide Bernardus in serm. de Verbis Job: *Unde vobis ista dissimulatio est, fratres mei? Unde hæc tam perniciosa stupiditas? Unde hæc securitas maledicta? Quid fallimus miseri nosmetipsos? Forsitan jam divites facti sumus? Forsitan jam regnamus? Nonne ostium domus nostræ horribiles illi spiritus obsident? Nonne exitum nostrum larvales illæ facies præstolantur? Quis ille pavor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda possessio, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem occursantia tibi catervatim teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? quis tuebitur a rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet? Filioli mei, memoremus hæc novissima nostra, ut non peccemus.* Hæc perpendamus, hæc serio meditemur, & continenter cum Propheta clamemus ad Dominum: *Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui*.

CAPUT VI.

De Vitiis Christianæ Spei oppositis, Desperatione scilicet, & Præsumptione.

Doctrina, et Consectaria

I. *Definitio* Desperationis *exposita*.

II. *Hæc multiplex esse potest, sive ex multiplici capite contingere*.

III. *Ex his consequitur, desperationem proprie*

prie esse in voluntate tamquam in subjecto, sicuti & spem .

IV. *Sequitur etiam : desperationem posse , ac sæpius consistere absque infidelitate . Elegans S. Thomæ doctrina , qua ostendit , tum desperationem , tum alia peccata non esse plerumque fidei contraria .*

V. *Desperatio peccatum est ; illudque gravius quocumque alio virtutibus moralibus , non autem theologicis opposito .*

VI. *Ex parte tamen subjecti periculosius est cæteris omnibus peccatis .*

VII. *Luxuria causa solet esse desperationis .*

VIII. *Specialius tamen oritur ex accidia .*

IX. *Quid sit* præsumptio , *prout in præsenti accipitur . Ejus in confidendo temeritas ex duplici capite oriri potest .*

X *Peccatum lethale est ex genere suo .*

XI. *Interdum comitem habet infidelitatem .*

XII. *Non omnis quidem præsumptio spem destruit ; at destruere aliquando valet .*

XIII. *Quinam ex Christianis præsumptionis peccatum præsertim incurrant .*

Reflexio .

§. I.

De notione , ac natura Desperationis .

I. **P**AUCIS præsens Caput expedio , in quo de vitiis duobus agimus theologicæ , sive christianæ spei contrariis , altero *per defectum* , altero quadantenus saltem *per excessum* ; eo scilicet modo , quo virtus theologica excessum habere potest : *desperatione* scilicet , ac *præsumptione* . Ac de desperatione quidem primum agentes , ejus naturam , atque indolem statim assignamus . Desperatio definiri potest .

Diffidentia obtinendi beatitudinem , & assequendi media ad illam necessaria .

Explicatur . Quemadmodum duo præcipue considerantur in spe theologica ; videlicet æterna beatitudo , sive perfecta Dei fruitio , quæ futura est in Patria, quæque spei primarium objectum est ; & auxilia gratiæ divinæ , ac bona ipsa opera , quibus tamquam mediis ad beatitudinem pervenimus : ita duo pariter occurrunt in *desperatione* , æterna nempe beatitudo , & media ad illam necessaria , gratiæ auxilia , pœnitentia , aliaque bona opera , quæ tamquam objectum impossibile concipiuntur . Porro bonum apprehensum ut *impossibile* voluntati desperanti proponitur ut incommodum , disconveniens , & tamquam malum quoddam fugiendum : apprehensum vero *ut possibile* speranti exhibetur ut conveniens , & appetibile ; & ideo desperatio est quidam *voluntarius recessus a beatitudine* , & a mediis ad illam ordinatis : spes contra se habet *ut accessus* , & conatus ad beatitudinem , & ad media , quibus beatitudo obtinetur .

II. Hic autem multipliciter contingere potest . Primo ex parte *arduitatis* , si objectum obtinendum adeo arduum proponatur , ut licet difficultas non absorbeat ejus absolutam possibilitatem , absorbeat tamen moralem potestatem illud assequendi . Tunc quippe frangitur animus , & quasi spernit id ipsum , quod secundum se , & ea difficultate non affectum prosequeretur : id autem non raro accidit in magnis peccatoribus ob perversam affectus dispositionem , & inordinatum temporalium amorem , ex quo ita deprimitur animus , ut non assurgat ad difficultates objectas superandas .

Secundo recessus ille a beatitudine potest esse ex parte *possibilitatis* , cum videlicet objectum istud repræsentatur aff[illegible] *impossibile* ; ut si quis judicaret , Deum non esse potentem , ut peccata remittat , & peccatorem ad salutem perducat , & hoc locum habet in hæreticis Dei omnipotentiam , & misericordiam negantibus .

Tertio recessus idem tenere se potest ex parte

te *futuritionis*; nempe cum, tametsi beatitudo repræsentetur ut bonum possibile, judicatur tamen determinate minime *futurum*; quod dupliciter contingere valet: uno modo ex quadam existimatione blasphema, qua quis sibi persuadet, Deum alias potentem, & aliis misericordem, sibi esse adeo severum, ut nolit ignoscere peccata sua, vel auxilia efficacia impertiri, quibus ab ipsis emergat. Alio modo quia ex Dei revelatione cognoscit se damnandum fore; quod an contingere queat, lubens prætereo; solumque assero non esse hujusmodi revelationibus fidem facile adhibendam. Cæterum omnes isti desperationis modi spei opponuntur.

III Ex his duo Consectaria pronum est subinferre. Quorum alterum est, desperationem proprie esse in voluntate; quod S. Thomas 1. 2. *q.* 23. *art.* 2. & *q.* 42. *art.* 1. hac ratione probat, quod scilicet actus spei, & desperationis opponuntur per contrarietatem, quæ attenditur per *accessum*, & *recessum* ab aliquo termino, sicut contingit in generatione, & corruptione. Spes enim importat accessum quemdam voluntatis ad bonum arduum possibile, quod est illius objectum: desperatio vero importat recessum ejusdem voluntatis ab eodem objecto; eo quod ejus consecutio reputatur impossibilis. Sicut igitur spes sedem proprie habet in voluntate, ita & desperatio in eodem subjecto erit.

IV. Consectarium alterum ex antecedente fluit; nimirum desperationem consistere posse, ac reapse, sæpius saltem, absque infidelitate consistere. Eleganter S. Thomas id evincit hic *a.* 20. *art.* 2. traditque doctrinam, quæ etiam generatim inservit pro aliis peccatis. "Infidelitas [inquit] pertinet ad intellectum: desperatio autem ad vim appetitivam. Intellectus autem universalium est: sed vis appetitiva movetur circa particulares res. Est enim motus appetitivus ab anima ad res, quæ in se ipsis particulares sunt. Contingit autem, aliquem habentem rectam existimationem in universali, circa motum appetitivum non recte se habere, corrupta ejus æstimatione in particulari: quia necesse est, quod ab æstimatione in universali ad appetitum rei particularis perveniatur, mediante æstimatione particulari; sicut ex propositione universali non infertur conclusio particularis, nisi assumendo particularem. Et inde est, quod aliquis habens rectam fidem in universali, deficit in motu appetitivo circa particulare, corrupta ejus particulari æstimatione per habitum, vel per passionem; sicut ille, qui fornicatur eligendo fornicationem ut bonum sibi ut nunc, habet corruptam æstimationem in particulari, cum tamen retineat universalem æstimationem veram secundum fidem, scilicet quod fornicatio sit mortale peccatum. Et similiter aliquis retinendo in universali rectam æstimationem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest tamen pati motum desperationis; quod scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corrupta æstimatione ejus circa particulare. *Et per hunc modum potest esse desperatio sine infidelitate, sicut & alia peccata mortalia.*" Hæc ille, qui tamen *in resp. ad* 2. assentitur; contingere interdum posse, quod desperatio sit cum infidelitate conjuncta; ut *si quis*, inquit, *in universali existimaret misericordiam Dei non esse infinitam, esset infidelis.* Et *in resp. ad* 3. infidelem esse consentit, qui crederet, *remissionem peccatorum haud fieri in Ecclesia*; qui Novatianorum error fuit. *Hoc autem*, subdit, *non existimet desperans* [ordinarie saltem loquendo]; *sed quod sibi in statu illo propter aliquam particularem dispositionem non sit de divina misericordia sperandum.* Atque hæc tota S. Præceptoris doctrina diligenter a Confessariis attendenda est, dum ad ipsos accedunt peccatores, qui de venia criminum suorum desperant.

§. II.

De gravitate, & causa peccati Desperationis.

V. Peccatum esse, & illud quidem gravissimum, Desperationem, quis in controversiam vocaverit? Sed num cæteris peccatis gravius sit, inquirit S. Thomas hic *art.* 3. Atque equidem cæteris peccatis, quæ moralibus virtutibus opponuntur, gravius esse spectata specie sua, sive natura, & ipse, & cæteri Theologi consentiunt. Si autem comparetur cum iis peccatis, quæ sunt duabus aliis virtutibus theologicis opposita *fidei* scilicet, & *charitati*, iis natura sua gravius non esse docet. Quandoquidem per odium Dei magis contemnitur divina bonitas, & per infidelitatem major injuria fit veritati divinæ, quam per illam desperationem, quæ ex infidelitate non oritur.

VI. *Sed si comparetur*, subjicit S. Doctor, *ad alia duo peccata* [*odium Dei*, & *infidelitatem*] *ex parte nostra, sic desperatio est periculosior: quia per spem revocamur a malis, & inducimur ad bona prosequenda. Et ideo sublata spe, irrefrænate homines labuntur in vitia, & a bonis laboribus retrahuntur. Unde super illud Proverb.* 24. Si desperaveris lapsus, in die angustiæ minuetur fortitudo tua, *dicit Glossa*: Nihil est execrabilius desperatione, quam qui habet & in generalibus hujus vitæ laboribus, & quod pejus est, in fidei certamine, constantiam perdit. *Et Isid. dicit in lib.* 2. *de summo bono*: Perpetrare flagitium aliquod mors animæ est: sed desperare est descendere ad infernum.

VII. Frequentior desperationis causa duplex est: *luxuria* videlicet, maximeque *acedia*. Hoc probat S. Thomas *art.* 4. cujus hæc verba sunt: " Objectum spei est bonum ar-
„ duum, possibile adipisci vel per se, vel
„ per alium. Dupliciter potest ergo in ali-
„ quo spes deficere de beatitudine obtinen-
„ da. Uno modo quia non reputat eam ut
„ bonum arduum: alio modo quia non re-
„ putat eam ut possibilem adipisci vel per se,
„ vel per alium. Ad hoc autem, quod bo-
„ na spiritualia non sapiant nobis quasi bo-
„ na, vel non videantur nobis quasi magna
„ bona, præcipue perducimur per hoc, quod
„ affectus noster est infectus amore delecta-
„ tionum corporalium, inter quas præci-
„ puæ sunt delectationes venereæ. Nam ex
„ affectu harum delectationum contingit,
„ quod homo fastidit bona spiritualia, &
„ non sperat ea, quasi quædam bona ar-
„ dua. Et secundum hoc desperatio causatur
„ ex *luxuria*. "

VIII. Ad hoc autem, quod aliquod bo-
„ num arduum non æstimet possibile sibi adi-
„ pisci per se, vel per alium, perducitur ex
„ nimia dejectione; quæ, quando in affe-
„ ctu hominis dominatur, videtur ei, quod
„ nunquam possit ad aliquod bonum releva-
„ ri. Et quia *acedia* est tristitia quædam de-
„ jectiva spiritus, ideo per hunc modum de-
„ speratio ex accidia generatur. Hoc autem
„ est proprium objectum spei; scilicet *quod*
„ *sit possibile*. Nam bonum & arduum ad
„ alias etiam passiones pertinet. Unde spe-
„ cialius oritur ex accidia. Potest tamen
„ oriri *ex luxuria*, ratione jam dicta "; quod nempe carnales homines in cœno corporalium delectationum jacentes non assurgunt ad sperandum bonum illud spirituale & æternum, de quo ne cogitare quidem solent.

§. III.

De Peccato Præsumptionis.

IX. Præsumptio, prout sumitur in præsenti, nihil aliud est, quam *temeraria confidentia consequendi beatitudinem, aut media ad illam necessaria*. Dicitur *temeraria*; nimirum vana, futilis, omnique fundamento destituta. Dupliciter *temeraria* esse potest: primo quidem ex eo, quod non innitatur divinæ mi-

misericordiæ, & omnipotentiæ; sed humanis viribus, sive propriis, sive alienis. Secundo quia inordinate confidit in divina misericordia, & omnipotentia; expectando videlicet, quæ Deus nedum non promisit, sed se potius negaturum denunciavit. Audiamus S. Doctorem ita egregie differentem hic q. 21. art. 1.

„ Præsumptio videtur importare quamdam „ immoderantiam spei: Spei autem objectum „ est bonum arduum possibile. Possibile autem est aliquid homini dupliciter. Uno „ modo per propriam virtutem; alio modo non- „ nisi per virtutem divinam. Circa utramque autem spem per immoderantiam potest esse præsumptio. Nam circa spem „ per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur *præsumptio* ex hoc, quod „ aliquis tendit in aliquod bonum *ut sibi* „ *possibile*, quod suam facultatem excedit, „ secundum quod dicitur Judith. 6. *Præsumentes de se humiliat*. Et talis præsumptio „ opponitur virtuti *magnanimitatis*, quæ medium tenet in hujusmodi spe.

„ Circa spem autem, per quam aliquis „ inhæret divinæ potentiæ, potest per immoderantiam esse præsumptio in hoc, quod „ aliquis tendit in aliquod bonum ut possibile per virtutem, & misericordiam divinam, quod possibile non est: sicut cum „ aliquis sperat, se veniam obtinere sine „ pœnitentia, vel gloriam sine meritis. Hæc „ autem *præsumptio est propria species peccati* „ *in Spiritum Sanctum*; quia scilicet per hujusmodi præsumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritus Sancti, per „ quod homo revocatur a peccato. “

X. Præsumptionem ex genere suo peccatum esse lethale, indubitatum est, tum quia peccatum thologicæ virtuti contrarium, & in materia quidem gravissima, cujusmodi est beatitudo, & media ad illam perveniendi necessaria, nequit non esse lethale: tum quia in præsumptione gravis inordinatio, sive ad rectam rationem dissonantia relucet, prout est expectare aut justificationem absque pœnitentia, aut gloriam absque meritis; quod constitutum pervertit a Divina Providentia ordinem. Veniale tamen aliquando erit *ob imperfectionem actus*, quemadmodum & in desperatione, & in aliis peccatis sæpe contingit.

XI. Potest nonnunquam *præsumptio* comitem habere *infidelitatem*; si nempe quispiam existimaret, Deum peccatoribus gratiam elargiri, tametsi pœnitentiam non agant, aut gloriam sine meritis tribuere; ac propterea temere confidat, se beneficia illa adepturum. At sæpe sæpius in Catholicis sine infidelitate invenitur, qui erroneas ejusmodi opiniones non habent; sed solum de facto ita intendunt salutem, ac peccatorum remissionem, ac si illam expectarent sine gratiæ meritis, vel sine pœnitentia.

XII. Quamquam vero non omnis præsumptio spem excludat, ut in peccatoribus accidit, qui vitam in melius mutare renuunt, & nihilominus salutem sperant sibi persuadentes, Deum ad voluntatem suam, aut saltem in fine vitæ pœnitentiam concessurum; præsumptio tamen admittenda videtur, quæ spem conficiat, ac destruat; illa nimirum, qua quis præsumit veniam peccatorum, ac beatitudinem consequi aut solis propriis viribus, aut sola Dei misericordia absque ullis bonis operibus, etiam quæ per gratiam Dei fierent. Quoniam hujusmodi actus modum destruit tendendi in objectum spei theologicæ, qui in hoc est positus, quod beatitudo expectetur per auxilia gratiæ Dei, ac per merita, quæ in nobis Deus operatur.

XIII. Ex quibus illud colligere oportet, hoc peccatum præsumptionis incurrere multos ex Christianis; eosque præsertim, qui vana quadam expectatione gloriæ æternæ de-

delusi, sibi meritum per bona opera in Deo facta comparare negligunt, & pœnitentiam ad mortem protrahunt, atque interim explendis cupiditatibus suis habenas laxant; eo quod audiunt, fiduntque illis Prophetæ verbis: *Impietas non nocebit ei* (impio), *in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua*: & his ita fidunt, ut aures suas obstruant ad ea, quæ alibi dicuntur: *Dies Domini sicut fur in nocte.... Qua hora non putatis; filius hominis veniet*.

R E F L E X I O.

Missis aliis, quæ fieri a me possent, *reflexionibus*, unam tantum exhibere liceat, quam Lectori sacrorum præsertim ministeriorum Candidato utiliorem censeo. Ardua appetit spes; sed ad ea acquirenda uni omnipotenti Deo innititur. Ex hac arduitate spei, si non solum consideremus primarium ejus objectum, verum etiam quæcumque alia, quæ ad ipsum referuntur, multi ita dejiciuntur animo, ut officia, ad quæ vocantur, ut salutem suam, & aliorum operentur, capessere, digneque obire se posse, atque perficere omnino diffidant; adeoque illa detrectent: Alii vero quæcunque offeruntur, etiam viribus suis majora, alacriter, intrepide, & absque ulla formidine suscipiunt, atque etiam quandoque non vocati se ingerunt. Utrique contra spem peræque peccant. Peccant illi; quia sicut sibi, ita & Deo, ejusque gratiæ auxiliis minime fidunt: peccant isti: quia nimium in se ipsis, viribusque suis confidunt. De his, aliisque intrusis, & munera præsertim Ecclesiastica usurpatione alepris dicitur Os. 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt; & ego ignoravi*. Quæ verba sic expendit S. Gregorius M. part. 1 Pastoral. cap. 4. *Ex se, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur: quos tamen internus Judex & provehit, & non cognoscit; quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat*. Porro non in Domino confidunt, qui etiam a Deo per Superiores vocati, saluti animarum, proprii detrimenti, ac turbationis formidine perterriti, operam dare recusant, & officium pastorale detrectant. Hoc idem S. Gregorius ibid. cap. 7. coarguit exemplo Moysis, *qui præesse multitudini & noluit, & obedivit. Superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet; & rursum superbus existeret, si Authoris imperio obedire recusaret. Utrobique ergo humilis, utrobique subjectus, & præesse populis semetipsum metiendo noluit: & tamen de imperantis viribus præsumendo consensit*.

Comprimenda profecto foret audacia illius, qui vulneratum cernere propeta ratet graviore vulnere ipse percussus. *Si homo*, subdit cap. 11. idem S. Gregorius, *apud hominem, de quo minime præsumit, fieri intercessor erubescit; qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo accipit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ merita nescit? .... Est adhuc solicitius formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquido novimus, quia cum is, qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur*. Verum urgenda, & revelanda est eorum abjectio animi, ac timor, qui scientia, & virtutibus prædìti aliis prodesse fugiunt ob leviusculas quasdam culpas, in quas dum externis ministeriis vacant, labuntur. *Sed hæc*, concludit S. Doctor, *nequaquam Pastori timenda sunt; quia, Deo subtiliter cuncta dispensante, tanto facilius a sua eripitur, quanto misericorditer ex aliena tentatione fatigatur*. Fugienda itaque in Ecclesiasticis præcipue officiis

ficiis diffidentia auxilii divini, dum quis ad ea obeunda vocatus, imparem se esse arbitratur; sed fugienda quoque præsumptio, ac sollicitudo ea quærendi, ne forte dum a Deo non vocamur, iis auxiliis nos privet, quæ ad illa recte obeunda necessaria sunt.

DISSERTATIO III.

DE CHARITATE.

JAM vero ad supremam omnium nedum moralium, sed etiam theologicarum virtutum, quæ cunctas perficit, atque informat, explanandam, ac illustrandam accedimus, videlicet Charitatem. *Hæc est ignis ille cælestis, quem Christus Dominus venit mittere in terram, ut mortalium corda accenderet: hæc peculiaris, ac proprius Evangelicæ legis character, quo Christiani, ac filii Dei a filiis Mundi, ac Diaboli discernuntur: hæc divinorum omnium donorum divinissimum, quo nihil in tota domo Dei pretiosius, nihil præstantius, sublimius nihil: hæc demum, ut cætera sileam, est mandatorum Dei omnium maximum, ac Prophetarum complementum. Quum enim, ut refert S. Matthæus* c. 22. *interrogatus esset Christus Jesus a quodam legis Doctore,* quodnam esset mandatum magnum in lege? *respondit:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum: *subjecitque confestim:* Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ. *Charitas igitur, prout complectitur dilectionem Dei, & proximi, omnium mandatorum primum est, simulque complementum totius legis. De hac charitate, de hoc omnium maximo præcepto verba facturus sum in hac* tertia Dissertatione, *prout ad institutum nostrum pertinere videbitur; neque enim omnia, quæ a Theologis de hac excellentissima virtute tractantur, attingere, & explicare necesse arbitror. Quæ autem dicturus sum, quibusdam Capitibus de more expediam; primumque nonnulla disseram, quæ ejus ideam, notionem, atque excellentiam spectant. Sed in iis; sicut & in aliis Lectorem rogo, ne a me ea tantum expectet, quæ conscientiæ casus peculiares concernunt: ut cæteri Morales Theologi præstare solent: cum potius propositum mihi sit in omnibus, quæ solidæ Christianæ vitæ institutioni deserviunt, explanare, atque proponere, prout exigit* Ethica vere Christiana, *quam ab initio mibi tradendam præstitui.*

CAPUT I.
De Charitatis notione, indole, & prærogativis.

DOCTRINA.

I. *Charitatis multiplex nomen,*

II. *Charitas, de qua sermo est, describitur.*
Ea non est amor Dei naturalis, sed supernaturalis.

III. *Hinc non acquiritur nostris actibus, sed* dun-

duntaxat per infusionem habetur.

IV. *Mere tamen passive se non habet homo, dum elicit charitatis actum.*

V. *Non est ipse Spiritus Sanctus, sed donum a Spiritu Sancto distinctum.*

VI. *Specie is virtus est ab aliis virtutibus distincta.*

VII. *Sapiens animadversio Francisci Sylvii in textum S. Thomæ.*

VIII. *Sancti Thomæ doctrina admodum apposita ad explicandos Scripturæ, & Patrum textus, qui charitatem virtutem generalem facere videntur.*

IX. *Quo sensu charitas generalis virtus dici queat.*

X. *Modus, quo charitas alias virtutes perficit, ac informat.*

XI. *Charitas nedum donis omnibus Spiritus Sancti præexcellentior est, verum etiam ceteris quibusque virtutibus nedum moralibus, sed & theologicis.*

XII. *Ratio S. Thomæ, qua excellentiam hanc charitatis demonstrat.*

XIII. *Alio ex capite elucet præeminentia caritatis, quod nempe ipsa sit finis, & plenitudo Legis.*

XIV. *Elegans expositio S. Thomæ verborum Apostoli legis plenitudinem charitati tribuentis.*

XV. *Exponitur ex S. Doctore alius sensus, quo charitas dicitur* finis omnium virtutum.

XVI. *Quo sensu juxta S. Augustinum charitas dicetur* finis præcepti.

XVII. *Alia excellentia charitatis ex iis deducta, ipsam scilicet radicem esse totius meriti respectu beatitudinis.*

XVIII. *Nullus justorum actus præmium essentiale de condigno meretur, nisi sit a charitate vel elicitus, vel imperatus.*

XIX. *Est etiam charitas radix meriti* de congruo.

§. I.

De Charitatis multiplici nomine, atque ejus natura.

I. CHARITAS, cujus nomen alii derivant a latino verbo *carus*: alii ex græco *charis*, quod *gratiam*, aut *donum* sonat; trifariam accipi solet. Primo pro quolibet amore naturali, aut etiam civili; quo sensu Prov. 15. dicitur: *Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio.* Secundo pro divina ipsa natura, quæ bonitas est, & *charitatis* nomine appellatur a S. Joanne *Epist.* 1. *cap.* 4 illis verbis: *Deus charitas est.* Sumitur demum pro *amore benevolentiæ*, quo Deum propter se diligimus.

Amorem, dilectionem, & charitatem promiscue usurpari in Sacris Litteris observat S. Augustinus *lib.* 14 *de Civit. Dei cap.* 7. Nonnihil tamen discrimínis agnoscit S. Thomas 1. 2. *q.* 26. *art.* 3. inter prædicta nomina, eorumque significata. Ait enim: " Quatuor „ nomina inveniuntur ad idem quodammodo „ pertinentia; scilicet *amor*, *dilectio*, „ *charitas*, *amicitia*. Differunt tamen in hoc, „ quod *amicitia* secundum Philosoph. est quasi „ *habitus*. *Amor* autem, & *dilectio* significant „ per modum *actus*, & *passionis*. *Charitas* utroque „ modo accipi potest. Differenter tamen „ designatur per ista tria. Nam *amor* „ communius inter ea est. Omnis enim dilectio, „ vel charitas est *amor*: sed non e „ converso: Addit enim *dilectio* supra amorem „ electionem præcedentem, ut ipsum „ nomen sonat. Unde *dilectio* non est in „ concupiscibili, sed in voluntate tantum, „ & est in sola rationali natura. *Charitas* „ autem addit supra amorem *perfectionem* „ *quandam amoris*, in quantum id, quod „ amatur, magni pretii æstimatur, ut ipsum „ nomen designat.

II. Sed ad rem ipsam veniamus, *Charitas*, de

de qua modo agimus *est amor*, *vel dilectio bonitatis divinæ*, *quæ nobis innotescit non per ea*, *quæ facta sunt*, *sed per gratuitam revelationem*, *quæ est visio Dei in patria*, *ac fides in via*.

Ex hac *charitatis* descriptione consequitur, charitatem, de qua loquimur, non esse amorem naturalem, sed *supernaturalem*, quem paucis exponere oportet juxta ea, quæ *de fide* agentes diximus. Nimirum: una est bonitas suprema Dei increata, infinita, independens, omnium perfectionum pelagus, tota amabilis, qua Deus bonus est, & quæ bonitatem omnem creaturarum causat, atque diffundit. Verum ea non uno modo nobis perspecta fit, nec una subinde est Dei dilectio. Si per ea, quæ facta sunt, in seipsis valde bona, ac ordine mirabili inter sese colligata assurgamus in cognitionem Dei boni; hac cognitione regitur amor Dei, qui *naturalis* dicitur, hoc est rationalis creaturæ cognitioni consentaneus, ex ejus principiis effluens, ac illi debitus. Si autem bonitas eadem nota fiat per gratuitam revelationem, sive prout bona quoque superiora communicat, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit; nec mens creata percipere potest creaturarum ministerio, sed revelatione opus est, quam gratuito favore inspirat Deus; ejusque lumine innotescit, quam magna sit, ut etiam nos filios Dei effecerit, ac divinæ consortes naturæ, atque etiam claræ, & immediatæ visionis suæ aliquando futuros participes: amor noster hac directus cognitione mysteriorum gratiæ, & gloriæ, dicitur *amor supernaturalis*, sive *caritas*.

Hanc doctrinam paucis verbis perstrinxit Angelicus Doctor 1. 2. *q.* 109. *art.* 3. *ad* 1. inquiens: " *Charitas* diligit Deum super om- „ nia eminentius, quam *natura*. Natura „ enim diligit Deum super omnia, prout „ est principium, & finis *naturalis boni*: „ Charitas autem secundum quod est obje- „ ctum beatitudinis, & secundum quod ho- „ mo habet quamdam societatem spiritua- „ lem cum Deo.

III. Ex quibus colligitur, nec mentis creatæ nativum lumen satis esse caritati dirigendæ, nec voluntatis creatæ vires naturales pares esse eidem caritati producendæ, quemadmodum contra Pelagianos Theologi probant; & S. Thomas hic *q.* 24. *art.* 2. confirmat his verbis: *Sicut Deus est secundum se maxime cognoscibilis, non tamen a nobis propter defectum nostræ cognitionis, quæ dependet a rebus sensibilibus; ita etiam Deus in se est maxime diligibilis, in quantum est objectum beatitudinis. Sed hoc modo non est maxime diligibilis a nobis propter inclinationem affectus nostri ad visibilia bona. Unde patet, quod ad Deum maxime diligendum hoc modo necesse est, quod nostris cordibus infundatur*; ac mens nostra gratuitæ revelationis lumine illustretur.

IV. At quamquam id verissimum sit, non ita tamen intelligendum est, caritatem cordibus nostris infundi, ac si mere passive nos haberemus in caritate recipienda. *Hoc enim* [inquit S. Thomas hic q. 23. art. 2.] *est contra rationem voluntarii, cujus principium oportet in ipso esse. Unde sequeretur, quod diligere non esset voluntarium, quod implicat contradictionem: cum amor de sui ratione importet, quod sit actus voluntatis. Similiter*) subdit ille) *etiam non potest dici quod sic moveat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur instrumentum, quod etsi sit principium actus, non tamen in ipso est agere, vel non agere. Sic enim tolleretur ratio voluntarii, & excluderetur ratio meriti: cum tamen dilectio caritatis sit radix merendi. Sed oportet, quod si voluntas moveatur a Spiritu Sancto ad diligendum, etiam ipsa sit efficiens hunc motum vel mediante habitu caritatis, vel mediante motione gratiæ divinæ*.

V. Charitas itaque est donum, quod Spiritus Sanctus in corde nostro diffundit, & ab

ab ipso Spiritu Sancto distinctum, non ipsemet Spiritus Sanctus, prout falso quidam ex antiquis credidere. Hoc autem constat in primis ex authoritate Apostoli Pauli ad Rom. c. v. dicentis: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Ibi enim Apostolum loqui *de charitate*, & quidem *habituali*, quæ in cordibus justorum diffunditur; & contextus ipse clamat, & ipse Augustinus, cujus auctoritate abutebantur illi, declarat in lib. *de Spir. & litt. cap.* 32. Perspicuum autem est, in his verbis Apostolum distinguere charitatem, quæ infunditur, ab ipso Spiritu Sancto eam infundente. Quam etiam distinctionem exprimit Apostolus idem *ad Galat. cap.* 5. inquiens: *Fructus Spiritus Sancti sunt charitas, gaudium, pax &c.* ubi dona a donante discernit.

Hoc quoque præter alia loca colligitur ex doctrina, quam laudatus S. Augustinus tradit, definiens *cap.* 21. *de bono Conjug.* habitum, qui certe charitas est, hoc modo: *Habitus est, quo aliquid agitur, cum opus est; cum autem non agitur, potest agi, sed non est opus*. Distinguit subinde in virtutibus *habitum*, & *actum* inquiens: *Virtutes animi aliquando in opere manifestantur, aliquando in habitu latent: sicut virtus Martyris emicuit, & apparuitque tolerando passiones. Sed quam multi sunt in eadem virtute animi, quibus tentatio deest, qua id, quod intus est in conspectu Dei, etiam in hominum* (conspectu) *procedat*.

Hoc etiam Synodus Tridentina satis aperte confirmat, dum *sess.* 6. *cap.* 7. definit, loquens de justificatione impii, *quod in ea per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur; fidem, spem, charitatem*. Hinc explodenda omnino est opposita, quam innuimus, sententia.

§. II.

Charitas est peculiaris virtus ab aliis distincta.

VI. Nemo negare potest, charitatem inter cætera præclarissima decora, quibus effulget, *virtutis* etiam habere decorem, cum sit principium actus attingentis regulam non tantum naturalem quæ est recta ratio, sed etiam supernaturalem, quæ est ipse Deus, in quo *virtutis* ratio posita est. Sed num virtus generalis sit, non autem specialis, & ab aliis virtutibus distincta, merito quæri potest, ac solet. Specialem tamen virtutem esse, dicendum omnino est cum Sancto Thoma, cæterisque Theologis: idque probat ille 2. 2. *q.* 23. *art.* 4. hac ratione: *Actus, & habitus*, inquit, *specificantur per objecta, ut ex supra dictis patet. Proprium autem objectum amoris est bonum. Et ideo, ubi est specialis ratio boni, ibi est specialis ratio amoris. Bonum autem divinum, in quantum est beatitudinis objectum, habet specialem rationem boni. Et ideo amor charitatis, qui est amor hujus boni, est specialis amor. Unde & charitas est specialis virtus*.

VII. Ea verba D. Thomæ dicentis, *bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum, esse objectum charitatis*, sapienter adnotat V. Cl. Sylvius sic esse intelligenda, ut nempe divinum bonum sit charitatis objectum sub ea entitate, bonitate, & perfectione, sub qua est objectum beatitudinis. Est autem objectum beatitudinis, prout in se est, summe, & infinite bonum: adeoque etiam est objectum charitatis, prout est in se summe, & infinite bonum. Ubi advertendum est, quod S. Doctor non dixerit: *In quantum est author beatitudinis, vel in quantum ab eo provenit nostra beatitudo*; sed *in quantum est beatitudinis objectum*; ut propterea voluerit

quod

quod, ficut objectum beatitudinis eft Deus fecundum fe ipfum: *Videbimus* namque *eum, ficuti eft*; ita etiam objectum charitatis fit idem Deus, prout *in fe eft*, fummum nempe bonum, atque perfectum.

VIII. Quæ habet S. Thomas in refponfione ad tria, quæ fibi oppofuerat argumenta, valde appofita funt ad intelligendos, explicandofque aliquos Scripturæ & Patrum textus, qui charitatem virtutem generalem effe probare videntur; ac charitatis præftantiam maxime manifeftant. Docet itaque primo, charitatem a SS. Hieronymo, & Auguftino poni in definitione omnium virtutum, non quia fit effentialiter omnis virtus, fed quia cæteræ virtutes ab illa quadantenus dependent: ficut etiam prudentia in definitione virtutum moralium ponitur, eoquod virtutes morales a prudentia dependeant.

Docet fecundo, ad illa verba Apoftoli fibi objecta refpondens: *Charitas patiens eft, benigna eft &c.* quibus officia virtutum omnium charitati videtur adjudicare; quod *virtus, vel ars, ad quam pertinet finis ultimus, imperat virtutibus, vel artibus, ad quas pertinent alii fines fecundarii &c. Et ideo, quia charitas habet pro objecto ultimum finem humanæ vitæ, ideo extendit fe ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii, non quafi immediate eliciens omnes actus virtutum.*

Docet tertio, folvens objectionem deductam ex verbis Auguftini dicentis in lib. *de perfect. hum. juft.* quod *generalis juffio eft*: Dilige; *& generalis prohibitio*: Non concupifces. Docet, inquam, quod *præceptum de diligendo dicitur effe juffio generalis; quia ad hoc reducuntur omnia alia præcepta ficut ad finem fecundum illud* 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti charitas eft.*

IX. Itaque caritas non eft *effentialiter* omnis virtus, nec fingulorum bonorum operationibus integratur. *Generalis* virtus ea ratione duntaxat dici poteft: quia reliquas omnes fovet, ad agendum movet, informat, perficit, finem, quo tendere debent, præfigit, in eumque illas ordinat. Vocat eam Apoft. in Epift. ad Coloff. cap. 3. *vinculum perfectionis*, quod virtutes omnes in una connectit dilectionis perfectione. Et in Epift. ad Ephef. cap. 3. radicem, & fundamentum *in caritate radicati, & fundati*: quia ipfam rectam efficit voluntatem, unde confurgunt tanquam a radice reliqui boni affectus.

X. Modum, quo charitas virtutes alias perficit, atque informat, declarat S. Thomas hic *q.* 23. *art.* 8. *ad* 1. dicens: *Caritas dicitur effe forma aliarum virtutum non quidem exemplariter, aut effentialiter, fed magis effective, in quantum fcilicet omnibus formam imponit.* Hæc forma eft ordo, quem virtutes habent non folum ad propria objecta, fed etiam ad Deum ultimum finem: & hunc ordinem imprimit efficaciter caritas. Hoc fenfu docet Angelicus Præceptor *art. cit. ad* 2. *&* 3. caritatem dici radicem, fundamentum, & matrem omnium virtutum his verbis: *Caritas comparatur fundamento, & radici, in quantum ex ea fuftentantur, & nutriuntur omnes aliæ virtutes. Et quia mater eft, quæ in fe concipit ex alio, ex hac ratione dicitur mater aliarum virtutum; quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipfos.* Hinc fponte fluit, nullam effe veram, perfectam, completamque virtutem abfque caritate, tametfi virtus quælibet proprium virtutis decorem habeat, ex proprio officio cuilibet conveniente depromptum.

§. III.

De Caritatis prærogativis.

XI. Præter has, quas modo memoravimus, aliis caritas effulget prærogativis, quæ plane prætereundæ non funt. Omnium princeps eft, quod virtutum omnium fit excellentiffima. Hanc afferit ipfe difertiffime Apoftolus Paulus *in Epift. ad Corinth. cap.* 12. ubi pri-

mum.

mum enumerans plura charismata, Apostolatum, Prophetiam, scientiam, gratiam curationum, genera linguarum &c. his omnibus *excellentiorem* vocat caritatem; ac deinde eamdem comparat *fidei*, & *spei*, & ait: *Manent fides, spes, caritas; tria hæc: major autem horum est caritas.* Profecto si caritas nedum cæteris Sancti Spiritus donis verum etiam cæteris virtutibus theologalibus præcellit, quis inficias iverit præcellere quoque virtutibus cæteris moralibus, quæ theologicis longe inferiores existunt?

XII. Effusi sunt in caritatis supra virtutes omnes præeminentiam commendandam Sancti Ecclesiæ Patres ac præsertim Augustinus. Verum iis brevitatis causa prætermissis rationem affero S. Thomæ, quæ laudes omnes ejusdem complectitur, atque excessum clarissime demonstrat. Dicit ergo *quæst.* 23. *art.* 6. „ Cum bonum in humanis actibus attendatur, secundum quod regulantur debita „ regula; necesse est, quod virtus humana, „ quæ est principium bonorum actuum, consistat in attingendo humanorum actuum „ regulam. Est autem duplex regula humanorum actuum, scilicet ratio humana, & „ Deus. Sed Deus est prima regula, a qua „ etiam humana ratio regulanda est. Et ideo „ virtutes theologicæ, quæ consistunt in attingendo regulam primam, eo quod earum „ objectum est Deus, excellentiores sunt virtutibus moralibus, vel intellectualibus, quæ „ consistunt in attingendo rationem humanam. Propter quod oportet, quod etiam „ inter ipsas virtutes theologicas illa sit potior, quæ magis Deum attingit. Semper „ autem id, quod est per se, majus est eo, „ quod est per aliud. Fides autem & spes attingunt quidem Deum, secundum quod ex „ ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel „ adeptio boni. Sed caritas attingit ipsum „ Deum, ut in se ipso sistat, non ut ex eo „ aliquid nobis proveniat. Et ideo caritas „ est excellentior fide, & spe; & per consequens omnibus aliis virtutibus „.

Hoc est (ut clarius postremorum verborum S. Doctoris verba intelligantur) objectum trium virtutum theologalium fidei, spei, & caritatis Deus est. At ratio attingendi ipsum Deum majorem exprimit puritatem, & perfectionem in caritate, quam in fide, atque spe. Nititur enim fides revelatione divina, quæ propter divinam scientiam revelantem importat cognitionem creatam nobis impressam: & spes non solum respicit Deum, sed & ejus possessionem, quæ in ejus consistit creata visione, creatoque amore. Verum caritas Deum amat in seipso, eumdemque ratio diligendi est ipsa ejus bonitas increata.

XIII. Sed & ex alio capite emicat fulgentissime excellentia caritatis; quod nempe caritas sit finis, & plenitudo legis. Sublimem istum caritati locum jam ab initio tribuimus ex verbis Christi Domini: *In his duobus mandatis*: Diliges Dominum Deum tuum &c., & proximum sicut te ipsum, *universa lex pendet, & Prophetæ.* Apostolus vero Paulus ad Rom. cap. 13. exerte ait: *Plenitudo legis est dilectio.* Et ad Timoth. cap. 1. *Finis præcepti est caritas de corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta.*

XIV. Hæc postrema verba elegantissime exponit S. Thomas *lect.* 2. quærens, *quomodo caritas est finis legis?* ac respondet: „ Ad „ hoc sciendum duo sunt consideranda. Primo, quod omnia præcepta legis sunt de „ actibus virtutum: secundo, quod objectum „ virtutis unius est finis alterius .... Virtutes autem theologicæ ultimum finem habent pro objecto: aliæ autem sunt circa „ ea, quæ sunt ad finem. Virtutes ergo „ theologicæ respiciunt objectum, sicut finem. Inter theologicas vero illa plus habet de ratione finis, quæ propinquius se „ habet ad ultimum finem. Fides autem ostendit eum: Spes facit tendere in illum: „ Caritas unit. Ergo omnes ordinantur ad

ca-

„ caritatem " . Itaque virtutes omnes ordinantur ad caritatem tamquam finem ; quia omnes ita invicem connexæ sunt , ut cum caritas ultimum finem proximius respiciat , ita omnibus supereminent , earumque ordinem compleat .

XV. Sed alio quoque in sensu caritas dicitur *finis virtutum* ; quia videlicet virtutes caritati locum parant in homine , cor purum , conscientiam bonam , fidem non fictam facientes . Pulchra admodum sunt S. Doctoris verba , quæ habet loco eodem ; nempe : „ Virtutes , & earum præcepta „ disponunt ad caritatem ; & ideo dicitur „ de *corde puro* . Ad hoc enim , quod cor „ sit *purum* , dantur præcepta virtutum , „ quarum quædam ordinant ad modum re„ ctificandi passiones , sicut temperantia , „ quæ ordinat concupiscentiam , mansuetu„ do iras , fortitudo iras , & audacias . Per „ has autem passiones purgatur *puritas cor*„ *dis* ; & istæ virtutes faciunt *cor purum* . „ At sine puritate cordis non est caritas . „ Impossibile enim est , quod cor impurum „ sit promptum ad caritatem : quia unicui„ que est diligibile , quod sibi est conforme : „ cor autem impurum diligit illud , quod „ competit ei secundum passionem . Unde „ necesse est , quod sit expeditum a pas„ sionibus juxta illud Cant. cap. 1. *Re*„ *cti diligunt te* . Aliæ virtutes sunt , „ quæ rectificant , hominem in ordine ad „ proximum ; & ex hoc sequitur , quod ha„ beat *bonam conscientiam* , qui non facit al„ teri , quæ sibi non vult fieri . Unde dici„ tur : *Ex conscientia bona* . Et ideo etiam „ præcepta , quæ conscientiam rectificant , „ bene disponunt ad caritatem , quæ diligit „ Deum , & proximum . Aliæ demum sunt „ virtutes ad habendam *veram fidem* , sicili„ cet virtutes , quibus Deum colimus , ut la„ tria , & hujusmodi , quæ sunt ordinatæ ad „ removendos errores , & ad confirmandam „ in cordibus nostris *veram fidem* de Deo . „ Qui enim non habet veram fidem , non „ possunt Deum diligere : quia qui falsa cre„ dit de Deo , jam non diligit Deum [*sed* „ *quod sibi confinxit*] . Non enim diligit , „ qui non credit , eo quod non figitur affe„ ctus , nisi in illo , quod ostendit intelle„ ctus . Et ideo virtutes , quæ faciunt *fi*„ *dem veram* , ordinantur ad caritatem . Et „ sic præcepta , & virtutes ordinantur ad fi„ nem , qui est caritas " .

XVI. Verum & alium sensum prætermittere non lubet , quo caritas dicitur finis præcepti , traditum a S. Augustino in Enchirid. *de fide , spe & caritate cap.* 120. nimirum , quia & virtutum omnium præcepta referri debent ad Deum ultimum finem , ut agere dicamur , prout oportet ad æternam salutem. *Omnia præcepta* , inquit ille , *divina referuntur ad caritatem* , *de qua dicit Apostolus* : Finis præcepti est caritas .... *Omnis itaque præcepti finis est caritas* ; *idest ad caritatem refertur omne præceptum* ; *Quod vero ita fit vel timore pœnæ* , *vel aliqua intentione carnali* , *ut non referatur ad illam caritatem* , *quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris* , *nondum fit* , *quemadmodum fieri oportet* , *quamvis fieri videatur* .... *Quæcumque ergo mandat Deus* , *ex quibus unum est* : Non mœchaberis , *& quæcumque non jubentur* , *sed spiritali consilio monentur* , *ex quibus unum est* : Bonum est homini mulierem non tangere , *tunc recte fiunt* , *tum referuntur ad diligendum Deum* , *& proximum propter Deum*.

XVII. Ex his alia excellentia caritatis facile colligitur ; scilicet esse radicem totius meriti relate ad æternam beatitudinem . Quæ caritatis prærogativa ut magis perspicua fiat, recolendum in primis est , quod Theologi docent , meritum duplex distingui : alterum *de condigno*, alterum *de congruo*. Meritum *de condigno* præmium sibi debitum facit ex justitia,vel ex fidelitate remunerantis, legemque supponit de remuneratione merito conferenda . Meri-

ritum *de congruo* nulla lege nititur, & quamvis aliqualem valorem habeat, is tamen tantus non est, ut ex aliquo remunerationis pacto præmium sibi debitum faciat. Unde remunerantis est bonitas, misericordia, & liberalitas, quod præmium conferatur. Gradus habet ejusmodi meritum: alterum, qui tribui solet supernaturalibus actibus fidei, spei, timoris, orationis, quibus peccatores Dei bonitatem, & misericordiam veluti pulsant: hanc enim decet miseriam pauperum sublevare. Alterum, quem habent vota precesque justorum: decet enim Deum, ejusque liberalitatem, ut pro sua erga homines justos amicitia exaudiat illos. His positis.

XVIII. Statuo primo loco, caritatem ita sibi vendicare præmium essentiale in clara Dei visione consistens, ut nullus sit in homine justo actus meritorius *de condigno* illius, nisi sit a caritate elicitus, vel imperatus. Non omnes quidem huic assertioni Theologi assentiuntur. Eam tamen liquido tradit S. Thomas cum aliis primi subsellii Theologis, quibus in re tanti momenti potius adhærere debemus. Verba S. Thomæ sunt 1. 2. q. 114. art. 4. *Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad caritatem: ad alias autem virtutes secundario; secundum quod earum actus a caritate imperantur*. Et in resp. ad 3. *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galat. 5. Similiter etiam actus patientiæ, & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex caritate hæc operetur secundum illud 1. ad Corinth. 13.*: Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Hæc sententia validis firmatur Scripturarum momentis, quibus æterna beatitudo caritati promittitur: *Qui diligit me*, inquit Christus Dominus Joan. 14., *diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. *Oculus non vidit*, clamat Apostolus 1. ad Corinth. c. 2., *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*. Et Jacobi cap. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem &c. accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*; aliaque hujusmodi, quibus consonant auctoritates Patrum, quas afferre facile possem.

Quoties ergo in Scripturis æterna vita promittitur pauperibus spiritu, misericordibus, persecutionem patientibus propter justitiam, subintelligi semper debet ea conditio, quod illa impetrentur, diliganturque a caritate: quia ex Apostoli citata Epistola dicitur: *Si habuero omnem fidem .... si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; &, si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*.

Nec deficit ad sententiam hanc comprobandam optima ratio. Quandoquidem proportio debet esse inter meritum, & præmium. Cum igitur gloria sit præmium præstantissimum, & in Dei fruitione consistat, per actum illius virtutis obtineatur oportet, quæ omnium præstantissima est, & per quam humana mens tendit ad fruitionem Dei: quæ sane sola caritas est. Profecto si major gloria retribueretur iis, qui plus laboraverunt, non qui plus dilexerunt, majorem in cœlo gloriam obtinerent Apostoli, aliique Sanctorum, quam ipsa Beatissima Virgo, quæ tot, sicut illi, labores perpessa non est. Hoc autem asserere nemo plane ausus fuerit.

Certum itaque sit, radicem totius meriti *essentialis* esse caritatem. Sed & radix quoque totius meriti *accidentalis* quod aliarum virtutum proprium est, dici merito potest; ea nimirum ratione, quod ipsa virtutes alias fovet, ac sustentat, movetque ad propria officia peragenda, easque non sinit frustrari præmio suo.

XIX. Quod attinet ad meritum *de congruo*, illius quoque radicem esse caritatem nemo negaverit. Nam si sermo sit de posteriore gradu meriti jam exposito, illud certe tribuit caritas justificans: cum per gratiam, & caritatem,

ritatem homo amicus Dei constituatur. Sed & meritum primi gradus quodammodo perficit caritas justificante minor (quam deinde afferemus); utpote quæ majorem valorem actibus fidei, spei, orationis &c. imprimit ad movendam Dei misericordiam, atque liberalitatem.

CAPUT II.

De Caritatis objecto, distinctione, & qualitate.

DOCTRINA.

I. *Rerum omnium amor ordinatus, & inordinatus.*

II. *Caritatis objectum primarium, & adæquatum est summum bonum, quod est Deus. Cætera res ad objectum secundarium pertinent.*

III. *Formale caritatis motivum est summa Dei bonitas.*

IV. *Divina hæc bonitas non est peculiare aliquod attributum, sed omnium divinarum perfectionum collectio.*

V. *Amor caritatis proprie acceptæ explicatur.*

VI. *Quomodo hunc vocet S. Augustinus.*

VII. *Caritatis, ut est* amor Dei propter se *egregia expositio S. Thomæ.*

VIII. *Quid ex hac doctrina sequatur.*

IX. *Admittenda vera caritas est, quæ ad peccatorem justificandum non pertingit.*

X. *Auctoritas Concilii Tridentini, & ejusdem Catechismi ad id comprobandum.*

XI. *Eadem sententia S. Thomæ auctoritate explicatur, & confirmatur.*

XII. *Assertum idem theologica ratione roboratur.*

XIII. *Plures gradus distinguendi sunt in caritate justificante minora.*

XIV. *Doctrina, unde ea, quæ objici contra solent, diluantur.*

XV. *Admittere oportet caritatem in gradu perfecto, quæ vi, & efficacia sua justificat impium, Damnatæ de re hac Bajanæ Propositiones.*

XVI. *Quam merito ejusmodi propositiones proscriptæ fuerint.*

XVII. *Quænam sit caritas* perfecta, *quæ requiritur, ac sufficit ad hominem justificandum.*

XVIII. *Insignis S. Thomæ locus pro explicando divino de diligendo Deo præcepto.*

XIX. *Plures gradus perfectionis in ipsa caritate justificante distingui possunt.*

XX. *Dotes intimæ, quæ caritatem justificantem consequuntur.*

XXI. *Harum præcipua est* amicitia *hominis cum ipso Deo.*

§. I.

De Caritatis objecto.

I. DE objecto caritatis, quod vix supra indicavimus, aliisque penitioribus dotibus, aut qualitatibus, quæ intime ipsam afficiunt, agendum est, ut excellentissima inter omnes virtus magis perspecta omnibus fiat. Quoad objectum itaque primum spectat, animadvertendum est quatuor esse, quæ amari a nobis possunt: nempe Deus, nosmetipsi, proximus noster, ac tandem res omnes sive spirituales, sive corporales, quæ utiles nobis, aut etiam necessariæ esse queunt in hac præsenti vita. Atque hæc omnia amari possunt amore vel ordinato, vel inordinato. Ea amamus amore ordinato, quoties unumquodque ex his objectis locum tenet in corde nostro, qui sibi debetur: secus vero, inordinatus est amor noster, atque perversus. Ordinate ergo amamus res omnes, & sub caritatis objecto cadere possunt, si Deum diligamus propter se ipsum, ipsique totum cor nostrum consecremus. Ordinate amamus nosmetipsos, & cætera alia, si & nos, & cætera alia referamus ad Deum tamquam ad ultimum finem, hoc tamen ordine, ut, & nos primum amemus, deinde proximum sicut nos ipsos, & alia veluti utilia, aut

aut necessaria nobis , ac proximo juxta regulam a Deo constitutam . Uno verbo *ordinatus* est amor noster , quando amamus Deum super omnia , ac propter seipsum , ac cætera in ipso, & propter seipsum : atque hæc est *caritas* , aut sanctus amor. *Inordinatus* autem, si hunc ordinem pervertimus, & rem aliquam amamus plusquam Deum : & hæc vocatur *cupiditas* , sive amor vitiosus . His modo leviter indicatis .

II. Constituo objectum primarium , & adequatum caritatis esse summum bonum , quod est Deus . Illud enim primarium , & adæquatum objectum alicujus virtutis dicitur, quod ipsa per se respicit , cætera vero vi , & ratione illius . Porro caritas virtus est , quæ primo , & per se respicit bonum summum , quod est Deus : atque adeo ejus objectum primarium , & adæquatum est ipse Deus . Atque hinc consequitur , quod & nosmetipsi , & cæteræ quæcumque res creatæ ad objectum secundarium pertinent , prout in Deum ipsum ordinantur : sic enim ea caritas attingit propter Deum , quod est primarium suum objectum .

III. Verum sub qua ratione caritas respicit hoc primarium objectum ? sive , quodnam est objectum *formale* , *quo* [ut vocant] caritas in Deum tendit ? Non aliud plane , quam *bonitas* ipsa divina . Hæc enim est motivum , seu tota ratio diligendi Deum , nosmetipsos , proximum , cæterasque res creatas. Quod ut magis dilucidetur ex iis , quæ apud nos contingunt , in exemplum profero Patremfamilias , ab altero propter eximiam ejus bonitatem impense dilectum absque ulla spe commodi temporalis , utpote qui illum dilectione prosequens abundat divitiis , honoribus , cæterisque fortunæ bonis . Quodnam est hujus motivum , cur ipsum diligat , nisi singularis illa perfectio bonitatis , quam in ipso Patrefamilias contemplatur ? Atque eo solo motivo ductus nonne etiam propterea amat quidquid ad illum pertinet , puta liberos , & domesticos ? Horum aliquis iter habeat per urbem , in qua degit amicus ; ubi rescivetit iste , statim eum accersit , cogitque diversari in propria domo . Quin si filius sit male moratus , aut inhoneste se gerat , inde dolet , illum salutaribus monitis emendare satagit . Quod si sanis consiliis non acquiescat , rem totam ad prudentem Patremfamilias refert , qui si e familia ejiciat domesticum , illius jam ejecti nullam amplius rationem habet amicus . In hoc exemplo cogita caritatem , qua movemur ad diligendum Deum propter summam ejus bonitatem , ac secundario diligimus nos ipsos , proximos, & res omnes ad Deum pertinentes , utpote creatas in ejus gloriam ; & intelligens , quomodo infinita Dei perfectio , & bonitas sit tota ratio non solum Deum , sed etiam nos, & proximum diligendi amore caritatis: Deum quidem , quia ipse est originalis bonitas; nos vero , & proximum , quia eadem divina bonitas per communionem , & præparationem bonorum supernaturalium in nobis , & proximo relucet tamquam in filiis , & domesticis Dei . Unde siquis sit a Deo totaliter , & absque ulla spe rejectus , ut damnati , nullam habere potest ad eum amicitiam : quia in illo non amplius relucet Dei bonitas , quæ tota ratio amandi est , atque motivum.

IV. Hæc autem divina bonitas , quam formalem amandi Deum rationem ponimus , non est peculiare divinæ essentiæ attributum , ut ab aliis divinis perfectionibus cogitatione nostra distinctum , sed prout complectitur omnem attributorum perfectionem. Nam , prout pluries docet S. Thomas , formalis caritatis ratio *est summa bonitas* . Summa autem bonitas ea censetur , qua major excogitari non potest . Cum igitur sola bonitas divina , prout complectitur essentiam , & attributa , tali præeminentia gaudeat , ut ea major cogitari non possit ; non sola bonitas , prout peculiare quoddam attributum con-

concipitur, erit formalis caritatis ratio, sive motivum. Sane, si juxta celebre illud Augustini effatum a S. Thoma sæpe usurpatum: *Bonum, & perfectum idem sunt*; quidquid erit perfectionis in Deo, ad eam pertinebit bonitatem, quæ caritatis est formale motivum.

§. II.

Amor Caritatis explicatur.

V. Quum ab objecto species cujuslibet rei desumatur, satis constare arbitror ex iis, quæ diximus, quænam sit species amoris, quæ *caritas* appellatur, & in quo ea proprie consistat. Verum cum magni momenti sit caritatis naturam apprime nosse, illam ulterius declaro; amoremque distinguo, qui nobis in caritatis mandato præcipitur, a cæteris, qui ad hunc gradum non pertingunt. Itaque caritas generatim considerata est *amor Dei propter se*. Amor obtinet rationem generis; & est quid commune amori tum concupiscentiæ, tum benevolentiæ: uterque enim amor est. Tota ergo ratio discriminis caritatis ab alio amore reperitur ex eo, quod subjungitur; nempe *propter se*, per quod designatur, totam Dei diligendi causam, aut motivum esse bonitatem divinam, sive infinitam, ac summam Dei perfectionem. Amor quippe *concupiscentiæ* respicit Deum, *quia bonum nostrum*, nosque perficiens: amor autem caritatis sistit in ipsa bonitate divina, Deumque amat, *quia in se ipso amabilis est*; seu quia propter summam ejus perfectionem dignus est, quod ametur: quemadmodum sæpe amamus aliquam personam propter præclaras dotes, queis prædita est, non propter bonum aliquod, quod nobis ex ipsa proveniat.

VI. Amorem hunc *gratuitum* vocat S. Augustinus Enarr. in Psal. 52. inquiens: *Laudetur Deus voluntate, ametur caritate: gratuitum sit, quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se; non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis laudas.*

Amorem eumdem idem S. Doctor appellat *fruitionem*, quam ab *usu* discernit, quo quidpiam volumus propter aliud. Caritate namque diligimus Deum propter se, nec alia caritati est ratio diligendi, quam ipsa Dei bonitas. *Fruitionem, & usum*, prout etiam alibi insinuavimus, definit Augustinus *lib.* 1. *de Doctr. Christ. cap.* 4. hoc pacto: *Frui est amore alicui rei inhærere propter ipsam: uti autem, quod in usum venerit, ad id, quod amas, obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus abusus potius, vel abusio nominatur.* Hinc sequentibus capitibus probat, Deo, ac Sanctissima Trinitate duntaxat amorem nostrum *frui* debere: *Quia res illæ tantum sunt res, quibus fruendum est, quæ æternæ sunt, & incommutabiles; tres nempe divinæ personæ.* Fruimur autem Deo per caritatem: imperfecte quidem in via, perfecte vero fruemur in patria.

VII. Speciem hanc caritatis, ejusque rationem diligendi Deum, quæ est bonitas ipsa, qua Deus in se bonus est, clarissime sub oculos ponit S. Thomas hic *q.* 27. *art.* 3., ubi quærit, *num Deus propter seipsum diligendus sit?* Quam quæstionem resolvit nitida, ac sedulo notanda doctrina; primumque præmittit, quod: „ Ly *propter* importat „ habitudinem alicujus causæ. Est autem „ quadruplex genus causæ; scilicet *finalis*, „ *formalis*, *efficiens*, & *materialis*, ad quam „ reducitur etiam *materialis dispositio &c.* Et „ secundum hæc quatuor genera causarum „ dicitur aliquid *propter alterum* diligendum: „ Secundum quidem genus causæ *finalis*, sicut diligimus medicinam *propter sanitatem*. „ Secundum autem genus causæ *formalis*, sicut diligimus hominem *propter virtutem*: „ quia scilicet virtute formaliter est bonus. „ Secundum autem causam *efficientem*, sicut „ diligimus aliquos, in quantum sunt filii „ talis Patris. Secundum autem *dispositionem*, quæ

„ quæ reducitur ad genus causæ *materialis*, „ dicimur aliquid diligere *propter id*, quod „ nos disponit ad ejus dilectionem, puta *propter* aliqua beneficia suscepta: quamvis, po„ stquam jam amare incepimus, non propter „ illa beneficia amemus amicum, sed propter „ ejus virtutem „.

Hoc præmisso, ad propositam quæstionem ita respondet: „ Primis ergo tribus modis „ Deum non diligimus *propter aliud*, sed *propter se ipsum*. Non enim Deus ordinatur „ ad aliud, sicut ad finem; sed ipse est finis „ ultimus omnium. Neque etiam informatur „ aliquo alio ad hoc, quod sit bonus; sed „ ejus substantia est ejus bonitas, secundum „ quam *exemplariter* omnia bona sunt. Ne„ que iterum ei ab altero bonitas inest sed „ ab ipso omnibus aliis „.

Subdit vero: „ Sed quarto modo Deus po„ test diligi *propter aliud*: quia scilicet ex a„ liquibus aliis disponimur ad hoc, quod in „ Dei dilectione proficiamus; puta per bene„ ficia ab eo suscepta, vel per præmia spe„ rata, vel etiam per pœnas, quas per ip„ sum vitare intendimus ".

VIII. Quæ ex doctrina liquet 1. juxta S. Thomam caritatis objectum esse Deum bonum. 2. Deum respici debere *tamquam finem*, quo caritas fruatur, non *tamquam medium*, quo ad finem obtinendum utamur. 3. Diligendi rationem, & causam primariam, atque specificam non aliam esse, quam Dei bonitatem substantialem, increatam, independentem, qua ille essentialiter bonus est. 4. Si qua Deus nobis bona confert, ac beneficia creata ab ipso distincta, accipi debere tamquam rationes secundarias, & minus principalia dilectionis incitamenta, quibus ad caritatem disponimur; & hæc omnia referenda demum esse in summam Dei bonitatem, qua ipse bonus est.

§. III.

An admittendus sit Caritatis amor, qui ad peccatorem justificandum non pertinget?

IX. Satis jam constat, quænam sit vera species amoris caritatis. Gradum ejusdem etiam definire oportet, ut caritas eadem justum hominem efficiat Deo gratum, Dei filium, & amicum. Sed prius illa discutienda quæstio est, num admittendus sit amor caritatis proprii nominis, qui sit *justificante minor*, sive qui ad hominem justificandum non pertingat? Loquor de amore, seu actu caritatis proprii nominis, qui respicit Deum *propter seipsum*, sive propter summam ejus bonitatem, non autem de amore quocumque, qui Deum respiciat sub alia ratione, qui caritatis proprie amor non sit. Atque equidem in hac quæstione plures, plurésque Theologi sunt, qui quemcumque veræ caritatis actum hominem justificare contendunt; sed plurimi sunt etiam, qui oppositum sustineant, quorum sententia dictis Sanctorum Patrum conformior, ac spectatis omnibus probabilior, ac fere certa mihi videtur; camque totis ulnis amplector.

X. Verum cum multa ad eam comprobandam possem afferre momenta, paucis, ne longior sim, contentus ero. Et primo quidem validissimum argumentum suppeditat Synodus Tridentina, quæ *sess.* 6. *cap.* 6. de dispositionibus agens requisitis ad justificationem impii, docet adultos justificari, *dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes, Deum sibi propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, ac detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.*

Hoc

Hoc in textu diserte distinguit Concilium, ac agnoscit dilectionem caritatis, quæ dispo- nit quidem, ~~sed~~ nondum pertingit ad iustificandum hominem. Loquitur enim de illo amore, quo peccator *incipit diligere* Deum *tamquam omnis justitiæ fontem*; qui plane alius non est præter caritatis amorem, qui præcedit justificationem, non autem eam confert: ac certe nemo dixerit, amorem hunc spei esse, non caritatis proprium. Nam de spe, in quam eriguntur, atque adeo de amore castæ concupiscentiæ, quo spes regitur, loquuta jam antea erat Sancta Synodus.

Concilii sensum legitimum aperte declarat ejusdem Concilii Catechismus, quem magna pollere authoritate nonnisi temerarius, & impudens negaverit. Hic autem *p. 2. de Pœnit. n. 4.* hæc habet gravissima verba: *Ut enim concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, & incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit?* Quo in loco agit de illa contritione, quæ statim peccatorem justificat absque Sacramento, quamvis non sine ejus voto. Ex quo evidenter sequitur, quod si contritio, adeoque caritas, a qua oritur, ad illum gradum non pertingat, quem Catechismus requirit, ut nempe sit *vehemens, acris, incensa &c.*, hominem non justificet ac proinde quod detur *caritas*, quæ justificationem non inferat.

XI. Omissis innumeris SS. Patrum ac præsertim Augustini testimoniis, quæ legi possunt apud Marinum *lib. 1. de Pœnit.*, Henric. a S. Ignat. *lib. 5. de Pœnit.*, Merbesium, aliosque, quorum nos quoque proferemus aliqua in Tract. *de Pœnit.*, unam tantum, vel alteram hic produco auctoritatem S. Thomæ, qui cæterorum Patrum sensum expressit. S. Doctor. *in 2. dist. 3. q. 3.* hæc habet fulgentissima verba: „ Actus caritatis potest di- „ ci dupliciter, vel qui est *ex caritate* (*ha-* „ *bituali* scilicet, seu *habitu caritatis*); & „ hoc non est nisi in habente caritatem: vel „ qui est *ad caritatem*, non sicut meritorius, „ vel generativus, sed *sicut præparativus*. Et „ hic actus caritatis ante habitam caritatem „ haberi potest; sicut facere justa ante ha- „ bitum justitiæ “.

Notentur, quæso, ejusmodi S. Doctoris verba, quæ plane decretoria mihi sunt. Duplicem distinguit caritatis actum: alium procedentem ab ipsa caritate procul dubio habituali: loquitur enim *de habente caritatem*; & hic actus non est, nisi in homine justo: alium, qui est *ad caritatem*, *non sicut meritorius*, aut *generativus* illius; sed *sicut præparativus*. Loquitur ergo de actu veræ caritatis, & non qui se ipso justificet, sed solum qui præparat, aut disponit ad justificationem; & *hic actus ante habitam caritatem* producitur, aut produci potest. Admittit proinde verum caritatis actum, quin habeatur caritas justificans: idque explicat exemplo, dum ait *Sicut facere justa ante habitum justitiæ*. Nemo unus negaverit, aut unquam negavit, quin homo injustus prodire aliquando valeat in aliquem actum *justitiæ*, quin tamen caussetur statim, aut inferatur *justitiæ habitus*, qui non producitur, nisi vel ex plurimorum actuum frequentia, vel ex aliquo quidem actu, sed qui adeo vehemens, ac intensus sit, ut pluribus æquipolleat. Quemadmodum igitur quis potest elicere actum justitiæ, quin caussetur justitiæ habitus; ita quoque peccator poterit elicere actum caritatis, quin inferatur habitus ejusdem, ac justificetur.

Hanc doctrinam confirmat Angelicus *dist. 28. q. 1. art. 3.*, ubi ait: *Sicut aliquorum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundum quod sunt a virtute, vel secundum quod antecedunt virtutem; ita etiam est de caritate. Potest enim aliquis etiam caritatem non habens diligere proximum, & Deum*; sive erumpere in aliquem caritatis vel Dei, vel proximi actum. Quo quid clarius dicere potuerit, ignoro plane. Legendus quoque est S

Doctor 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. & quaest. 79 art. 3. , & q. 80. art. 4. , ubi contritionem admittit sejunctam a remissione peccatorum ob suam insufficientiam , sive inventionis defectum , tametsi contritio juxta ipsum ex amore Dei , & quidem propter se dilecti procedere debeat . Legendus est etiam p. 2. circa finem , ubi agit de justificatione , aliisque in locis .

XII. Quum plures ad rem eamdem confirmandam a me possent proferri rationes , eam unice seligo , quæ facilior , magisque pervia mihi videtur : Nimirum ille amor caritas veri nominis dicendus est , qui respicit, ac tendit in proprium caritatis objectum ; scilicet bonitatem divinam propter se ipsam : ex hoc enim caritatis amor ab alio quolibet amore distinguitur . Porro contingere aliquando potest , immo haud raro , ipsa experientia teste , contingit , quod peccator , cum præsertim , divina gratia adjuvante , ad conversionem disponitur, summam, quæ in Deo est , bonitatem considerans , ad actum amoris erga ipsam eliciendum moveatur ; quin tamen adhuc deponat affectum dominantem erga creaturam : ex. gr. vel rem male acquisitam restituat , vel carnalem voluptatem , cujus amore nimium arcte tenetur , deserat &c. ; quod ad justificationem prorsus exigitur . Igitur verus quidem caritatis actualis amor in eo erit ; sed qui ad ipsum justificandum non sufficit : atque adeo caritas illa *justificante minor* existimanda est .

Id explicari amplius potest animadvertendo, satis non esse ad caritatem , quæ peccatorem justificet , ut objectum , vel motivum ipsius suapte natura perfectum, & excellentissimum sit : sed necesse ulterius est , quod eo voluntas perfecte moveatur , sicut movere potest , ac deberet . Cum enim justificatio necessario importet conversionem , seu motum voluntatis ab amore creaturæ prave dilectæ ad amorem Creatoris dilecti tamquam ultimi finis ; ejusmodi motus *recessus* , & *accessus* a caritate fieri nequaquam potest , nisi voluntatem perfecte , seu vehementer moveat , sibique subjiciat quemlibet alium amorem. Ex eo autem , quod motivum caritatis perfectum sit , sequitur quidem , quod potens sit ad voluntatem perfecte movendam ; at minime sequitur , quod illo voluntas semper perfecte moveatur : cum voluntas pro libertate sua quemadmodum potest non sinere se ab illius propositi motivi dignitate, aut perfectione ullatenus moveri ; ita sine e potest eo se moveri tum imperfecte, ac debiliter , tum perfecte , ac fortiter. Si igitur peccator sinat se motivo caritatis tantum imperfecte, ac debiliter moveri, vera quidem in eo caritas erit, cum idem formale objectum respiciat, quod respicitur ab alio sinente se perfecte moveri : neque tamen justificationem inducet , utpote non perfecte movens voluntatem peccatoris a creatura ad creatorem ut ultimum finem , sine qua justificatio non est .

XIII. Ex his , aliisque momentis exploratum mihi est, caritatem veri nominis admittendam esse a justificatione sejunctam : sed in hac quoque caritate *justificante minore* plures gradus concipio magis , minusque perfectos juxta varium movendi modum , quo divina bonitate voluntas affici potest , Imperfectissima est caritas illa , quæ nonnunquam se prodit in iis peccatoribus , qui affectum amoris complacentiæ erga Deum , divinasque perfectiones aliquando concipiunt , dum eas attente considerant : atque interim in luto peccatorum suorum hærent absque serio ullo proposito illinc eluctandi , quorum amor his verbis exprimitur : *Gaudeo plane Deum esse infinite bonum, ac perfectum : utinam totus Mundus ad Deum , ac fidem Christianam converteretur &c.* Minus imperfecta est caritas , qua potest, ac sæpe solet in Deum ferri , qui aut vehementi tentatione devictus , aut gravium tormentorum timore perculsus peccatum aliquod lethale committit . Quamquam enim cari-

caritas non prædominetur, retinere tamen folet affectum aliquem erga Deum propter fuam bonitatem, qui in aliis peccatoribus non eft. Tandem proximior caritati juftificanti caritas illa dici debet, qua peccatores moveantur in Deum, dum ad juftificationis gratiam obtinendam fe fe difponunt, ac juxta Tridentinum Concilium Deum *tamquam omnis juftitiæ fontem diligere incipiunt*; quæ propterea *caritas initialis* vocari confuevit.

XIV. Cum ergo adverfarii inquirunt, aut objiciunt: vel actus caritatis juftificantis, & juftificante minoris funt ejufdem rationis, vel diverfæ. Si ejufdem rationis, eumdem producent effectum: fi diverfæ, ad eamdem caritatis fpeciem haudquaquam pertinent. Refpondendum eft, illos effe ejufdem rationis, fi fpectetur fola fpecies caritatis; fiquidem idem formale objectum refpiciunt: non effe vero rationis ejufdem, fi fpectetur caritatis gradus. Caritas enim juftificans gradum attingit perfectiorem, ad quem non pervenit caritas minor juftificante. Unde tota diverfitas fe tenet ex parte gradus, five intenfionis caritatis magis, minufve perfectæ.

Cum etiam opponitur ex D. Thoma, *minimam caritatem* fufficere ad delendum peccatum, hoc intelligendum venit de caritate, habituali, five de habitu caritatis qui etiam in minimo gradu confiftere nequit cum lethali peccato. Caritas ergo habitualis, quæ femper fimul eft cum gratia fanctificante, quæcumque ea fit, haud pariter mortalis peccati confortium: fed actualis non expellit peccatum, nifi fit in gradu intenfo juxta difpofitionem contrariam cupiditatis five affectus peccaminofi magis, minufve dominantis in voluntate juxta fenfum Catechifmi Concilii Tridentini jam propofitum. Sed de hoc ftatim.

§. IV.

De caritate vere juftificante.

XV. Habes ergo veri nominis caritatem juftificante minorem. Verum & alia admittenda omnino eft, quæ vi fua, & efficacia, faltem juxta ordinem a Dei fapientia conftitutum, etiam ante Sacramenti five Baptifmi, five Pœnitentiæ fufceptionem, atque etiam extra cafum martirii, juftificat impium, adeoque peccata delet, folvitque a reatu damnationis æternæ. Hæc fententia tamquam certa ab omnibus tenenda eft, cum in Bulla S. Pii V. fequentes profcriptæ fuerint Bajanæ propofitiones.

N. 31. In Decreto: *Charitas perfecta, & fincera, quæ eft ex corde puro, & confcientia bona, & fide non ficta tam in cathecumenis, quam in Pœnitentibus, poteft effe fine remiffione peccatorum.*

N. 32. *Caritas illa, quæ eft plenitudo legis, non eft femper conjuncta cum remiffione peccatorum.*

N. 33. *Catechumenus jufte, recte, & fancte vivit, & mandata Dei obfervat, ac legem implet per caritatem ante obtentam remiffionem peccatorum, quæ in Baptifmi lavacro demum percipitur.*

N. 71. *Per contritionem etiam cum caritate perfecta, & cum voto etiam fufcipiendi Sacramenta conjunctam, non remittitur crimen extra cafum neceffitatis, aut Martyrii, fine actuali fufceptione Sacramenti.* Ex quibus conftat, contrariam doctrinam tenendam prorfus effe, atque admittendam caritatem vere juftificantem.

XVI. Quam merito profcripta fuerit oppofita affertio, ex multis colligitur Sacrarum Litterarum teftimoniis, quibus docemur nos per charitatem effici Deo dilectos, juftos, & immaculatos; transferri de morte ad vitam; peccata nobis remitti, jufque obtinere æter-

 næ

næ hæreditatis. Ex innumeris, quæ possent afferri, pauca sufficiant. Remissionem peccatorum caritati tribuit Christus Dominus apud *Luc. c. 7.*, ubi mulieri peccatrici peccata multa remitti testatur, *quoniam dilexit multum*. Apud Joan. *Epist. 1. cap. 3.* hæc leguntur: *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres.* Apud eumdem in Evangelio *cap. 14.* ita loquitur Divinus Magister: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; & ego diligam eum; & manifestabo ei meipsum.* Apostolus ad *Ephes. c. 1.* scribit: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate.* Et ad Coloss. *cap. 3.*: *Super omnia caritatem habete quod est vinculum perfectionis.* Demum Joannes rursus *Epist. 1. cap. 3.* admirabundus exclamat: *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Hæc, idque genus alia conciliari posse cum reatu peccati, æternæque damnationis, quis afferat?

His accedit Synodi Tridentinæ auctoritas, quæ *sess. 6. Can. 4.* definit primum, justificationem, seu translationem de morte ad vitam post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non posse. Tum vero *sess. 14. can. 4.* contritionem, *si caritate perfectam esse contingat, hominem Deo reconciliare prius, quam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu suscipiatur*; dummodo Sacramenti votum adjunctum habeat.

Hic obiter adverto, neminem jure posse ejusmodi sive Scripturæ, sive Concilii authoritates retorquere in sententiam §. superiore assertam; quod nulla facta distinctione perfectæ, aut imperfectæ caritatis absolute pronuncient caritate hominem justificari, filium Dei effici &c. Nam Scripturæ, quemadmodum & Sancti Patres, quando caritatem memorant, de illa loqui consueverunt, quæ divino nobis præcepto præscribitur, quam solam esse caritatem perfectam mox explicandam assumo.

XVII. Quænam igitur est caritas perfecta; sive ille caritatis gradus, qui requiritur, unaque sufficit, ut caritas perfecta dicatur, hominemque peccatorem justificet? Non alium ego definio, nec definiendus mihi videtur præter illum, qui definitus est ab ipsomet Deo, præscribiturque eo maximo in lege mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima, ex omnibus viribus tuis.* Judicio scilicet mentis Deus præ omnibus æstimandus, & appretiandus est, cum ipse sit summum bonum bonis ceteris longe, atque infinite perfectius, ac omnibus præferendum. Verum hoc solum satis nequaquam est. Diligere ulterius Deum ipsum oportet voluntatis affectu super omnia quæcumque bona, hoc est affectu, sive amore, qui reliquis quibusvis amoribus prædominetur, & in ipsum tamquam in ultimum finem nostrum nosmetipsos, omniaque alia referamus.

XVIII. Egregia plane sunt, quæ de re hac docet Angelicus Doctor 2. 2. *q. 44. a. 4.* Ait scilicet primo: *Deus est diligendus, sicut finis ultimus, ad quem omnia sunt referenda. Et ideo totalitas quædam fuit designanda circa præceptum de dilectione Dei.* Monet vero ad 2. *Dupliciter contingere ex toto corde Deum diligere: uno quidem modo in actu, idest ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur: & ista*, inquit, *est perfectio Patriæ.* Unde hæc *totalitas amoris in Deum* nobis viatoribus minime præcipitur. *Alio modo ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet, quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat: & hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale*, quo impeditur quidem caritatis usus, sed non alius a Deo finis super omnia dilectus præstituitur.

Verba divini præcepti pergit expendere S. Doctor *art. 5.* & ait: „ Considerandum est,

„ quod

„ quod dilectio est actus voluntatis, quæ „ hic significatur per *cor*. Nam sicut *cor* „ *corporale* est principium omnium corporalium motuum; ita etiam voluntas, & maxime quantum ad intentionem finis ultimi, qui est objectum caritatis, est principium omnium spiritualium motuum. „ Tria autem sunt principia actuum, quæ moventur a voluntate, scilicet *intellectus*, qui „ significatur per *mentem*: vis *appetitiva inferior*, quæ significatur per *animam*: & „ vis *executiva exterior*, quæ significatur per „ *fortitudinem*, seu *virtutem*, sive *vires*. Præcipitur ergo nobis, ut *tota nostra intentio* „ feratur in Deum; quod est *ex toto corde*: „ & quod *intellectus* noster subdatur Deo; quod „ est *ex tota mente*: & quod *appetitus* noster „ reguletur secundum Deum; quod est *ex tota anima*: & quod *exterior actus* noster obediat Deo; quod est *ex tota fortitudine*, „ vel *virtute*, vel *viribus* Deum diligere ".

XIX. Hæc est caritas illa *perfecta*, etiamsi consideretur quoad actum, quam *justificantem* appellamus, & de qua plerumque mentionem faciunt Sacræ Literæ, Sanctique Patres. Sed in hac quoque caritate plures gradus magis, minusque perfectos distinguere possumus, ac reapse distinguit S. idem Doctor *q.* 184. *art.* 2. cujus hæc sunt aurea verba: „ Perfectio vitæ Christianæ in caritate consistit. Importat autem perfectio quamdam universalitatem, quia perfectus est, „ cui nihil deest. Potest ergo *triplex perfectio* „ considerari. Una quidem absoluta, quæ attenditur non solum secundum totalitatem „ ex parte diligentis, sed etiam ex parte diligibilis, prout scilicet Deus *tantum diligitur, quantum diligibilis est*: & talis perfectio non est possibilis alicui Creaturæ, sed „ competit soli Deo, in quo bonum integraliter, & essentialiter invenitur. Alia „ autem est perfectio, quæ attenditur secundum totalitatem absolutam ex parte diligentis; prout scilicet affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit „ in Deum: & talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria. Tertia „ autem est perfectio, quæ neque attenditur „ secundum totalitatem ex parte diligibilis, „ neque secundum totalitatem ex parte diligentis quantum ad hoc, quod semper actu „ feratur in Deum; sed quantum ad hoc, „ quod excludantur ea, quæ repugnant motui dilectionis in Deum ..... Et talis perfectio potest in hac vita haberi. Et hoc dupliciter. Uno modo in quantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod „ contrariatur caritati, sicut est peccatum „ mortale. Et sine tali perfectione caritas „ esse non potest: unde est de necessitate „ salutis. Alio modo in quantum ab affectu „ hominis excluditur non solum illud, quod „ est caritati contrarium; sed etiam omne „ illud, quod impedit, ne affectus mentis „ totaliter dirigatur ad Deum: sine qua perfectione caritas esse potest, puta in incipientibus, & proficientibus ".

Plures itaque sunt hujusce caritatis justificantis gradus, nempe infimus, medius, & supremus. *Infimus*, ait idem S. Doctor eadem quæst. 184. art. 3. ad 2. *divinæ dilectionis gradus est, ut nihil supra Deum, aut contra Deum, aut æqualiter Deo diligatur*: *a quo gradu perfectionis, qui deficit, nullo modo implet præceptum*. Quibus verbis duo insinuat S. Præceptor admodum observanda; primo scilicet posse aliquem desistere ab eo gradu perfectionis caritatis, amando Deum non ita perfecte, quod sufficiat ad præceptum caritatis implendum, & justificationem obtinendam; adeoque, eodem S. Thoma judice, habetur caritas *minor justificante*, non implens dilectionis Dei præceptum: Alterum; enim, qui ad eum gradum jam expositum caritatis pertingit, adimplere præceptum, ejusdem: qui autem præceptum ejusmodi adimplet, dubio procul justus est.

Supremus autem caritatis *gradus* creaturæ possi-

possibilis tunc est, cum creatura secundum omnem potestatem suam semper actualiter tendit in Deum: quæ perfectio solum erit in patria. Reliqui omnes gradus *medii* sunt; eoque magis, minusque perfecti, quo magis, minusque accedunt ad *supremum*, & recedunt ab *infimo*.

Hæc discutere, atque explicare placuit paulo fusius fortasse, quam Morales Theologi soleant; sed in re tam magni momenti, ac scitu dignissima, ac necessaria nemini nimia, aut superflua videri debent.

§. V.

Intimæ dotes, quæ caritatem justificantem consequuntur.

XX. Hæc igitur hactenus exposita caritas illa perfecta est, quam Deus a nobis exigit, quæ præceptum dilectionis implet, quæ nomine caritatis venit plerumque tum in Scripturis, tum in Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque Theologis; quæ demum justificat hominem, præstatque per semetipsam dotes illas omnes, quæ in ipsa justificatione comprehenduntur. Præstat namque in primis justitiam Dei, quæ est intima cordis, & affectuum erga Deum ipsum, & proximos rectitudo, adeo ut per eam diligamus Deum supremum bonum tamquam ultimum finem, omnia nostra Deo subjiciendo, quævе reliqua amantur, in Deum ipsum referendo; & proximum sicut nos ipsos.

Præstat secundo remissionem peccati; mentem nostram peccato a Deo aversam ad ipsum convertit; peccati maculam delet; affectum ad peccatum dominantem tollit, revocat, expungit, ordinemque peccato perturbatum instaurat.

Præstat tertio filiationem Dei adoptivam, quam caritate nos consequi multa evincunt Scripturarum oracula. Pater siquidem, timorem servis, amorem filiis convenire. Justi porro homines *servi Dei* sunt, quatenus spiritum timoris accipiunt, quo timent Deum tamquam Dominum: sed accipiunt etiam spiritum caritatis, quo *filii Dei effecti* clamant: *Abba, Pater*. Deinde similitudinem Patris exprimunt *filii*. Similes autem Deo cum non possimus esse in natura, superest ut hæc similitudo fit in rectitudine, in moribus, in virtutibus, atque etiam quadantenus in ipsa natura per gratiam sanctificantem, quæ est naturæ divinæ participatio, & quæ a caritate causatur. *Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*.

XXI. Verum nobilissimum etiam alium effectum caritas præstat, de quo 1. *art.* quæstionis *de caritate* sermonem habet S. Thomas; nimirum *amicitiam* cum ipsomet Deo. Quam quidem dotem præclarissimam competere caritati, nemo Theologorum unus absolute negat, aut negare potest, cum illam ipsi expresse adjudicent Sacræ Litteræ non uno in loco. *Sapientiæ* namque *cap.* 4. dicitur de illa Sapientia, quæ absque caritate non est: *infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*. Joan. quoque *cap.* 15. Christus Dominus ait: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis .... Jam non dicam vos servos, sed amicos*. Atque etiam plures Sancti viri in iisdem Scripturis *amici Dei* appellantur non ob aliam plane rationem, nisi ob caritatem.

Missis, quæ de hac insigni dote caritati conveniente fieri a Theologis solent, controversiis, satis mihi est textum afferre S. Doctoris, qui loco citato legitur, ubi ita scribit: „ Non quilibet amor habet rationem „ amicitiæ; sed amor, qui est *cum benevolentia*: quando scilicet sic amamus aliquem, „ ut ei bonum velimus. Si autem rebus a„ matis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus, sicut dicimur „ amare vinum, aut equum, aut aliquid „ hujusmodi; non est amor *amicitiæ*, sed „ cujusdam *concupiscentiæ* &c..... Sed nec *be-*

„ *ne-*

„ *nevolentia* sufficit ad rationem amicitiæ ; „ sed requiritur quædam *mutua amatio* : quia „ amicus est amico amicus . Talis enim *mutua benevolentia* fundatur super aliqua communicatione . Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum , secundum „ quod nobis suam beatitudinem communicat super hanc communicationem oportet „ aliquam amicitiam fundari . De qua quidem communicatione dicitur 1. ad Corinth. „ 1. *Fidelis Deus , per quem vocati estis in societatem filii ejus* . Amor autem super hanc „ communicationem fundatus est charitas . „ Unde manifestum est , quod charitas amicitia quædam est hominis ad Deum „ .

CAPUT III.

Consectaria Doctrinæ duorum præcedentium capitum .

I. *Falsa , fideique non consentiens æstimanda est sententia Petri Lombardi , caritatem esse ipsum Spiritum Sanctum inhabitantem in nobis* .

II. *Quum Deus in Scriptura caritas vocatur , de illa loquitur caritate , qua Deus nos diligit ; non de illa , qua nos diligentes efficit* ,

III. *Cæteræ virtutes completæ , ac perfectæ non sunt absque caritate* .

IV. *Fides per dilectionem operatur in sensu tum passivo , tum activo* .

V. *Per beneficia , quæ a Deo recipimus , disponimur quidem ad amandum Deum , sed nondum amore caritatis Deum diligimus.*

VI. *Amor caritatis non est amor beatitudinis generatim considerat[æ]* .

VII. *Neque amor ille est , quem Deus inspirat ad usum rationis pervenientibus* .

VIII. *Amor* caritatis *differt ab amore* concupiscentiæ *etiam* castæ . *Uterque amor a S. Thoma declaratus* .

IX. *Amore Deum amore caritatis minime possumus , quin amemus secundum omnes perfectiones suas* .

X. *Non est amor Dei imperfectus ex eo , quod ipsum amemus ut summum bonum nostrum* .

XI. *Quomodo Deus diligatur ut finis ultimus , ac supremus* .

XII. *In peccatore nondum Deum perfecto amore diligente est aliquid , quod Deo placet , & aliquid etiam quod Deo displicet*,

XIII. *Juxta varios caritatis gradus distinguere oportet etiam gradus vitæ spiritualis* .

XIV. *Tres etiam status justorum distinguntur penes tres gradus caritatis justificantis* .

XV. *Pulchra animadversio S. Thomæ circa status* incipientium , proficientium , *&* perfectorum .

XVI. *Amor caritatis , ut amicitia cum Deo est , respicit proximum etiam inimicum* . *Reflexio* .

Consectarium Primum .

I. TAmquam falsa , & plane singularis , fideique non consentiens æstimanda est sententia Magistri Sententiarum , sive Petri Lombardi , quam ita proponit S. Thomas *q. 23. art. 2.* nimirum , *quod caritas non sit aliquid creatum in anima , sed sit ipse Spiritus Sanctus mentem inhabitans* . „ Non quod ejus „ (subdit) intentio fuerit , quod iste motus „ dilectionis , quo Deum diligimus , sit ipse „ Spiritus Sanctus ; sed quod iste motus di„ lectionis est a Spiritu Sancto , non medi„ ante aliquo habitu , sicut a Spiritu Sancto „ sunt alii actus virtuosi , mediantibus habi„ tibus aliarum virtutum , puta habitu fidei, „ aut spei , aut alterius virtutis . Et hoc di„ cebat propter excellentiam caritatis ". Hanc sententiam late refellit ibidem S. Doctor illam sub omni aspectu considerans ; ac deinde concludit : *Unde maxime necesse est , quod ad actum caritatis in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiæ naturali . inclinans ipsam ad caritatis actum , & faciens* eum

eam prompte , & delectabiliter operari .

CONSECTARIUM SECUNDUM

II. Quum apud S. Joan. *Epist.* 1. *cap.* 4. dicitur : *Deus caritas est ; & qui manet in caritate , in Deo manet* &c. non loquitur de caritate , quæ nos diligentes formaliter constituit , sed de illa , qua Deus nos diligit ; eo nempe sensu , quod Deus proprie , & essentialiter *caritas* sit , scilicet increata , sicut propriæ , & essentialiter est omnipotentia , sapientia , bonitas . Caritas igitur in se est , & etiam efficienter respectu nostri : quia caritatem diffundit in cordibus nostris . At vero cum Deus in cordibus nostris caritatem infundit , nobis etiam se communicat caritas increata , Deus videlicet , & Spiritus Sanctus juxta illud : *Ad eum veniemus , & mansionem apud eum faciemus* . Unde verum est, quod qui *manet in caritate* diffusa , manet etiam in caritate increata , quæ Deus est ; adeoque *in Deo manet , & Deus in eo* , sicut ab ipso dilectus .

CONSECTARIUM TERTIUM

III. Quamquam cæteræ quæcumque virtutes consistere utcumque valeant sine caritate, puta justitia , fortitudo , temperantia ; & proptiam obtinere virtutis rationem ,ut contra Lutherum , Calvinum , aliosque tenere debemus ; nulla tamen absque caritate virtus potest esse vera , completa , atque perfecta : quia caritas sola est quæ respicit ultimum finem , ad quem referendæ sunt omnes virtutes ; & ad illum movet omnes , & ordinat , ac veluti in una connectit dilectionis perfectione . *Virtus vera simpliciter* , inquit S. Thomas hic quæst. 23. art. 7. *est illa , quæ ordinat ad principale bonum hominis &c. Et sic nulla vera virtus potest esse sine caritate* . Et in resp. ad 2. *Cum finis se habeat in agibilibus , sicut principium in speculabilibus , sicut non potest esse simpliciter vera scientia , si desit recta æstimatio de primo & indemonstrabili principio : ita non potest esse simpliciter vera justitia , aut vera castitas , si desit ordinatio debita ad finem , quæ est per caritatem , quantumcumque aliquis se recte circa alia habeat* .

CONSECTARIUM QUARTUM

IV. Dum Apostolus asserit , *fidem per dilectionem operari* , ita hæc verba accipienda sunt , ut adnotat D. Thomas art. 6. ad 1. *quod fides non operatur per dilectionem , sicut per instrumentum , ut dominus per servum ; sed sicut per formam propriam* . Hoc est fides operatur per dilectionem primo *in sensu passivo* : agitur enim , informatur , perficiturque caritate ; secundo *in sensu activo* : quia fides , dum habet adjunctam caritatem , se ipsam, & reliquas virtutes refert , & ordinat in ultimum finem . Uterque sensus majorem caritatis , quam fidei perfectionem , & excellentiam exprimit .

CONSECTARIUM QUINTUM .

V. Per beneficia , quæ nobis a divina bonitate conferuntur , disponimur quidem ad Deum amandum , & propter illa incipimus etiam amare Deum . At si non ultra progredimur , ut Deum amemus propter ejus bonitatem , nondum amamus Deum amore caritatis : sicut non propter beneficia amamus aliquem amore *amicitiæ* , sed tunc solum quando amamus amicum propter ejus virtutem . Hinc consideratio beneficiorum , quæ a Deo recepimus , quemadmodum , & pœnarum , quas per ipsum vitamus , sunt meræ dispositiones ad caritatem , sed non ipsa caritas . *Deus* , inquit S. Thomas loco jam laudato , *potest diligi propter aliud* ; hoc sensu , *quia scilicet ex aliquibus aliis disponitur ad hoc , quod in Dei dilectione proficiamus ; puta per beneficia a Deo suscepta , vel per præmia sperata , vel etiam per pœnas , quas per ipsum*

ipsum vitare intendimus. Verum si in hisce sistimus, non pertingimus ad caritatem. De hoc etiam infra aliquid dicemus, ut discrimen amoris concupiscentiæ ab amore caritatis innotescat.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Amor caritatis differt ab amore beatitudinis, sive boni generatim sumpti. Observat enim S. Thomas 1. 2. *q.* 5. *art.* 8., veram beatitudinis rationem non in alio reperiri, quam in Deo, nec a Deo vero distinctam esse. Nihilominus quod est idem *secundum rem*, esse potest diversum *secundum intellectus considerationem*. Hinc fieri, ut intellectus communem rationem beatitudinis consideret, eamque cogitatione discernat a beatitudine secundum specialem rationem quantum ad id, in quo beatitudo consistit, scilicet Deo: ac etiam ut voluntas, quæ sequitur apprehensionem intellectus, vel rationis, amet beatitudinem primo modo acceptam, velut ab eadem altero modo sumpta distinctam. Hic ergo amor *non est caritatis*: sed ista posita est in dilectione beatitudinis, quæ Deus est.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Sed neque *caritas* est amor ille Dei, quem docuimus inspirari a Deo hominibus ad usum rationis pervenientibus, tametsi nihil de fide audierint, sub idea præmii excedentis, præmii sublimis, lucis amabilis, super mentem creatam coruscantis. *Caritas*, inquam, non est hujusmodi amor: quia prædicto amore diligendi ratio est bonitas satis abstracta, & a Deo per cogitationem quodammodo discreta. Vera autem caritas movetur, & excitatur bonitate summa, quam fides ostendit. Unde amor ille potius embrio quidam caritatis, quam proprie caritas dici debet.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Demum caritas differt ab amore Dei erga nos benevoli, & benefici, quo regitur spes, & qui *amor concupiscentiæ* appellatur. Utriusque discrimen declarat S. Thomas *in Disput. q. de spe art.* 3. his verbis: *Est autem duplex amor: unus quidem imperfectus, alius autem perfectus. Imperfectus quidem amor alicujus rei est, quando aliquis rem amat, non ut ei bonum in seipsa velit, sed ut bonum illius sibi velit .... Alius autem est amor perfectus, quo bonum alicujus in seipso diligitur; sicut cum amando aliquem, volo, quod bonum ipse habeat, etiamsi nihil inde mihi accidat. Caritas autem non est quicumque amor sed amor perfectus, quo Deus in seipso diligitur.* Nempe primo amore causa diligendi est bonitas divina benefica nobis: sed ratio diligendi Deum amore caritatis est ipsa Dei bonitas in se accepta, infinita, increata, independens, omnium maxima, perfectionum omnium plenitudo. Primo amore, ut supra diximus, nos incipimus diligere Deum *imperfecte*; eoque disponimur ad perfectum amorem, nempe caritatem: quia ex consideratione beneficiorum Dei discimus, quam dulcis, quam bonus sit Deus in seipso; & hac summa ejus bonitate movemur ad ipsum caritate diligendum: quæ Dei caritas diffusa in corde nostro *primario* diligit Deum *quia bonus est*; diligit etiam *secundario*, quia benevolus, & beneficus nobis est: utrumque sancto quodam, & casto circuitu refert omnem Dei beneficentiam in ejus bonitatem, quæ in se summa, & infinita est.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Amare Deum minime possumus vero caritatis amore sub aliquo respectu, quin amemus sub omnibus aliis, quibus infinite perfectus est. Equidem mente distinguere fas est perfectiones, *quæ* in Deo sunt, & in ali-

aliqua earum defigere cogitationem nostram. Sed caritas eas non sejungit, omnesque simul complectitur. Qui Deum amat ut summum bonum, amat ipsum ut infinite perfectum; adeoque Deum amat secundum suas omnes infinitas perfectiones: ipsum amat ut *veritatem increatam*, ut *caritatem essentialem*, ut *justitiam supremam*, ut *sanctitatem omni macula carentem* &c. Utile tamen valde est ad accendendum in corde nostro caritatis ignem, mentem applicare ad cujusque attributorum Dei considerationem: neque enim quodpiam est, quod peculiares amandi rationes nobis non exhibeat.

Consectarium Decimum.

X. Nemo sibi persuadeat, diligere Deum ut *summum bonum nostrum* esse ipsum amare amore imperfecto, &, ut ajunt, *interessato*. Hoc quidem verum esset, si Deum diligeremus ob aliquod bonum ab ipso Deo distinctum, sicut illum amabat carnalis Judæus propter temporalia bona, quæ sola objectum erant desideriorum suorum, & quæ a solo Deo conferenda expectabat, eique propterea serviebat. Sed dum amamus Deum ut unicum bonum nostrum, quod desideramus, eum diligimus legitimo amore, atque sanctissimo: quoniam reapse ipse bonum nostrum est; ipse propter se nos creavit; & ipse vult esse felicitas nostra. Hinc in præcepto divinæ dilectionis Deus ipse hoc expressit, dum ait: *Diliges Dominum Deum tuum*, ut notavimus. Quare rejicienda est Pseudomysticorum opinatio, qui puritatem dilectionis secludunt ab omni ad nos ipsos respectu.

Consectarium Undecimum.

XI. Diligitur Deus *ut ultimus finis* relate ad alios fines particulares, & proximos, quos sibi quispiam præstituere valet, sed in quibus sistere minime debet, cum omnes subordinentur oporteat, ac referantur in finem ultimum, atque supremum. Quod exemplo artificis vitam suam in labore transigentis explicari potest. Prior *proximus* finis, cur laboret, est, ut opera sua pecuniam lucretur: alter, ut mediante pecunia sibi ad vitam necessaria comparet. Sed hic consistere non debet: sed duplicem finem hunc ad ultimum finem Deum referat necesse est. Si intentionem suam non dirigat nisi ad victum, & vestitum, aliave temporalia commoda comparanda; hæc sunt ultimus ejus finis, aut potius ipse est ultimus finis sui ipsius: quia ad se laborem, & pecuniam, & commoda temporalia refert, non vero ad Deum. Sed si ea sibi procuret, ut divinæ ordinationi obsequatur, & ut vitam conservet, atque valetudinem, cujus curam habere tenetur, ut eam impendat in Dei servitio, tunc perspicuum est, finem ultimum laboris sui, suæque vitæ esse Deum.

Consectarium Duodecimum.

XII. Quoniam, ut late probavimus, admittenda caritas est justificante minor, seu quæ ad illum gradum perfectionis non pertingit, quæ præceptum adimpleat a Deo impositum, hominemque justificet; consequens est, in Catechumeno, vel Pœnitente, qui Deum adhuc perfecte non diligit, sed tamen *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipit*, aliquid esse, quod Deo placeat, & aliquid etiam, quod Deo adhuc displiceat. Deo quidem placet exordium conversionis, & sancti amoris initium, sicut placet timor, fides, spes, quæ dona Dei sunt, quibusque ad conversionem disponitur. Displicet vero peccatum, quod est ab homine; adeoque & homo ipse peccati labe inquinatus, ac proinde æternæ pœnæ reatu obligatus, donec macula, & reatus vel caritate perfecta, & Sacramenti in voto suscepti efficacia, vel ipsius Sacramenti actuali su-

fusceptione expungatur. Id perduelli exemplo explicari utcumque potest, quem etsi admissi criminis pœniteat, quod certe nonnisi Principi placere potest, reus tamen manet debitæ pœnæ, donec benignitate, & indulgentia Principis absolvatur.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Juxta varios gradus caritatis varii sunt etiam distinguendi gradus spiritualis vitæ. Habet hæc exordium suum, progressum, & perfectionem; qui gradus ab ipsis gradibus justitiæ oriuntur, & caritatis justitiam causantis juxta vulgatum illud S. Augustini: *Inchoata caritas inchoata justitia est: provecta caritas provecta justitia est: perfecta caritas perfecta justitia est*. Unde juxta varios justitiæ, & caritatis gradus spiritualis animæ vita metienda est. Cæterum si presse, ac cum rigore loqui velimus, ille solum spiritualiter vivit, sive incipiat, sive progrediatur in caritate, & justitia, qui illum gradum attingit, qui requiritur, ut justificatio induatur, atque adeo gratia sanctificans, & habitus caritatis: qui autem Deum actualiter ex caritate diligit, sed imperfecte, disponitur quidem ad vitam, sed adhuc vita spirituali caret.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Possunt etiam juxta varios caritatis justificantis gradus distingui tres justorum hominum status; nempe *incipientium*, *proficientium*, & *perfectorum*. Hoc luculentissime declarat S. Thomas hic *q. 24. art. 9.* Inita namque comparatione inter varios gradus vitæ corporalis, sic ait de homine justo, seu caritatem habente: " Ita etiam diversi gra„ dus caritatis distinguuntur secundum diver„ sa studia, ad quæ homo perducitur per „ caritatis augmentum. Nam primo quidem „ incumbit homini [justificato] studium „ principale ad recedendum a peccato [sive „ ab occasionibus, & periculis peccandi], „ & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in „ contrarium caritatis movent. Et hoc per„ tinet ad *incipientes*, in quibus caritas est „ nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. „ *Secundum* autem studium succedit, ut ho„ mo principaliter intendat ad hoc, quod „ *in bono proficiat*. Et hoc studium pertinet „ ad *proficientes*, qui ad hoc principaliter in„ tendunt, ut in eis per augmentum robo„ retur. *Tertium* autem studium est, ut ho„ mo ad hoc principaliter intendat, ut Deo „ inhæreat, & eo fruatur. Et hoc pertinet „ ad *perfectos*, qui cupiunt *dissolvi, & esse* „ *cum Christo*. Sicut etiam videmus in motu „ corporali, quod *primum* est recessus a ter„ mino; *secundum* autem est appropinqua„ tio ad alium terminum; *tertium* est quies „ in termino.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Perpulchræ sunt, & observatione dignæ animadversiones, quas habet S. Doctor *ibid. in resp. ad 2. & 3. argumentum*; maximeque deserviunt ad rectam intelligentiam status *proficientium*, & *perfectorum*, de quibus mentio sæpe fit in libris asceticis. Sibi objecerat primo loco, *caritatem*, *cum incipit esse*, *etiam incipere proficere*, adeoque non debere distingui caritatem *proficientem a caritate incipiente*. Deinde altero loco: *Quantumcumque aliquis habeat in hoc mundo caritatem perfectam, posse caritatem ejus augeri*, adeoque ipsam semper proficere. Unde caritas *perfecta* distinguenda non est a caritate *proficiente*.

Ad utrumque ergo appositissime respondet. Et ad primum quidem: " Quod illis in „ quibus caritas incipit, quamvis proficiant, „ *principaliter* tamen *cura* imminet, ut *resistant peccatis*, quorum impugnatione in-

 quie-

„ quietantur . Sed postea hanc impugnatio-
„ nem minus sentientes , jam quasi securius
„ intendunt ad perfectum , ex una tamen
„ parte facientes opus , & ex alia parte ha-
„ bentes manum ad gladium , ut dicitur in
„ Esdra de ædificatoribus Jerusalem .

Ad aliud vero : " Dicendum [ait], quod
„ *perfecti* etiam in caritate proficiunt : sed
„ non est ad hoc principalis eorum cura, sed
„ jam eorum studium circa hoc maxime
„ versatur , ut Deo inhæreant . Et quamvis
„ hoc etiam quærant & incipientes , & pro-
„ ficientes : tamen magis sentiunt circa alia
„ suam solicitudinem , *incipientes* quidem de
„ vitatione peccatorum , *proficientes* vero de
„ profectu virtutum .

Consectarium Decimumsextum .

XVI. Ex notione *amicitiæ* , quam diximus caritati proprie convenire , sequitur , quod cum objectum primarium illius sit Deus , & justus caritate præditus , amor idem amicitiæ sit, aut esse queat inter nos , & proximum , qui est secundarium caritatis objectum , & ipsos etiam inimicos nostros . Hoc præclare explicat S. Thomas hic *quæst.* 23. *art.* 1. *ad* 2. ita docens : Amicitia se exten-
„ dit ad aliquem *dupliciter* . Uno modo re-
„ spectu sui ipsius : & sic amicitia nunquam
„ est, nisi ad amicum ipsius . Alio modo se
„ extendit ad aliquem respectu alterius per-
„ sonæ , sicut si aliquis habet amicitiam ad
„ aliquem hominem , ratione ejus diligit
„ omnes ad eum hominem pertinentes , sive
„ filios , sive servos , sive qualitercumque ei
„ attinentes . Et tanta potest esse dilectio
„ amici , quod propter amicum amentur hi,
„ qui ad ipsum pertinent, etiamsi nos offen-
„ dant , vel odiant . Et hoc modo amicitia
„ caritatis se extendit *etiam ad inimicos* ,
„ quos diligimus ex caritate in ordine ad
„ Deum , ad quem principaliter habetur ami-
„ citia caritatis .

REFLEXIO.

Quum multa Apostolus Paulus scribens ad Corinthios dixisset de sublimibus donis , atque charismatibus , quibus Ecclesiam Sponsam suam Spiritus Sanctus exornat ; multa etiam dicturus esset de dono omnium maximo , scilicet *de caritate* , adhortans illos , ut charismata meliora æmularentur ; præmisit dicens : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* , caritatem designans , de qua statim sermonem habet . Excellentior plane via , omniumque , quibus ad Deum tendimus , excellentissima virtutum caritas est . Unde haud satis habuit S. Apostolus eam subinde præferre cæteris quibuscumque virtutibus, quæ mores nostros regunt , eosque rectos efficiunt , atque sanctissimos ; eamdem quoque prætulit virtutibus , quibus Deum ipsum primariam morum regulam immediate attingimus , inquiens : *Nunc autem manent fides , spes , caritas : tria hæc : major autem horum est caritas* . Perpendit hanc divinam Apostoli sententiam Magnus Pater S. Augustinus in Enchiridio ; atque ita in laudem caritatis se se effundit .

„ Jam porro *caritas* . quam duabus istis ,
„ idest fide , ac spe majorem dixit Aposto-
„ lus , quanto in quocumque major est, tan-
„ to melior est , in quo est (nempe illud
„ est charisma melius , quod nos *æmulari* A-
„ postolus ipse volebat) . Cum enim quæri-
„ tur , utrum quisque sit homo *bonus* , non
„ quæritur , quid credat , aut speret , sed
„ *quid amet* . Nam qui recte amat , pro-
„ cul dubio recte credit , & sperat : qui vero
„ non amat , inaniter credit , etiamsi sint
„ vera , quæ credit ; inaniter sperat , etiamsi
„ ad veram felicitatem doceantur pertinere ,
„ quæ sperat ; nisi & hoc credat , ac speret ,
„ quod sibi petenti donari possit , ut amet .
„ Quamvis enim sperare sine amore non

possit

„ poſſit, fieri tamen poteſt, ut id non a-
„ met, ſine quo ad id, quod ſperat, non
„ poteſt pervenire. Tamquam ſi ſperet vi-
„ tam æternam [quam quis non amat:]
„ & non amet juſtitiam, ſine qua nemo
„ ad illam pervenit.

Magnum itaque bonum caritas eſt, bonum omnium præſtantiſſimum, bonum utilliſſimum, bonorum omnium maximum bonum. " Quid pretioſius? (exclamat S. idem
„ Doctor ſerm. 138.) quid luminoſius? quid
„ firmius? quid utilius? quid ſecurius? Mul-
„ ta ſunt Dei dona, quæ tamen habent &
„ mali, qui dicturi ſunt: *Domine, in no-*
„ *mine tuo prophetavimus, in nomine tuo Dæ-*
„ *monia ejecimus: in nomine tuo virtutes mul-*
„ *tas fecimus*. Nec reſpondebit ille: *Non*
„ *fecitis*. Non enim in conſpectu tanti Ju-
„ dicis mentiri audebunt, aut jactare quæ
„ non fecerunt. Sed quia *caritatem* non ha-
„ buerunt, reſpondebit omnibus illis: *Non*
„ *novi vos*.

Audiat igitur quilibet Chriſtianus, atque animo altius infigat ſalutare monitum, atque præclariſſimum præconium, quod omnibus commendat idem Auguſtinus *ſerm.* 350.
„ Quapropter, fratres, ſectamini caritatem,
„ dulce ac ſalubre vinculum mentium, ſine
„ qua dives pauper eſt, & cum qua pauper
„ dives eſt. Hæc in adverſitatibus tole-
„ rat, in proſperitatibus temperat, in du-
„ ris paſſionibus fortis, in bonis ope-
„ ribus hilaris, in tentatione tutiſſima,
„ in hoſpitalitate latiſſima, inter veros fra-
„ tres lætiſſima, inter falſos patientiſſima, in
„ Abel per Sacrificium grata, in Noe per
„ Diluvium ſecura, in Abrahæ peregrinatio-
„ nibus fideliſſima, in Moyſe inter injurias
„ leniſſima, in David tribulationibus man-
„ ſueta; in tribus pueris blandos ignes in-
„ nocenter expectat, in Machabæis ſævos
„ ignes fortiter tolerat: caſta in Suſanna
„ erga virum, in Anna poſt virum, in Ma-
„ ria præter virum: libera in Paulo ad ar-
„ guendum, humilis in Petro ad obedien-
„ dum; humana in Chriſtianis ad confiten-
„ dum, divina in Chriſto ad ignoſcendum.
„ Sed quid ego de caritate majus, aut ube-
„ rius poſſum dicere, quam quod per os A-
„ poſtoli laudes ejus intonat Dominus ſupe-
„ reminentem viam demonſtrantis, atque
„ dicentis: *Si linguis hominum loquar, & An-*
„ *gelorum, caritatem autem non habeam, fa-*
„ *ctus ſum æramentum ſonans, aut cymbalum*
„ *tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & ſcie-*
„ *ro omnia ſacramenta, & omnem ſcientiam;*
„ *& ſi habuero omnem fidem, ita ut montes*
„ *transferam; caritatem autem non habeam,*
„ *nihil ſum. Et ſi donavero omnes facultates*
„ *meas, & ſi diſtribuero omnia mea pauperi-*
„ *bus, & ſi tradidero corpus meum, ut ar-*
„ *deam; caritatem autem non habeam, nihil*
„ *mihi prodeſt. Caritas magnanima eſt, cari-*
„ *tas benigna eſt, caritas non æmulatur, non*
„ *agit perperam, non inflatur, non dehoneſta-*
„ *tur; non quærit, quæ ſua ſunt, non irrita-*
„ *tur, non cogitat malum, non gaudet ſuper*
„ *iniquitate, congaudet autem veritati: om-*
„ *nia ocret, omnia credit, omnia ſperat,*
„ *omnia ſuffert; caritas nunquam cadit*.

Poſt quæ ſic idem exclamat: " Quanta eſt
„ iſta caritas: Anima litterarum, Prophetiæ
„ virtus, Sacramentorum ſalus, ſcientiæ fo-
„ lidamentum, fidei fructus, divitiæ paupe-
„ rum, vita morientium . . . . . Sola eſt,
„ quam felicitas aliena non premit; quia
„ non æmulatur. Sola eſt, quam felicitas
„ ſua non extollit; quia non inflatur. Sola
„ eſt, quam conſcientia mala non pungit;
„ quia non agit perperam. Inter opprobria
„ ſecura eſt; inter odia benefica eſt; inter
„ iras placida eſt; inter inſidias innocens,
„ inter iniquitates gemens, in veritate reſpi-
„ rans. Quid illa fortius, non ad retri-
„ buendas, ſed ad non curandas injurias?

Quid

„ Quid illa fidelius, non vanitati, sed æternitati. Nam ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita: & suffert omnia, quæ hic immittuntur, quia sperat omnia, quæ ibi promittuntur". Quid ergo reliquum est, nisi ut clamem ego cum eodem Augustino, ut clament omnes mecum: O divina caritas! *o amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris*; accende me flammis tuis, ut semper amem te, Deus meus: semper amore tuo ferveam, semper igne tuo incendar, atque consummer in hac mortali vita, dignusque efficiar, ut te perpetuo diligam, tuoque amore semper ardeam in immortali beatissima vita.

CAPUT IV.

De Caritatis incremento, decremento, & interitu.

I. *Caritatem in hac vita semper augeri posse, veluti fi le certum tenendum est.*

II. *Fidei veritas S. Thomæ doctrina illustratur.*

III. *Modus ex eodem, quo caritas augetur in subjecto.*

IV. *Non augetur tamen quolibet caritatis actu.*

V. *Ad media caritatis augendæ authoritas Concilii Tridentini præmittitur.*

VI. *Primum medium augendæ caritatis*: Perfectior cognitio bonitatis divinæ.

VII. *Medium alterum*: Major puritas amoris.

VIII. Frequens caritatis exercitium: *tertium ipsam adaugendi medium.*

IX. *Ejusmodi caritatis actuum exempla.*

X. *Quartum caritatis augendæ medium*: Virtutum particularium studium.

XI. *Quintum ac postremum augendæ caritatis medium*: Diminutio cupiditatis.

XII. *Ad hæc tamen adhibenda media divina semper gratia opus est.*

XIII. *Nulla causa est, unde caritas directe minuatur, licet indirecte minui dici queat. Præclara S. Thomæ doctrina.*

XIV. *Causa corruptionis, sive interitus caritatis est solum peccatum mortale.*

XV. *Vel unicum peccatum lethale sufficit ad interitum caritatis.*

XVI. *Quædam explicantur Origenis, Leonis Magni, ac Bernardi testimonia, quæ contraria videntur.*

XVII. *Ostenditur, caritatem in hac vita non esse inamissibilem. Definitio Concilii Tridentini contra Novatores.*

XVIII. *Causæ omnes ex S. Thoma ad examen vocantur, quæ caritatem tum inamissibilem, tum amissibilem efficiunt.*

§. I.

De Caritatis incremento.

SATIS jam, ut arbitror, caritatis essentiam, indolem, dotes præcipuas, atque gradus perlustravimus. Quæ ad ejusdem incrementum, ac decrementum, & corruptionem, sive interitum pertinent, modo elucidanda sunt: de quibus equidem nonnulla sunt difficilia & implexa; quæ Theologorum ingenia exercent; sed ea nos tantum attingemus, quæ magis obvia sunt, ac faciliora, & institutum nostrum spectantia. De augmento, sive incremento caritatis primum differo: eaque, quæ de hoc, atque aliis statuo, fidei quoque, ac spei, cæterisque virtutibus, proportione servata, accomodanda sunt.

I. Caritatem non acquiri nostris actibus, sed infundi a Sancto Spiritu certum est. Eam quoque, dum per donum gratiæ infusa est, augeri posse nemo catholicorum dubitat. Hoc enim definitum est præter alia in Concilio Tridentino, quod oppositum asserentes anathemate perculit *sess. 6. can. 24.* his verbis: *Si quis dixerit, justitiam* (quæ non est sine caritate) *acceptam non conservari, atque etiam non*

non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit. Hoc dogma fidei conforme est Scripturarum authoritatibus, & ex ipsis depromptum. Nam *Prov. cap.* 4. legitur: *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem*; seu usque ad diem beatæ visionis. Non procedit autem, aut crescit, nisi procedente, & crescente caritate. Ad *Ephes. cap.* 4. dicitur: *Veritatem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*. Et Apoc. cap. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc*, aliaque his similia.

II. Scripturarum doctrinam confirmat perennis Patrum traditio Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Gregorii Magni, aliorumque, quorum sensum exprimit, ac confirmat S. Thomas 2. 2. *q.* 24. *art.* 4. hac ratione: *Ex hoc enim*, inquit, *dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostræ beatitudinis. In hac autem via tanto magis procedimus, quanto Deo magis propinquamus, cui non appropinquatur pedibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit caritas: quia per ipsam mens Deo unitur. Et ideo de ratione caritatis viæ est, ut possit augeri. Si enim non posset augeri, jam cessaret viæ processus. Et ideo Apostolus caritatem viam nominat dicens*: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

III. Modum, quo charitas augetur in subjecto, quod est voluntas, designat S. Doctor ibid. *art.* 5. dicens. " Caritas augetur „ solum per hoc, quod subjectum magis, „ ac magis participat caritatem; idest secundum quod magis reducitur in actum „ illius, ac magis subditur illi. Hic enim „ est augmenti modus proprius cujuslibet „ formæ, quæ intenditur; eo quod esse hujus formæ totaliter consistit in eo, quod „ inhæret susceptibili. Et ideo, cum magnitudo rei consequatur esse ipsius, formam esse majorem, hoc est eum magis „ inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire. Hoc enim esset, si forma „ haberet aliquam quantitatem ex se ipsa, „ non per comparationem ad subjectum. Sic „ ergo & charitas augetur per hoc quod intenditur in subjecto: & hoc est ipsam augeri secundum essentiam: non autem per „ hoc, quod caritas addatur caritati.

IV. Haud tamen putandum est, quolibet actu caritatis augeri caritatem. Solum quippe quilibet actus magis minusve disponit ad ejus agumentum, ut docet idem S. Doctor *art.* 6. his verbis: *Non quolibet actu caritatis caritas actu augetur: sed quilibet actus caritatis disponit ad caritatis augmentum, in quantum ex uno actu caritatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum caritatem; & habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad caritatis profectum: & tunc caritas augetur in actu*.

§. II.

Opportuniora Caritatis augendæ media proponuntur.

V. Graviora, & utiliora persequamur: media nimirum proponamus, quibus augetur caritas, quæ totius vitæ moralis, ac spiritualis fundamentum, & ædificium pendet. Ad hujusce argumenti tractationem clarissimam facem accendit Synodus Tridentina *sess.* 6. *c.* 10. ubi agens de acceptæ justitiæ incremento ita loquitur: *Sic ergo justificati, & amici Dei, & domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem; hoc est mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem per observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ in ipsa justitia*

per

„ ipsam & *effective* : quia omne peccatum „ mortale contrariatur caritati ; & etiam *meritorie* : quia, cum peccando mortaliter „ aliquis contra caritatem agit, dignum est, „ quod Deus ei subtrahat caritatem.

At numquid peccata *venialia*, quæ caritatem non corrumpunt, diminuere saltem possunt? Minime. Pergit enim Sanctus Doctor, & ait : " Nec per peccatum veniale caritas „ diminui potest neque *effective*, neque *meritorie*. Effective quidem non : quia ad „ ipsam caritatem non attingit. Caritas „ enim est circa finem ultimum : veniale „ autem peccatum est *quædam inordinatio* „ *circa ea, quæ sunt ad finem* : non autem „ diminuitur amor finis ex hoc, quod ali„ quis inordinationem aliquam committit „ circa ea, quæ sunt ad finem : sicut ali„ quando contingit, quod aliqui infirmi „ multum amantes sanitatem, inordinate ta„ men se habent circa dietæ observationem.... „ Similiter etiam veniale peccatum *non meretur* diminutionem caritatis. Cum enim „ aliquis delinquit in minori, non meretur „ detrimentum pati in majori. Deus enim „ non plus se avertit ab homine, quam ho„ mo avertat se ab ipso. Unde qui inordi„ nate se habet circa ea, quæ sunt ad „ finem, non meretur detrimentum pati „ in caritate, per quam ordinatur ad debi„ tum finem.

Quibus omnibus accurate perpensis, demum concludit Præceptor Angelicus : *Unde consequens est, quod caritas nullo modo diminui possit, directe loquendo : Potest tamen indirecte dici diminutio caritatis dispositio ad corruptionem ipsius, quæ fit per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum caritatis*. Hæc ille præclarissime.

Equidem non me præterit quædam esse, quæ opponi possint, ac solent huic S. Thomæ doctrinæ. Sed ea ad ex men revocare non lubet, cum sola tanti Doctoris auctoritas ad ea discutienda sufficere debeat.

§. IV.

De Caritatis corruptione, sive interitu.

XIV. Nulla igitur suppetit causa, quæ *directe*, ac proprie loquendo caritatem habitualem imminuat, licet non una suppetat, quæ id *indirecte* præstet ; quatenus nempe ad ipsius corruptionem disponit. Sed quænam demum erit exitialis illa causa, quæ caritatem corrumpit, ac destruit? Eam assignat omnium Catholicorum ore, atque sensu Doctor Angelicus hic *art*. xr. nimirum *lethale peccatum*. Quod bifariam præstare ostendit ; *effective* nempe, ac *moraliter*, sive *meritorie*. Effective quidem ; quia lethale peccatum contrariatur caritati. Quamquam enim peccatum actione presse dicta non agat in ipsam caritatem, utpote donum supernaturale, quia tamen in subjectum habens caritatem quidpiam induci (*maculam* videlicet) repugnans ipsi caritati ; eam *effective* expellere dicitur, eo prorsus modo, quo ignis dicitur effective expellere animam e corpore, cum ipsum corpus comburit. *Moraliter* autem, seu *meritorie* : quia cum mortaliter peccando agit aliquis contra caritatem, dignus efficitur, ut ipsi Deus caritatem subtrahat.

XV. Neque plura requiruntur peccata mortalia, ut caritas corrumpatur, atque intereat ; sed vel unicum satis est ad totalem ejus destructionem. Quod Angelicus declarat, ac probat, animadvertendo in primis *art*. 12. quod si caritas esset habitus acquisitus ex virtute subjecti dependens, non oporteret, quod statim per unum actum caritati contrarium tolleretur. Actus enim non directe contrariatur habitui, sed actui. Continuatio autem habitus in subjecto non re-

T 2 qui-

quirit continuitatem actus . Unde ex supervenіente contrario actu non statim habitus acquisitus excluditur . Sed caritas [subdit] eum sit habitus infusus , dependet ex actione Dei infundentis ; qui sic se habet in infusione , & conservatione caritatis , sicut Sol in illuminatione aeris , Et ideo sicut lumen statim cessaret esse in aere per hoc , quod aliquod obstaculum poneretur illuminationi Solis ; ita etiam caritas statim desinit esse in anima per hoc , quod aliquod obstaculum ponitur influentiæ caritatis a Deo in animam .

Porro manifestum est , quod per quodlibet peccatum mortale , quod divinis præceptis contrariatur , ponitur prædictæ infusioni obstaculum : quia ex hoc ipso , quod homo præfert peccatum divinæ amicitiæ , quæ requirit , ut Dei voluntatem sequamur , consequens est , ut statim per unum actum peccati mortalis habitus caritatis amittatur . Caritas scilicet unit hominem Deo , constituit amicitiam inter utrumque , diligit Deum super omnia , exigitque nihil ab homine fieri , quo avertatur a Deo ultimo fine , & convertatur ad creaturam tamquam ad ultimum finem . Lethale autem quodlibet peccatum , amicitiæ & caritatis lege neglecta , a Deo ultimo fine retrahit , finemque ultimum in creatura constituit . Unde vel unico lethali peccato posito , desinit Deus tum ratione accedentis obstaculi , tum ratione demeriti conservare in corde hominis caritatem . Quam a Deo ipso statutam legem frequentia manifestant Scripturarum testimonia, quæ ubique occurrunt legenti .

XVI. Origenis , Leonis Magni , ac Bernardi sibi opponit S. Præceptor sententias , quæ adversæ videntur . Primus ait in *lib.* 1. *Periarch. cap.* 3, *Si aliquando satietas capit aliquem ex his , qui in summo , perfectoque constiterit gradu , non arbitror , quin ad subitum quis eva cuetur , aut decidat ; sed paulatim , ac etiam per partes eum decidere necesse est* . Sanctus vero Leo *in serm.* 19. *de Pass.* alloquens Petrum scribit : *Vidit in te Dominus non fidem fictam , non dilectionem aversam , sed constantiam fuisse turbatam . Abundavit fletus , ubi non defecit affectus* , Idem docet S. Bernardus *lib.* 2. *de amore Dei c.*6. dicens , *in Petro caritatem non fuisse extinctam , sed sopitam* .

Has vero authoritates ita solvit . Ad primam , nempe Origenis ait : " Verbum illius „ potest uno modo sic intelligi , quod homo , qui est in statu perfecto , non subito „ procedit in statum peccati mortalis ; sed „ ad hoc disponitur per aliquam negligentiam præcedentem . Unde & peccata venialia dicuntur esse dispositio ad peccatum „ mortale . Sed tamen per unum actum peccati mortalis , si eum commiserit , decidit , caritate amissa . Sed quia (subjicit) „ si aliquis brevis lapsus acciderit , & cito „ resipiscat, non penitus ruere videtur , potest aliter dici , quod ipse intelligat , non „ penitus evacuari , & decidere , qui sic decidit , ut ex malitia peccet : quod non „ statim in viro perfecto a principio contingit ". Amittit ergo caritatem [ut in Disp. q. 2. de carit, addit] per unum actum peccati mortalis: sed adhuc aliquæ reliquiæ de præcedente perfectione remanent , dum non ex malitia caritatem amittit .

Leonis , & Bernardi , sive potius Gulielmi Abbatis mentem interpretatur *ad* 2. his verbis : *Caritas amittitur dupliciter : uno modo directe per actualem contemptum ; & hoc modo Petrus caritatem non amisit . Alio modo* indirecte ; *quando committitur aliquid contrarium caritati per aliquam passionem concupiscentiæ , vel timoris : & hoc modo Petrus contra caritatem faciens caritatem amisit, sed eam cito recuperavit* .

Sed alia etiam præsto est ex doctrina S. Thomæ ad easdem authoritates responsio .

Eco.

in caritate Dei roborari, & confirmari, quo frequentius in actus ejusdem prorumpit; & quo magis cor nostrum disponitur repetitis actibus, eo robustiorem esse actum expressum, in quem prodit. Differit apposite in hanc rem Thomas a Valgonera *in Mystica Theologia* D. Thomæ *quæst.* 4. *disput*, 2. *art.* 1. cujus hæc sunt verba: " Caritatis actus frequentius exerciti creaturarum amorem minuunt, a terrenis abstrahunt, voluntatem ad cœlestia sustollunt, cor ad omne virtutis opus amplectendum emolliunt, & Deo nos immobiliter uniunt. Isti actus sunt, qui virum justum semper reficiunt, *incipientem* ad modum lactis enutriunt, *proficientem* tamquam cibi solidioris sustentant, & *perfectum* instar nectaris, & ambrosiæ, idest instar alimenti cœlestis ad vitam purissimam, & plane cœlestem impellunt. Isti actus in vitæ spiritualis initio fragiles, in medio robusti, in fine, & perfectione insuperabiles se produnt, & cum anima ipsa crescente, & proficiente proficiunt.

IX. Ejusmodi caritatis actuum exempla plura, eaque fulgentissima exhibet S. David divini amoris igne accensus, & exæstuans, ut cum ad Deum dicebat: *Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum ...... Qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam ..... Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum ..... Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? ..... Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus meus?* Et his similia, quibus etiam abundant Opera S. Patris Augustini, ac præsertim Liber *Confessionum*.

Quartum augendæ Caritatis medium: Virtutum particularium studium.

X. Particulares etenim virtutes rectum ordinem respiciunt, adeoque id muneris habent, ut affectus nostri regulam, quam recta ratio præscribit, custodiant in creaturarum amoribus, in tristitiis, in audaciis, in timoribus, & in iis omnibus, quæ nos, proximosque nostros spectant; quibus ordinibus custoditis, ad oculum patet, expeditissimam fieri caritatis viam ad amandum Deum, in ejusque amore proficiendum. Vide, quæ dicta sunt, cum *de mediis quærendæ veritatis* in Tract. II. sermo a nobis est habitus.

Quintum, ac postremum medium Caritatis augendæ est diminutio cupiditatis.

XI. Celebre est, atque vulgatum, quod etiam aliis verbis pluries expressit, dictum illud S. Augustini: *Augmentum caritatis est diminutio cupiditatis*; quo nomine non intelligitur duntaxat nimius divitiarum appetitus, sed quilibet amor inordinatus erga nos, aut creaturas, qui nisi, si dominetur, e corde pellatur, nulla in nobis caritas est. Si autem caritas jam regnet in corde nostro, eo modo hæc crescit, & augetur, quo illa decrescit, ac debilitatur. Hæc *cupiditas* non uno, sed modis plurimis adversus caritatem bellum implacabile gerit, intus nempe, & foris ab amore Dei nos revocare tentat: intus quidem pravis concupiscentiæ motibus; foris autem terroribus, horroribus: ac potestatibus hujus sæculi, ita ut etiam vita justorum, qui indesinenter exerceant se ipsos in frequentia actuum amoris Dei, cultuque, ac studio virtutum, non transigatur sine lapsu in

in auras quæcumque fiunt adversus Catholicam veritatem ab hæreticis argumenta.

CAPUT V.

Consectaria Doctrinæ.

I. *Joviniani, aliorumque erronea de augmento caritatis opinatio ab Ecclesia merito damnata.*

II. *Caritatis augmento nullus terminus præfigi potest in præsenti vita.*

III. *Est tamen gradus aliquis caritatis, ad quem nullus justus homo perveniet.*

IV. *In quo differat perfectio caritatis viæ a perfectione caritatis Patriæ.*

V. *Quænam caritas viæ perfecta dici valeat.*

VI. *Quo sensu intelligantur verba Christi, ac Joannis, dum loquuntur de perfecta caritate, quæ nobis commendatur.*

VII. *Caritatis incrementum tum a Deo ut auctore pendet, tum ab actibus nostris nunquam a physicis dispositionibus.*

VIII. *Justus homo quolibet opere ex caritate facto meretur augmentum gratiæ, & caritatis.*

IX. *Actus remissiores augmentum caritatis merentur a Deo conferendum dum in actum habitu intensiorem justus prorumpit.*

X. *Quædam adnotantur, ad eorum, quæ objici contra solent, solutionem.*

XI. *Actus caritatis, ac pia opera ex caritate facta plurimum semper prosunt ad ipsius caritatis, & gloriæ augmentum.*

XII. *Caritas viæ, quæcumque sit, cum caritate Patriæ comparata absolute imperfecta dicenda est.*

XIII. *Non omnis cupiditas ita inimica caritatis est, ut ipsam expellat a subjecto, aut etiam diminuat.*

XIV. *Duplex fervor caritatis. Quisnam per peccata venialia diminuatur.*

XV. *Nulla caritas in hac vita adeo perfecta est, quæ adversaria cupiditate vinci non possit, atque corrumpi.*

Reflexio.

Consectarium Primum.

I. TAMQUAM hæreticus habendus est Jovinianus, qui ut refert S. Hieronymus *lib. contra ipsum*, gratiæ & caritatis in hac vita augmentum fieri, negare ausus est, ex eoque erroris fonte deduxit omnes justos æquales esse, ac unum altero nec plus mereri, nec plus coronari. Huic accensendi sunt Beguardi, & Beguinæ, qui licet justos homines crescere in gratia & caritate permiserint, docuerunt eos tandem in hac vita ad illum gratiæ cumulum ascendere, quo ulterius aliusque provehi nequaquam possent. Horum erronea opinatio in Concilio Viennensi anno 1312. celebrato sub Clemente V. proscripta est.

Consectarium Secundum

II. Nullus terminus augmento caritatis præfigi in hac vita potest. *Ipsa enim caritas,* inquit S. Thomas hic q. 24. art. 7. *secundum rationem propriæ speciei terminum augmenti non habet. Est enim participatio quædem infinitæ caritatis, quæ est Spiritus Sanctus. Similiter etiam causa augens caritatem est infinitæ virtutis, scilicet Deus. Similiter etiam ex parte subjecti terminus hujus augmenti præfigi non potest: quia semper caritate excrescente superexcrescit habilitas ad ejus augmentum. Unde relinquitur, quod caritatis augmento nullus terminus præfigatur in hac vita.*

Consectarium Tertium

III. Verum, tametsi nullus sit caritatis gradus, ad quem cum pervenerit homo, ultra progredi nequeat; est tamen aliquis gradus, ad quem nunquam perveniet. Siquidem cum Deus sit omnium bonorum distributor,

tor, & arbiter, præscivit, ac ordinavit ad quantum caritatis, & gratiæ, adeoque etiam gloriæ, gradum provecturus esset unusquisque electorum suorum. Hinc animæ Christi, quemadmodum & beatissimæ Virginis Mariæ eum contulit sanctitatis, & gratiæ gradum, ad quem nullus unquam perventurus est.

CONSECTARIUM QUARTUM

IV. Multo quidem, simpliciter loquendo, caritas Patriæ perfectior est caritate viæ: quia in Patria, ut ait S. Thomas *Caritas est secundum absolutam totalitatem ex parte diligentis*; quatenus affectus semper actualiter tendit in Deum, quod caritati viæ non competit, nec ab amando Deum unquam desistet præter dotes alias eidem convenientes. Nihilominus caritas viæ, & caritas Patriæ sunt speciei ejusdem, cum utriusque sit idem objectum. Unde eadem specie caritas, quæ est in via, erit etiam in Patria, juxta illud Apostoli, *Caritas nunquam excidit*. Quinimmo fieri potest, ut habitus caritatis in aliquo viatore major sit quoad graduum intensionem, quam in aliquo jam Beato. Neque enim verisimile est, vel infantem statim a baptismo vita functum, vel adultum aliquem non admodum excellentis sanctitatis tanta in cœlo gratiæ & caritatis intensione potiri, quanta vel beatissima Virgo, vel alii eximiæ sanctitatis viri in hac vita prædití fuerunt.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Caritas viæ ita augeri, & crescere valet, ut aliquo sensu *perfecta* dici queat, sicut declarat S. Thom. hic q. 24. art. 8. inquiens: " Alio modo perfectio caritatis potest intelligi, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, & rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit. Et ista est „ *perfectio caritatis*, quæ est possibilis in via: „ non tamen est communis omnibus habentibus caritatem. Tertio modo ita, quod „ habitualiter aliquis totum cor suum ponat „ in Deo, ita scilicet, quod nihil cogitet, „ vel velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium. Et hæc *perfectio* est communis „ omnibus caritatem habentibus ". Et in resp. ad 3. observat, quod *peccata venialia*, eaque præsertim, quæ ex infirmitate proveniunt, *non contrariantur habitui caritatis, sed actui: & ita non repugnant perfectioni viæ, sed perfectioni Patriæ*.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Ex his patet, Christum Dominum merito dixisse Matth. 5. *Estote perfecti*: meritoque etiam asseruisse Joan. 1. Ep. c. 3. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est*. Quamvis enim nullius hominis caritas adeo possit augeri, ut in hac vita sit omnino perfecta, ita scilicet, ut omnis omnino imperfectio removeatur, cunctaque venialia peccata vitentur; potest tamen ad talem perfectionem provehi, ut imperfectiones culpæque veniales ita leves fiant, & infrequentes, ut moraliter æstimari possit aliquis in caritate perfectus; quemadmodum contigit, contingitque in quibusdam sanctissimis viris, in quibus vix aliqua levior noxa detecta est, aut detegitur.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Quamquam caritatis augmentum a Deo auctore, & causa effectrice pendeat, & communicetur, pendere tamen dicendum est etiam ab actibus nostris, tanquam a dispositionibus physice concurrentibus. Sicut enim caritas dum primo infunditur in animam, pendet a nostris actibus tamquam a physicis dispositionibus; ita ab iisdem quoque pendebit in suo incremento: quoniam caritas

si eorum verba rigorose expressa velimus; & non potius sic intelligere, quod ea moraliter loquendo non amitti dicantur, quæ cito recuperantur. Ea petitur ex distinctione jam exposita caritatis justificantis, & justificante minoris. Caritas habitualis justificans illa est, quam Deus conservat in corde justi hominis, quæque hominem efficit dilectorem Dei super omnia; majorque est quolibet deliberato affectu, omnemque creaturarum amorem refert in Deum ultimum finem. Lethali culpa admissa, non amplius regnat in corde caritas isthæc, suamque Deus subtrahit operationem, qua charitatem eamdem dominantem conservabat: unde perit ista, atque extinguitur. Rei vero natura postulat, ut, homine ex metu gravi peccante, non omnem Deus conservare desinat in ejus corde caritatem. Quare tenuis aliqua manet, quæ *non est caritas habitualis, & justificans*, atque prædominans; sed *minor justificante*, actusque dilectionis virtualiter permanens vocari potest. De hac igitur caritate locutos esse Sanctos Leonem, & Bernardum, intelligere par est.

§. V.

De Caritatis amissibilitate.

XVII. Hic reliquum foret, ut etiam sermonem haberemus adversum illos, qui negant, hominem justificatum peccare posse, atque adeo caritatem amittere; ita ut, ea semel habita, sit penitus inamissibilis. Quo in errore nedum olim fuerunt Jovinianus, ac Beguardi, & Beguini licet alio principio ducti, sed etiam ævo nostro sunt Calviniani. Verum cum hæc quæstio ad Dogmaticos Theologos pertineat potius, quam ad Morales; ideirco satis sit hic proferre textum Concilii Tridentini, & S. Thomæ doctrinam. Concilium itaque *sess. 6. c. 23.* hæc habet: *Siquis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, numquam vere fuisse justificatum, anathema sit.* Et Can. 27. *Siquis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi, & enormi, præterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.*

XVIII. Hæ definitiones innumeris Scripturarum, ac divinæ Traditionis textibus comprobari possent. Sed iis omissis, momentum produco, quo causa aperitur, ex qua caritas hujus viæ possit amitti; quod sapienter a D. Thoma proponitur *in Disp. q. 2. de Carit. art. 12.* In una caritate, quæ diffunditur a Spiritu Sancto in cordibus nostris, rationes multiplices considerari possunt, quarum altera eam immobilem facit, altera mutationi, ac corruptioni obnoxiam. "Potest igitur [inquit ille] quadruplex consideratio de caritate haberi. Primo ex parte Spiritus Sancti moventis animum ad dilectionem Dei & proximi. Deinde secundum potestatem ipsius caritatis. Tertio ex parte voluntatis, in quantum hæc ei subjicitur, ut materia formæ. Quarto ex parte subjecti, prout voluntas comparatur ad illam, sicut persona ad habitum.

Prima caritatis consideratio eam clarissime immobilem exhibet; quia repugnat moveri nos ad dilectionem, & nos non diligere, aut in nobis non conservare Deum caritatem diffusam. Nam *motio Spiritus Sancti semper est efficax secundum suam intentionem ..... Et ideo quibus Spiritus Sanctus pro suo arbitrio vult dare perseverantem divinæ dilectionis motum, in his peccatum caritatem excludens esse, non potest.* Hoc in sensu verba illa Joannis quæ opponunt hæretici: *Omnis, qui natus est &c.* accipienda esse, idest secundum potestatem Spiritus Sancti, monet *in resp. ad 1.*

quia

tas quæ infunditur, & quæ augetur, est ejusdem omnino speciei, ac naturæ. Quapropter ut in nobis augeatur, ea media adhibeamus oportet, quæ jam proposuimus, nimirum enitamur necesse est, ut perfectiorem acquiramus divinæ bonitatis cognitionem, ut cor nostrum a terrenorum affectuum impuritate emundemus, ut frequentes eliciamus caritatis actus, ut particularium virtutum studio vacemus, ac demum ut ad cupiditatem caritatis inimicam sin penitus extinguendam, saltem subigendam, sedulam semper operam navemus.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Si sermo sit de dispositione morali, sive meritoria, homo justus quolibet caritatis actu meretur augmentum gratiæ & caritatis. Consectarium hoc dum generatim sumitur omnino certum est. Quandoquidem constat ex definitione Concilii Tridentini sess. 6. can. 32. ubi legitur: *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab ipso per gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum est membrum, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.* Id etiam traditum antea fuerat a S. Thoma, tum alibi, tum hic art. 6. ad 1. & colligitur evidenter ex pluribus Scripturarum textibus, & Patrum traditione.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Quum actus caritatis, qui eliciuntur ab homine justo, alii sint, aut esse possint *intensiores* ipso caritatis habitu, alii *remissiores*, si loquamur de actu habitu *intensiore*, hic meretur augmentum gratiæ & caritatis a Deo statim conferendum: quod a Theologis omnibus approbatur. Si vero loquamur de actu caritatis habitu *remissiore*, augmentum statim minime confertur, sed tunc solum, cum justus homo in actum intensiorem, sive ferventiorem prodit. Consectarium hocce aperte deducitur ex doctrina tradita & in hac q. 24. & in 2. distinct. 27. q. 1. art. 5. ad 2. his verbis: *Non oportet, quod quilibet actus meritorius augmentum gratiæ (& caritatis) consequatur: quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu consequitur augmentum habitus; sed solum in illo actu, quo quis utitur gratia accepta secundum proportionem suarum virium &c.* Deinde S. Thomas in omnibus suæ doctrinæ libris determinat tempus augmenti caritatis in hoc, quod *tunc statim augetur caritas, quando homo actum ferventem elicuerit*. Unde frustra tempus aliud confingimus S. Doctori incognitum.

X. Hæc tamen, ut obvia discutiatur difficultas, quæ solet opponi, ita explicandum censeo, ut scilicet homo justus per actus a caritate elicitos vel imperatos, quamvis ipso caritatis habitu remissiores, mereatur a Deo uberiora auxilia gratiæ eo tempore conferenda, quo Providentiæ Divinæ visum fuerit convenientius, quibus adjutus auxiliis in intensiorem prodeat caritatis actum, cui a Deo statim incrementum gratiæ, & caritatis tribuitur, & incrementum essentialis gloriæ suo tempore tribuetur. Quin etiam addo, justum hominem, qui in hisce, licet remissis, actibus se frequenter exercuit, majus præmium accidentale mereri, eisque immediate respondere, quod obtinebit in cælo præ alio homine justo, qui actus illos remissos non elicuerit. Atque hac doctrina salvantur, & explicantur omnia; quæ salvari oportet, verba nempe Scripturarum, & Patrum, Conciliorumque decreta, simulque germana exhibetur S. Thomæ de hac

hac implexa quæstione sententia, justos scilicet, mediante oratione, aliisque operibus bonis, majora in dies a divina bonitate obtinere subsidia, quibus in justitia, & caritate crescant: atque emicat fulgentissime sensus verborum, quæ hic habet art. 6. ad 1. dum asserit, quod *Quilibet actus caritatis meretur caritatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum*. Conatur autem justus homo ad tale augmentum, quando subsidiis uberioribus divinæ gratiæ adjutus in ferventiorem actum prorumpit; quod expresse S. Doctor affirmat: *quilibet caritatis actus* [etiam remissior habitu] *disponit ad caritatis augmentum*. Disponit autem tum physice, tum moraliter, sive meritorie, *in quantum ex uno actu caritatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum caritatem*, maxime per auxilia divinæ gratiæ, *& abilitate crescente* prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo *conatur ad caritatis profectum: & tunc caritas augetur in actu*, sive actualiter. Uno verbo; actus caritatis intensior habitu meretur *immediate augmentum habitus caritatis*, cui respondet in Patria major gloria essentialis. Actus vero habitu remissiores merentur & ipsi ejusdem caritatis augmentum, sed *mediate*, quatenus ea divina auxilia merentur, quibus homo in actum ferventiorem prodeat, adeoque etiam hoc modo meretur, ut caritas augeatur, atque ita præter majorem gloriam accidentalem obtineat in cælo majus etiam præmium essentiale.

Consectarium Decimum.

IX. Hinc nemo non videt ad augmentum caritatis prodesse plurimum frequentes exercere caritatis actus, & etiam pia opera, ipsa movente caritate, perficere: quoniam tametsi non omnia fiant ea intensione, quæ major sit caritatis habitualis gradu, tamen omnia disponunt ad actum illum ferventiorem eliciendum, cui respondet habitus caritatis intensio. Atque ita verum est, quod jam decrevit Tridentina Synodus, & communis habet fidelium sensus, nullum esse opus bonum ab homine justo ex caritate vel eliciente, vel imperante profectum, quod suo careat gratiæ & gloriæ præmio a Deo conferendo in præsenti & in futura vita; nisi peccando mortaliter eo se indignum efficiat.

Consectarium Undecimum.

XII. Caritas *Patriæ* comparata cum caritate *viæ*, etiam perfecta, qualem habuerunt aliqui sancti viri, absolute dicenda est *plenior*, immo *plenissima*, ibique est augenda non secundum habitum, cui gradus adduntur, sed secundum actum, qui erit & ferventior, & purior, & permanentior propter statum, in quo tunc erit. Tunc etiam perfecte implebitur præceptum dilectionis Dei *ex toto corde, & ex tota anima*: quod modo imperfecte tantum impletur: quia cum modo haudquaquam possimus semper actu in Deum ferri, tunc totum cor hominis semper feretur in ipsum, & quidem secundum totam possibilitatem suam: unde tunc erimus meliores, quia magis amatores Dei secundum actum, & modum actus: quia semper actu amabimus, & spontanea necessitate amabimus amabilissimam Dei bonitatem. O nimium felix necessitas, quæ ad fontem totius bonitatis amandum compellit!

Consectarium Duodecimum.

XIII. Quamvis cupiditas sit capitalis inimica caritatis, attamen non omnis cupiditas expellit caritatem, si non prædominetur caritati, sed nec etiam ipsam diminuit, licet damnum aliquod semper inferat caritatem

tem habenti, eo quod ad amissionem ejusdem caritatis ipsum disponat. Hoc egregie declarat S. Thomas solvens authoritatem S. Augustini, quam sibi objecerat *art.* 10. dicentis: *Minus te amat, Deus, qui tecum aliquid amat*, ex qua videtur colligi, quod cum *augmentum caritatis sit diminutio cupiditatis*, idem e converso dici debeat, quod caritas diminuatur dum crescit cupiditas. Hoc, inquam, solvens argumentum scribit: „ Ad secundum dicendum, quod duplex est „ cupiditas: una quidem, qua finis in creaturis constituitur: & hæc mortificat, [sive „ corrumpit] totaliter caritatem, cum sit „ venenum ipsius, ut Augustinus dicit ibidem: & hoc facit, quod *Deus minus ametur*, scilicet quam debet amari ex caritate, non quidem caritatem diminuendo, sed eam totaliter „ tollendo. Et sic intelligendum est, quod „ dicitur: *Minus te amat, qui tecum aliquid* „ *amat*: subditur enim: *Quod non propter* „ *te amat*. Quod non contingit in peccato „ *veniali*, sed solum in *mortali*. Quod „ enim amatur in peccato veniali, propter „ Deum amatur *habitu*, etsi non actu ". Est autem alia cupiditas venialis peccati, quæ semper diminuitur per caritatem. Sed tamen talis cupiditas caritatem diminuere non potest, ratione jam dicta.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIV. Ex hoc, quod per venialia peccata diminuatur fervor caritatis, non propterea sequitur diminui ipsam caritatem quantum ad habitum. Nam, ut animadvertit S. Thomas in *Disp.* loc. cit. *Fervor caritatis* potest accipi dupliciter: uno modo secundum quod importat intentionem inclinationis amantis ad amatum: & talis fervor est essentialis caritati, & non diminuitur per veniale peccatum. Alio modo dicitur *fervor caritatis* secundum quod redundat in motus, seu actus dilectionis, ac etiam in inferiores, vires, ut quodammodo non solum cor, sed etiam caro exultent in Deum". Et talis fervor diminuitur per veniale peccatum.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XV. Nulla caritas in hac vita adeo perfecta est, quæ adversaria cupiditate superari demum haud possit, atque corrumpi; nisi forte, quod rarissimum est, homo sit confirmatus in gratia. Equidem non inficior caritatem perfectem, ferventem, & in corde vigentem difficile esse, quod contraria cupiditate vincatur, sed tamen id contigisse, & nonnunquam contingere luctuosa nimis experientia confirmat. Neque enim satis est magnam latere in corde caritatem, nisi etiam in validos actus continenter prodeat, viresque exerat suæ magnitudini pares, adeo ut dici valeat semper expedita in pugna gerenda adversus hostes, qui intus & foris nos impugnant, & cupiditatem fovent, atque inflammant. Parum quippe refert vires caritatis esse in habitu, nisi actu etiam se prodant, & qualibet occasione oblata applicentur ad opus. Nonnunquam igitur contingit in viris eximia sanctitate præditis, ut caritas aut non agat, aut agat languide ac debiliter, & non juxta vires, quibus agere potest, eoque in casu liberum arbitrium a potenti cupiditate abstractum & illectum ad bona delectabilia sese convertat, eorumque amore exciteiur, & in peccatum ruat: atque ita caritatem amittat.

R E F L E X I O.

Caritas hujus vitæ semper augeri potest. Caritas hujus vitæ semper corrumpi potest. Si magnum præber omnibus hanc vitam agentibus argumentum gaudii, quod caritas sem-

ſemper augeri & creſcere valeat, cum ex hoc augmento caritatis augmentum quoque pendeat ſempiternæ felicitatis & gloriæ, qua perfruemur in cælo; non minorem præſtat mœroris cauſam, quod caritas in hac inſtabili ac miſerrima vita ſemper corrumpi, atque interire queat: ex hoc enim pendet luctuoſa ſempiternæ felicitatis & gloriæ jactura, atque æterna damnatio. Quid igitur hinc colligamus oportet, niſi ut operam impendamus omnem, quo caritas ſemper in nobis augeatur & creſcat, ac tota cura, ſtudioque enitamur, ne unquam corrumpatur, atque intereat? Ad utrumque porro obtinendum maximum adjumentum ea media ſuppeditant, quæ jam a nobis propoſita ſunt, nimirum perfectior ſummæ Dei bonitatis cognitio, puritas amoris Dei ab extranea quacumque affectione immunis, exercitium aſſiduum ſanctæ caritatis, particularium virtutum indefeſſum ſtudium, ac demum cupiditatis, omniumque illiciorum ejus mortificatio, ac victoria.

Euge ergo anima chriſtiana, quæ glorioſam in cælo coronam tibi comparare deſideras, unaque ea omnia præcavere pericula, quibus in hac vita caritatem poſſis amittere, & ſempiternam damnationem incurrere, *exerce te*, dicam cum D. Paulo, in hiſce mediis augendi ſimul & conſervandi pretioſi & inæſtimabilis caritatis theſauri: indeſinenter *inſta in his*. Ne dicas unquam, ſat is eſt, ne in arrepti propoſiti vigore torpeſcas: quia ſicut ſine caritate nihil facis, ita ſine caritatis fervore, animique intenſione nihil proficis. *Ne verearis*, inquit ſapiens, *uſque ad mortem juſtificari*, & ſemper conari, ut in te ſemper augeatur & creſcat caritas, unde omnis juſtitia provenit: Via tua ſit, ſicut *ſemita juſtorum, quæ quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem* caritatis æternæ. Nam *in via Dei non progredi, regredi eſt*: vel, ut ait Magnus Pontifex Leo ſerm. 2. Quadrag. *Hæc eſt perfectorum vera juſtitia, ut nunquam præſumant ſe eſſe perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione ceſſantes, incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi depoſuerint appetitum*. Tota ſollicitudine cura, ut divinus caritatis ignis in te ſemper ardeat, juxta præceptum illud datum Sacerdotibus veteris legis Levit. 6. *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubjiciens ligna in ſingulos dies.* Quid enim hoc ſignificare voluit Deus? *Altare Dei*, interpretatur S. Greg. Mag. lib. 25. Moral. *cor noſtrum eſt, in quo jubetur ignis ſemper ardere: quia neceſſe eſt ex illo ad Dominum caritatis flammam ſemper aſcendere*. Ut ignis iſte cæleſtis ſemper ardeat in corde tuo, ſemperque creſcat, nec unquam extinguatur, ſatage quantum potes, ut decreſcat, & comprimatur ignis alter omnino ipſi infeſtus, quem accendit cupiditas, ſemper ad amorem inordinatum & ad vitia proclivis, ſemper ad peccandum prona: neque enim caritas Dei & cupiditas ſociari unquam poſſunt, ſed bellum inter ſe implacabile ſemper gerunt & altera alteram e corde noſtro expellit, aut expellere nititur.

Illud igitur nobis optemus omnes, quod optabat ſibi piiſſimus Bernardus amore Dei flagrans, ut magis magiſque flagraret a Deo impenſe flagitans *Homil.* 4. in Miſſus eſt. *O ſi mei peccatoris meminerit Jeſus in beneplacito populi ſui, cum venerit in regnum ſuum! Veni interim Domine Jeſu: aufer ſcandala de regno tuo, quod eſt anima mea, ut regnes tu, qui debes, in ea. Venit enim avaritia, & vendicat in me ſibi ſedem: jactantia cupit dominari mihi: ſuperbia vult mihi eſſe rex. Luxuria dicit, ego regnabo. Ambitio, invidia, detractio certant in me ipſo, cujus ego potiſſimum eſſe videar. Ego autem quantum valeo, reſiſto; renitor quantum juvor, Dominum Jeſum reclamo, ipſi me defendo, quia ipſius me juris agnoſco: ipſum mihi*

mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico: non habeo regem nisi Dominum Jesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in illa: quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Jacob.

CAPUT VI.

De Objectis secundariis Caritatis.

DOCTRINA.

I. *Caritatis respectus ad plura bona.*
II. *Ad plura subjecta.*
III. *Amor sui alius bonus, alius pravus.*
IV. *Amor caritatis erga proximos.*
V. *Omnes homines mortalem vitam agentes proximi sunt, adeoque caritate diligendi.*
VI. *Peccatores, & inimicos quomodo diligere, & odisse teneamur.*
VII. *Sancti Angeli, Beatique homines in cœlo regnantes sunt caritate diligendi.*
VIII. *Ad animas in Purgatorio detentas diligendas caritas se extendit.*
IX. *Dæmones, ac damnati spiritus caritate diligendi non sunt.*
X. *Quomodo caritate corpus quoque nostrum diligere possimus.*

§. I.

Caritatis respectus ad plura bona.

I. DEUM esse primarium caritatis objectum, a quo illa speciem desumit, satis ostendimus. Sed Deum solum ipsa non diligit, sed effluit etiam veluti extra Deum, licet omnia in Deum tandem referat, tum alia plura bona amando, tum eadem aliquibus appetendo, si non adsint, aut certe gaudendo, si jam teneantur. Plures ejusmodi respectus ab bona, quæ caritas diligit, & ad subjecta, quibus eadem appetit; pretium est operæ luculentius exponere.

Appositam exhibeo in primis animadversionem S. Thomæ, quam habet in Disp. q. 2. de Caritate art. 7, inquiens: *Amare nihil aliud est, quam velle bonum. Unde dupliciter aliquid amari potest, vel sicut id, cui volumus bonum, vel sicut bonum, quod volumus alicui*. Duplicem ergo respectum distinguimus in caritatis amore, *ad bonum* scilicet, quod volumus, & *ad subjectum*, cui bonum idem volumus. Ex quibus duobus amplissimis principiis multiplices caritatis respectus profluere possunt juxta varia *bona*, ad quæ protenditur caritas, & plura subjecta, quæ hujusmodi bonorum capacia sunt.

Enumerat laudato loco Doctor Angelicus bona, quæ caritas diligit his verbis: *Diligi possunt ex caritate omnia bona, in quantum sunt bona eorum, qui possunt habere beatitudinem: omnes enim creaturæ sunt homini via ad tendendum in beatitudinem; & iterum omnes creaturæ ordinantur ad gloriam Dei, in quantum in eis divina bonitas manifestatur*. Sunt nempe plurima bona, quæ caritas diligit. Principem locum tenet bonitas summa Dei, qua bonus ipse est, atque beatus. Sequitur bonitas eadem ea ratione, qua per visionem claram, & per amorem inde consecutum beantur creatæ rationales mentes. Tertium locum obtinent bona creata gratiæ & gloriæ, tres theologicæ virtutes, fides, spes, caritas, atque Spiritus Sancti dona, peccatorum remissio, filiatio adoptiva, & justitiæ & gratiæ incrementum, gratiæ actualis auxilia, & si qua alia recenseri queunt supernaturalis ordinis dona. Accedunt quarto morales virtutes rationali naturæ consentaneæ, quæ sublimiorem supernaturalis ordinis perfectionem obtinere possunt per relationem in Deum gratuita fidei revelatione in hac vita cognitum. Denique succedunt bona quæ-

que

que creata, vita, sanitas, opes, honores, quibus uti possunt justi ad vitam æternam.

Bonitatem Dei, nostramque supremam & increatam beatitudinem primario ac præcipuo affectu suo prosequitur caritas. Bona reliqua creata sive ad gratiæ, sive ad naturæ ordinem pertinentia, dupliciter spectari possunt, prout scilicet primo sunt bonitatis Dei expressiones, ac media, quæ seipsis vel recto diligentium usu ad beatitatem æternam conferunt. Secundo, quatenus intimam habent, propriamque perfectionem, speciemque decoris. Priori modo diliguntur actu secundario, ut mox dicemus; altero modo diligi eadem posse dilectionis actibus a caritate distinctis haud inficias iverim. Nihilominus caritatis virtutum omnium reginæ munus est, ut pro data occasione urgeat nos, atque impellat ad hujusmodi amores, eosdemque, si non efficientiæ proximæ, suo saltem imperio subjiciat, unde caritatis affectu reliquos amores non supprimit, sed illos perficit, referendo in Deum.

Hinc colligere liceat, primo, & altero modo non solum caritate diligi posse bona creata gratiæ, gloriæ, ac naturæ, sed etiam ipsam caritatem, quæ inter dona gratuita post visionem claram Dei præcellentissima est. Consectarium evincit S. Thomas hic q. 25. art. 2. non ea sola ratione, quod Deum caritate diligentes, per reflexionem Deum amamus, verum etiam quia caritas non est simplex amor, sed habet rationem amicitiæ: *Per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter; uno modo, sicut ipse amicus, cui bona volumus; & alio modo, sicut bonum, quod amico volumus. Et hoc modo caritas per caritatem amatur; quia caritas est illud bonum, quod optamus omnibus, quos ex caritate diligimus. Et eadem ratio est de beatitudine, aliisque virtutibus.*

§. II.

Respectus caritatis ad plura subjecta.

II. Ad subjecta procedo, quibus caritas vult, & appetit bona, quæ recensuimus. Hæc quatuor omnino sunt. *Deus*, cui bonum omne, omniumque perfectionum, quæ excogitari unquam possunt, plenitudinem inesse caritas gaudet. *Nos ipsi*, quibus caritate appetimus bonum divinum, in uno Deo supremam nostræ bonitatis, justitiæ, perfectionis, felicitatis, beatitudinis causam & formam constituentes. *Proximi nobis*, quos etiam in eadem beatitudine socios caritas vult. Ac demum corpora nostra: nam & ipsa transformabuntur in gloriam ex animæ beatitudine redundantem.

Quatuor hujusmodi caritatis respectus ad prædicta subjecta antea recensuit August. lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 23. inquiens: *Quatuor sunt diligenda: unum quod supra nos est*, scilicet Deus: *alterum, quod nos sumus: tertium, quod juxta nos est*, nempe proximus: *quartum, quod infra nos est*, videlicet corpus nostrum: cujus doctrinam nitide exponit S. Th. loc. cit. in *Disput.*

Una porro, eademque specie caritas est, quæ Deum amat, & reliqua omnia in ordine ad Deum. Hoc satis liquet, quod Scriptura Sacra easdem promiscue perfectiones dilectioni Dei & proximi ac prærogativas tribuit. Rem totam conficit S. Joannes in Epist. 1. cap. 3. dum scribit: *Omnis, qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem .... Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres ..... Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* Et cap. 4. *Charissimi, diligamus nos invicem: quia caritas Dei ex Deo est ...... Si diligamus in-*

vi-

vicem, *Deus in nobis manet*, *& caritas ejus in nobis perfecta est*.

Veritatem eamdem hac ratione confirmat D. Thom. hic q. 25. art. 1. his verbis expressa: " Cum species actus ex objecto sumatur secundum formalem rationem ipsius: " necesse est, quod idem in specie sit actus, " qui fertur in rationem objecti, & qui fertur in objectum sub tali ratione: sicut " eadem est specie visio, qua videtur lumen, " & qua videtur color secundum luminis rationem. Ratio autem diligendi proximum " est Deus: hoc enim debemus in proximo " diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum " est, quod idem specie actus est, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus.

Quæ sane ratio, si paulo aliter efferatur, perinde suadet unam esse caritatem ea quoque parte, qua plura bona respicit. Fertur enim primo nisu, atque conatu, seu actu primario in bonum divinum: ac reliqua prosequitur bona gratiæ, & gloriæ, atque naturæ, non ob eam, quæ inest illis, perfectionem, sed ob eam, quam exprimunt bonitatem Dei, ac etiam utilitatem, quam conferunt, ut Deo hæreamus.

§. III.

De Amore sui bono & pravo.

III. Quædam de hoc argumento supra dicta sunt, De ipso paullo uberius differendum nunc est. Tria igitur sunt subjecta, sive objecta secundaria caritatis, quorum primum nos ipsi sumus, quos caritatis amore prosequi possumus, ac debemus. Quam Græci *Philautiam* Latini *amorem proprium* appellant, qui vulgo in malam partem accipitur, quamquam bonus, ordinatus, sanctusque esse valeat. Et quidem apud Philosophos de *hoc proprio amore* quæstio mota est, ex eo quod aliqui, ut adnotat Aristoteles in 9. *Ethic. c.* 8. Increparent illos, qui seipsos maxime amant, & in dedecus *amatores sui* illos vocabant. Ceterum Philosophus idem advertit, nosque meliori lumine collustrati asseramus oportet, *sui amorem* sicut *malum*, ita *bonum* esse posse, præsertim si caritate regatur.

Assertum hoc pro dignitate nitidius illustro, atque confirmo. Amare seipsum perinde est, ac sibi velle bonum, atque adeo juxta bonorum, quæ nobis volumus, dijudicanda est amoris proprii indoles aut bona, aut perversa. Perversus amor est, qui cupiditate excitatur, sive quo nos amamus in vitiis, & iniquitatibus: *bonus*, qui caritate movetur, seu quo diligimus, curamusque nobis honestatem, virtutem, perfectionem, felicitatem æternam, maximeque unionem cum Deo. *Malus* est, quo constitutum a Deo ordinem inter spirituum creatum, & Creatorem, corpus & animam, alia creata bona pervertimus. *Bonus*, quo prædictum ordinem custodimus, mentem Deo, corpus menti subjiciendo, proximos, quos natura & potestate, ut filii Dei sunt, pares nobis habemus, diligendo, sicut nos ipsos, exteriora bona pro jure necessitatis atque convenientiæ captando, ac demum omnia in Deum referendo

Amorem pravum sui radicem esse peccatorum omnium, Ita ostendit S. Thom. p. 2. q. 77 art. 4. " Propria, & per se causa " peccati accipienda ex parte conversionis ad " commutabile bonum(sive ad creaturam] ex, " qua quidem parte omnis actus peccati procedit ex aliquo inordinato appetitu alicujus " temporalis boni. Quod autem aliquis appetat inordinate aliquid temporale bonum " procedit ex hoc, quod inordinate amet " seipsum. Hoc enim est amare aliquem, " velle ei bonum. Unde manifestum est, " quod *inordinatus amor sui* est causa omnis " peccati.

Rem magis declaro & illustro duplicem ma-

malum amorem sui distinguendo. Alius *necessarius* est in cupiditate, sive concupiscentia positus, ex originali peccato in nobis relicta, qua habituali pondere suo, pravisque motibus indeliberatis posteros Adæ ad fruitionem pertrahit sui ipsius, rerumque aliarum omnium usum ad proprium commodum & utilitatem. Alius *liber*, & deliberatus est, quo vel propriam excellentiam amamus tamquam ultimum finem, aut aliorum omnium peccatorum delectationes, ac utilitates diligimus tamquam nobis convenientes.

Primus *amor sui*, scilicet necessarius, peccatorum omnium radix ea ratione dici potest, atque est, quia male afficit animum, excitatque in corde amores boni delectabilis, sibique utilis, & ansam præbet intellectui, ut prætermisso bono honesto, assumat sub ipso atque concludat amorem boni delectabilis inhonesti, & peccaminosi. Istius amoris specimina produnt pueri, qui nondum ad rationis usum pervenere, quos videmus sæpe tendere in hæc bona delectabilia, nulla habita ratione honestatis ipsorum. Amor alter, nempe liber, & deliberatus dicendus est origo in primis maximeque peccatorum, quæ in odio, amore, tristitia, aliisque affectibus ab amore distinctis consistunt: neque enim quidpiam odio habemus, aut timemus, nisi quià primum diligimus, quod illi adversum est, tamquam bonum: & bonum aliquod amantes consecutionem ejus deinde speramus, & audemus obtinere. Ceterum alia peccata, quæ ipsum amorem exprimunt aut propriæ excellentiæ, aut turpis delectationis, aut rei alienæ ex alio priore amore sui proprie non oriuntur: nam a quolibet eorum malus sui amor nullatenus discernitur. Nihilominus jure dicitur amor iste omnis peccati radix *ex parte saltem objecti*, ea de causa, quod ratio boni sibi tanquam ultimo fini convenientis reperta in quolibet opere flagitioso, causa est, propter quam voluntas prava diligit ipsum, & diligendo peccat.

§. IV.

De Amore caritatis erga Proximos.

IV. Sequitur caritatis affectus erga proximos. Præceptum ejus ac normam habemus apud Matth. c. 22. *Diliges Dominum Deum tuum &c.*, *& proximum sicut te ipsum*. Et apud Joan. cap. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

Norma igitur caritatis erga proximum duplex est: caritatis amor, *quo nosmetipsos diligimus*, & dilectio qua *Deus diligit nos*. Verum nos utraque ad id unum urget, ut beatitudinem æternam, dona gratiæ & gloriæ, ac cetera bona, quatenus conferunt ad Dei consecutionem, proximo velimus. Luculentissima est hac de re S. Augustini sententia, quæ legitur Tract. 65 in Joan. *Mandatum novum appellans*, ait ille, *fraternæ dilectionis præceptum: quia exuens veteri homine*, qui seipso fruitur, se tamquam finem amat, rebusque aliis, vel proximis ad proprium commodum, & utilitatem perverse utitur, *induit nos novum hominem.* Hinc amor iste non est *dilectio culpabilis, atque damnabilis, qua se diligunt adulteri & adulteræ, scortatores & meretrices, & quoscumque alios non humana necessitudo, sed humanæ vitæ noxia turpitudo conjungit*. Talis etiam non est amor, *quo diliguntur invicem mariti & uxores, & parentes, & filii, & quæcumque alia inter se necessitudo humana devinxerit.*

Repudiatis hisce amoribus, qui *caritatis* non sunt, sed vel peccaminosi, vel mere humani, pergit S. Pater, atque assignat verum illum caritatis amorem, quo diligere proximos debemus, dicens: *Amor ille oppido est*

est, quæ diligimus invicem, sicut Deus dilexit nos. Quid vero in nobis Deus dilexit ipse? Non quod habemus, sed quod haberemus ...... Sic ergo & nos invicem diligamus, ut quantum possumus, invicem ad habendum in nobis Deum cura dilectionis attrahamur. Ille est, quo diligimus invicem, non sicut se diligunt, qui corrumpuntur, nec sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt: sed sicut se diligunt, quoniam Dii sunt, & filii Altissimi omnes, & sunt filio ejus unico fratres e ea dilectione invicem diligentes, qua ipse dilexit eos perducturus ad illum finem, qui sufficiat eis, ubi satietur in bonis desiderium eorum. Qua posita sententia Proximos recenseo caritate diligendos, quibusdam regulis constitutis.

§. V.

Regula Prima.

Omnes homines mortalem vitam agentes Proximi sunt, adeoque caritate diligendi.

V. Constat hæc Regula: tum quia mutuis officiis indigemus omnes, aut indigere falsum possumus. Tum etiam quia ao in statu degimus, in quo nobis invicem valde debemus æternam beatitudinem, bona gratiæ, & gloriæ, perseverantiæ donum &c.

Eamdem rursus probat conceptissimis verbis idem S. August. lib. 1. de *Doct. Christ.* cap. 30, *multiplicem rationem* proferens: „ Nullum, inquit, exceptum esse hominem, „ cui misericordiæ denegetur officium, quis „ non videat, quando usque ad inimicos e- „ tiam porrectum est, eodem Domino di- „ cente: *Diligite inimicos vestros, benefacite* „ *his, qui oderunt vos?* Ita quoque Paulus „ Apost. docet, cum dicit: *Nam non adulterabis; non homicidium facies; non furaberis; non concupisces, & si quod est aliud* „ *mandatum, in hoc sermone recapitulatur, diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur.* Quisquis „ ergo arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, tenetur fatari, quod „ absurdissimum est, fuisse visum Apostolo, „ non esse peccatum, si quis aut non Christiani, aut inimici adulteraverit uxorem, „ aut eum occiderit, aut ejus rem concupierit. Quod si dementis est hoc dicere, manifestum est omnem hominem proximum „ esse deputandum: quia erga neminem operandum est malum ".

Tertiam exhibet rationem serm. 90. *Quis est*, ait, *mibi proximus?* " Omnis homo „ proximus tuus est. Nonne duos parentes „ habuimus omnes? Proxima sibi sunt cu- „ jusque generis animalia &c. & non est pro- „ ximus homo homini?

Regula Secunda.

Peccatores & inimici, si spectentur præcise ut homines, sunt Proximi nostri, atque adeo caritate diligendi: si autem ut peccatores, eos potius odisse debemus.

VI. Partem utramque diligentissime versat Doctor Angelicus hic q. 25. art. 6. distinguens in peccatoribus naturam, & culpam: docet primo, peccatores secundum naturam caritate esse diligendos; quia capaces sunt beatitudinis, super cujus communicatione caritas fundatur. At vero secundum rationem culpæ, quæ Deo adversatur, odio potius habendos censet. Nam culpa, secundum quam peccatores dicuntur, odio habetur ab ipsomet Deo, & beatitudinis consecutionem impedit. Immo hoc ipsum, quod est peccatorem odisse, ut *peccatorem*, idest odisse peccatum ejus, nobisque displicere, quod peccet, caritatis actus est. Atque de hoc loquebatur Propheta Regius, cum diceret: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi: &: Perfecto odio oderam illos.*

Quod attinet inimicos , duplicem quoque in iis rationem considerat Angelicus *art.* 8. nimirum *in quantum sunt inimici* : Et hoc pacto decernit , eos diligere perversum esse , & caritati repugnans : quia hoc est diligere malum alterius. Secunda , *in quantum homines sunt* : atque sub hac consideratione determinat sinceram generalem proximorum caritatem non esse , quæ ad inimicos non extenditur : eadem siquidem manet diligendi ratio , quæ est æterna beatitudo omnibus hominibus etiam inimicis proposita . Hinc necessariam esse docet animi promptitudinem , ut exigente necessitatis casu , tum speciali & expressa inimicos dilectione prosequamur, tum iisdem dilectionis officia præstemus .

Præceptum idem , quo tenemur inimicos diligere , in Evangelio clarissime definitum , immutabilis restitudo ordinis exposcit. Similitudo naturæ , quam gerunt nobiscum inimici homines ; imago Dei non detrita in illis , licet deturpata ; eorum destinatio ad vitam æternam nobiscum communis , si velint , totidem sunt rationes, quæ odium omne damnant , sinceræque postulant caritatis affectum , quo æqualitatis ordo servatur . Deinde hominis justitia , rectitudo , atque perfectio posita est in similitudine , & conformitate cum Deo . Deus autem odit, quod malum est in homine inimico ; ita diligit eumdem , quatenus est creatura ad imaginem ejus facta , & ad æternam beatitudinem vocata . Igitur ob easdem rationes inimici a nobis etiam caritate prosequendi sunt.

Regula Tertia .

Sancti Angeli , Beatique homines regnantes cum Christo in gloria tanquam Proximi caritatis affectu sunt diligendi .

VII. Probat hanc regulam S. Thomas hic art. 10. inquiens : " Amicitia caritatis fun„ datur super communicatione beatitudinis „ æternæ , in cujus participatione communi„ cant com Angelis homines . Dicitur enim „ Matth. cap. 22. quod in resurrectione erunt „ homines sicut Angeli in cælo : & ideo ma„ nifestum est , quod amicitia caritatis etiam „ ad Angelos se extendit .

Sed varius est caritatis affectus , quo nos Angeli , aliique Beati diligunt , & illos nos ipsi diligimus , & varia sunt caritatis officia. Illi nos diligunt , ut beatitudinem obtineamus : nos illos beatitudine potiri gaudemus. Orantibus nobis adsunt Angeli , ac vota nostra offerunt Deo ; nos protegunt , atque custodiunt : nos ipsis grati esse debemus , eosque pio cultu venerari : quorum certe affectuum & officiorum communio mutua fovetur amicitia , unaque erigitur , ac stabilitur Civitas Dei .

Regula Quarta .

Caritas se extendit etiam ad animas in Purgatorio degentes .

VIII. Hujusmodi quippe animæ sunt beatitudinis capaces : immo certam spem gerunt ad eam perveniendi ; ideoque caritatis nostræ & officiorum , quæ sunt orationes , & alia suffragia , beneficium percipere possunt . Eas enim maxima premit necessitas , nec eis suppetunt vires , quibus e carcere evadant , quo tenentur inclusæ . Perpetua Ecclesiæ praxis , atque traditio commendat orationes & suffragia pro illis oblata . Liquet ergo caritate nos urgeri , ut illis , quando possumus, quantumque debemus, prodesse studeamus .

Regula Quinta .

Dæmones , ac damnati spiritus caritate diligendi non sunt .

IX. S. Thomas hanc Regulam adstruit art. 11.

ii. hac ratione : quia nomine Dæmonum, ac spirituum damnatorum denotatur natura peccato deformata, & in peccato obdurata, propter quod felicitatis æternæ participes fieri nunquam possunt : adeoque deficiunt a ratione proximi. Quod si consideremus duntaxat naturam a culpa sejunctam, neque sub tali acceptione eos diligere possumus ex caritate, cum eis beatitudinem velle nequaquam possimus : hoc enim esset plus diligere naturam creatam, quam divinam justitiam: quod plane Dei caritati repugnat.

Nihilominus caritas eadem, qua parte bonum vult, quod est gloria Dei, beatitudo æterna, ac cetera omnia, quæ ad gloriam Dei, æternamque beatitudinem conferre possunt, diligit etiam Dæmones, sicut & irrationales creaturas. Unde S. Thomas *possumus*, inquit, *naturam Dæmonis ex caritate diligere, in quantum volumus illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei*.

§. VI.

De Amore, quo possumus prosequi corpus nostrum.

X. Ex objectis, quæ recensuimus, secundariis caritatis remanent postremo *corpora nostra*. Caritate nos eadem diligere posse, ac debere ostendit S. Doctor ibidem art. 5. his verbis : " Corpus nostrum secundum duo " potest considerari. Uno modo *secundum* " *ejus naturam*. Alio modo *secundum cor-* " *ruptionem culpæ & pœnæ*. Natura autem " corporis nostri non est a malo principio " creata, ut Manichæi fabulantur, sed est " a Deo. Unde possumus eo uti ad servi- " tium Dei, secundum illud Rom. 6. *Ex-* " *hibete membra vestra arma justitiæ Deo*. Et " ideo dilectione caritatis, qua diligimus " Deum, debemus etiam corpus nostrum di- " ligere. Sed *infectionem culpæ, & corruptio-* " *nem pœnæ* in corpore nostro diligere non " debemus, sed potius ad ejus remotionem " anhelare desiderio caritatis.

Alia ratio præsto est ad amandum corpus secundum solam ejus naturam: "Nam quam- " vis corpus nostrum Deo frui minime pos- " sit, ipsum cognoscendo, & amando; at- " tamen per opera, quæ per corpus agimus, " ad perfectam Dei fruitionem possumus per- " venire. Ex fruitione autem animæ redun- " dat quædam beatitudo in corpus, scilicet " sanitatis, & incorruptionis vigor : & ideo, " quia corpus aliquo modo particeps est bea- " titudinis, potest dilectione caritatis amari.

Nec quicquam obest, quod caritas cum sit amicitia quædam, ad illos tantum habetur, qui redamare possunt. Corpus autem nostrum non potest nos ex caritate diligere. Respondet enim S. Thomas *ad primum*, quod *redamatio habet locum in amicitia, quæ est ad alterum : non autem in amicitia, quæ est ad seipsum, vel secundum animam, vel secundum corpus*. Id clarius explicuit art. præcedente 4. dicens : " Dupliciter " de caritate loqui possumus. Uno modo " sub communi ratione amicitiæ: & secun- " dum hoc dicendum est, quod amicitia " proprie non habetur ad seipsum, sed ali- " quid majus amicitia : quia amicitia unio- " nem quandam importat. Porro unicuique " ad seipsum est *unitas*, quæ potior est unio- " ne ad alterum. Unde sicut *unitas* est " principium *unionis*, ita amor, quo quis " diligit seipsum, est forma & radix amici- " tiæ : in hoc enim amicitiam habemus ad " alios, quod ad eos nos habemus, sicut " ad nos ipsos. Alio modo possumus loqui " de caritate secundum propriam rationem " ipsius, prout est amicitia hominis ad Deum " principaliter, & ex consequenti ad ea, " quæ sunt Dei, inter quæ est ipse homo, " qui caritatem habet (*pœnes utramque par-* " *tem mentis, & corporis*). Et sic inter " cetera, quæ ex caritate diligit, quasi ad

Deum pertinentia, etiam seipsum ex caritate diligit, " sibi quoad mentem optando, & volendo Dei cognitionem, amorem, & fruitionem: & quoad corpus beatitudinis redundantiam, nempe sanitatis plenitudinem, & vigoris incorruptionem.

CAPUT VII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Ex pluralitate bonorum & subjectorum, quæ diliguntur, non multiplicantur caritatis objecta formalia.*

II. *Homo recte se amat, quando se amat in ordine ad Deum.*

III. *Et quoties ordinat seipsum & alia ad gloriam Dei.*

IV. *Amatores sui dicuntur in Scripturis, qui omnia non ad Deum, sed ad seipsos referunt.*

V. *Caterva vitiorum ex inordinato amore sui tanquam ex infecta radice pullulat.*

VI. *Officia, quæ sibi debet homo, ut se ex caritate diligat, sunt declinare a malo & facere bonum.*

VII. *Peccat contra caritatem sui ipsius, qui diutius in peccato lethali perseverat.*

VIII. *Ex caritate tenemur Proximum actu interiori cordis diligere. Propositiones damnatæ.*

IX. *Illicitum non est peccatorem odisse.*

X. *Nec illi aliquod temporale malum desiderare.*

XI. *Peccant contra caritatem erga defunctos, qui eorum penitus obliviscuntur.*

XII. *Ordinate corpus suum non diligit, qui illud pluris facit quam animam.*

XIII. *Recte vero diligunt, qui illud jejuniis, flagellationibus, aliisque afflictationibus subigunt & macerant.*

Consectarium Primum.

I. Non multiplicantur caritatis objecta *formalia*, ut inquiunt, ex eo, quod caritas præter Deum plura alia bona, ac subjecta diligat; sed hæc omnia attinguntur ab una, & eadem specie caritatis: quoniam sub una eademque ratione caritas Deum & alia diligit propter ipsum; sive, ut inquit D.Thomas q. 25. art. 1. *Ratio diligendi proximum* (atque ita de ceteris) *Deus est*; hoc enim debemus in *proximo diligere, ut in Deo sit*. Hinc cum sibi objecisset 2. loc. *alium esse honorem, qui debetur Deo, qui est honor* latriæ; & alium *honorem, qui debetur creaturæ, qui est honor* duliæ: unde videtur, idem etiam dicendum de amore. Respondet, & solvit objectionem duplici excellentiæ creatæ, cui honor debetur, posita consideratione. Si namque sumatur illa veluti expressio quædam, & imago excellentiæ increatæ, sive divinæ, eumdem exposcit honorem, & cultum, qui Deo debetur. Si autem sumatur, ut propria quædam, ac sublimis perfectio, qua v. g. Sancti præcellunt ceteris hominibus, tunc eos inferiore cultu, longeque ab illo, quem Deo exhibemus, diverso colimus, & honoramus. Unde specie iste distinguitur propter specificam diversam rationem. Sed hoc non est in caritate Dei, & proximi, quia eadem est specifica ratio amandi utrumque.

Consectarium Secundum

II. Sicut nemo bene seipsum amat, quoties amat se ex principio cupiditatis, quoniam ex infecta radice nullus fructus bonus produci potest; ita bene semper se amat, quando se amat in ordine ad Deum, sive ex principio caritatis: quia ex radice intrinsece sancta, & in bonos prodire fructus potest. Atque hoc sensu intelliguntur ea Christi

vo-

verba : *Non potest arbor mala bonos fructus facere : neque arbor bona malos fructus facere*: non quod homo malus, & peccator non possit aliquando elicere aliquod opus saltem moraliter bonum & honestum : sed quando opus, quodcumque sit, facit ex cupiditate movente & imperante; hoc principium malum semper inficit, & corrumpit quodcumque opus alias etiam honestum, & bonum. Et e converso, non quod homo tectus & justus non possit efficere quandoque opus aliquod malum, puta peccatum veniale : sed quia cum ad operandum movetur ex caritate, omne, quod peragit, bonum est, nisi ex aliquo capite sit bonitatis recipiendæ incapax; ut si opus ex natura sua, aut ex circumstantiis malum sit : siquidem sicuti bonum est *ex integra causa*, ut dicitur, ita malum ex quocumque defectu.

Consectarium Tertium.

III. Toties homo operatur ex caritate, atque adeo vere amat seipsum, quoties ordinat seipsum, & alia sua ad gloriam Dei, quæritque Dei possessionem ac fruitionem : quoniam iste est proprius caritatis effectus, sive, ut verius dicam, character essentialis caritatis : *Caritatem voco*, inquit S. Augustinus, *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximo propter Deum* : sicut e contra definivetat cupiditatem, *motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum*. Hinc fit, quod totus amor, quem habere debet homo erga seipsum, necesse est quod tendat demum ad unionem cum Deo; quandoquidem nonnisi in hac unione invenire potest finem motuum omnium animi sui. Tunc etenim, ait idem S. Doctor lib. 1. de *Doctr. Christ.* cap. 22. *Optimus est homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem*, prosequitur, *se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile quid convertitur : & propterea jam cum defectu aliquo se fruitur : quia melior, cum totus hæret atque constringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad seipsum relaxatur*.

Consectarium Quartum

IV. Qui se & omnia alia non referunt in Deum, sed potius ad seipsos, dicuntur per vituperium *amatores sui* in Sacra Scriptura; ut cum 2. ad Timoth. dicitur : *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines seipsos amantes &c.* Quem textum ita exponit Doctor Angelicus hic art. 4. ad 3. his verbis : *Amantes seipsos vituperantur, in quantum amant se secundum naturam sensibilem, cui obtemperant : quod non est vere amare seipsum secundum naturam rationalem, ut sibi velint ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis. Et hoc modo præcipue ad caritatem pertinet diligere seipsum*.

Consectarium Quintum.

V. Catervam vitiorum, quæ ex hoc amore sui inordinato, sive, quod perinde est, ex cupiditate prodeunt, luculenter describit ibid. Apostolus Paulus, dum post ea verba : *In novissimis diebus &c. erunt homines seipsos amantes*, ut ostenderet quid ex hoc *pravo sui amore* sequatur, e vestigio subdit : *Cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes &c. Ex his sunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, &*

nun-

nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Quemadmodum autem Jannes, & Mambres restiterunt Moysi; sic & hi resistunt veritati, homines corrupti mente reprobi circa fidem. Ita S. Apostolus. An hæc *tempora periculosa*, quæ futura prædixit *in novissimis diebus*, temporibus nostris jam advenerint, & quinam sint ejusmodi *homines seipsos amantes &c.* aliorum judicio relinquo. Utinam eveniant quæ promit statim sequentibus verbis Apostolus, dum ait: *Sed ultra non proficient: insipientia enim illorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum* [Jannes scilicet & Mambres] *fuit*. Interim legatur Commentarium S. Thomæ in hunc textum Apostoli.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Officia, quæ sibi debet homo ut se ex caritate, atque ita vere diligat, & quæ exequi omnino tenetur, alia non sunt præter *justitiam*, quo nomine non peculiarem, sed communem virtutem intelligo: neque enim absque exercitatione justitiæ ad Dei possessionem, fruitionemque pervenire potest. Ad hanc justitiam assequendam, & exequendam essentialiter caritas tendit; cum sit *motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, & proximo propter Deum*. Hæc justitia in duobus adimplendis præceptis posita est, nimirum, *Declina a malo, & fac bonum*, sive, ut ait Apostolus ad Rom. cap. 12. *Odientes malum, adhærentes bono*. Locus hic non est peculiariter designare omnia mala, quæ caritas nobis ipsis debita vitare docet, atque urget, neque bona omnia, quæ indefesso studio exequi oporteat. Multa enim jam de hoc diximus de vitiis capitalibus agentes, aliaque non pauca dicemus Decalogi præcepta explanantes.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Peccat contra caritatem sui ipsius, qui in lethali peccato perseverat. Ita aperte docet S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 8. scribens: *Manifestum est autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur statim peccatum deserere, secundum illud Eccles. 21. Quasi a facie colubri fuge peccata*. Inculcant etiam luculenta Scripturæ testimonia Psal. 44. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Eccles. 5. *Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Isajæ 4. *Vocavi, & renuistis ..... despexistis consilium meum; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos*. Nec aliter prædicant Patres, quam maturandam esse pœnitentiam a peccatoribus, nec differendam. S. Ambrosius *lib. 7. in Lucam* scribit: *In superioribus vigilare nos voluit per omnia expectantes momenta Domini Salvatoris adventum, ne dum aliquis remittit, & negligit, & de die in diem opera sua differt, judicii futuri die vel propria morte præventus meritum suæ emendationis amittat. Et illa quidem in omnes precepti forma generalis*. Et revera quis non perspiciat, illum peccare, qui voluntarie in affectu peccati permanet, & immoratur? Porro qui miserandum suæ conditionis statum agnoscit, & ab eo emergendi promptam paratamque occasionem negligit, voluntarie in peccato persistere convincitur: peccat igitur, seque ipsum non amare sed odisse convincitur. Sed de hoc iterum, cum de Pœnitentiæ Sacramento agam.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Cum caritas erga proximum nos compellat ad summum illud bonum, quod nobis ipsis maxime optamus, æternam scilicet beatitudinem, sincero corde ei desiderandum, merito Decreto Innoc. XI. damnatæ

natæ sunt sequentes propositiones 2. Martii an. 1679. nimirum 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*. Et 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*. Necessitatem hujus internæ dilectionis agnoscit & supponit S. Thom. pluribus in locis; nam 2. 2. q. 25. art. 8. dicit: *Oportet, ut aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat*. In quibus verbis S. Doctor manifeste indicat, esse admittendam internam generalem caritatem, a qua nec inimici excludantur. Sed clarius hoc docet ibid. art. 9. scribens: *Dicendum, quod affectus & signa caritatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionentur. Dilectio autem interior ad inimicum in communi quidem est de necessitate præcepti absolute*. Et q. 26. art. 7. repetit: *Interior affectio debet respondere exteriori affectui*.

Consectarium nonum.

IX. Illicitum non est peccatorem odisse solum propter ejus scelera, & vitia, hoc enim idem est ac in ipsis odisse peccata. Hoc autem odium suam trahit originem a caritate, quæ sicuti Deum summum bonum diligendo prosequitur, ita illud omne dictat esse respuendum, quod eidem bono contrarium est. Porro nihil est Deo invisum magis quam vitium & peccatum: ideoque ipsa est, quæ dictat illud esse fugiendum ac odio habendum.

Consectarium Decimum.

X. Licitum etiam est temporale aliquod malum peccatoribus exoptare, hac ratione, ut resipiscant, & corrigantur; quod enim sic expetitur, malum absolute non est, sed quid bonum: *vexatio enim dat intellectum*, idest, ut Sacræ Scripturæ interpretes exponunt, mentis oculos aperit, ut quæ tepronbanda sunt, & quæ agenda videant. Idque Scripturæ Sanctæ adprobant Psalm. 6. *Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei, convertantur & erubescant valde velociter*. Et D. Paulus ad Galat. 5. *Utinam abscindantur qui vos conturbant*. Quare optime docet Angelicus 2. 2. q. 83. art. 8. ad 3. *Licitum est impugnare inimicos, ut compescantur a peccatis, quod cedit in bonum eorum, & aliorum; & sic licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum ut corrigantur*. Quod luculentissima ratione ostendit in 3. sent. Dist. 30. art. 1. ad 4. *Dicendum, quod caritas attendit ad quædam bona per se, scilicet ad bona gratiæ, ad quædam autem per accidens, in quantum ad illa ordinantur. Bona autem temporalia, quæ per accidens caritas attendit, & ex consequenti, possunt se invicem in diversis impedire, quia prosperitas unius inducit adversitatem alterius. Unde quia caritas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se quam alium, & propinquos quam extraneos, & amicos quam inimicos, & bonum commune multorum quam bonum privatum unius, potest aliquis salva caritate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingat; non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum bonorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel Communitatis, vel Ecclesiæ. Similiter de malo ejus, qui in malum temporale incidit, secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus*. Hæc quidem verissima sunt, sed cavendum, ne nobis philautia illudat, dum scilicet hostibus nostris propriis mortem, vel alia mala imprecamur, vel de illis gaudemus sub obtentu alicujus, quod timemus, temporalis mali vitandi: facile enim livor subrepit, & non caritate, sed latente odio movemur. Vide quæ diximus Tract. 3. de Officiis hom. cap. 10. Consect. 10. & seq.

CON-

CONSECTARIUM UNDECIMUM .

XI. Qui legata pia, piasque Teſtatorum voluntates non implent, contra juſtitiam peccant, & caritatem violant qui defunctorum parentum, vel conſanguineorum penitus obliviſcuntur, & licet fortaſſis non leves vel divitias vel facultates ab eis obtinuerint, unde laute vivant, & etiam luxurientur, raro tamen aliquid pauperibus in eorum ſuffragium erogant, vel Sacrificia pro iis celebranda curant, & fortaſſis nec precibus aut orationibus auxiliantur: hinc merito defunctorum animæ conqueri poſſunt cum Regio Pſalte: *Oblivioni datus ſum tanquam mortuus a corde, & non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini ſuper nos, benediximus vobis in nomine Domini* .

CONSECTARIUM DUODECIMUM .

XII. Ordinate corpus ſuum non diligit, qui illud pluris facit quam animam, qui totam ſuam exerit curam in eo nutriendo, fovendo, & curando, dum interim ſpiritualem & interiorem hominem non negligit ſolum, ſed ſuo corpori præfert. Hinc optime ſcribit S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 7. *Mali æſtimant principale in ſe ipſis naturam ſenſitivam, & corporalem, ſcilicet exteriorem hominem, Unde non recte cognoſcentes ſeipſos, non vere diligunt ſeipſos; ſed diligunt id quod ſe ipſos putant . . . . . Mali amant ſeipſos ſecundum corruptionem exterioris hominis; Bo autem boni non amant ſeipſos* .

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM .

XIII. Recti ordinatique amatores corporis ſui habendi ſunt tum Pœnitentes, tum innocentes, qui illud jejuniis, flagellationibus, aliiſque afflictionibus macerant, & ſubigunt. Nam ut optime docet D. Angelicus 2. 2. q. 25. art. 5. *Infectionem culpæ, & corruptionem pœnæ in corpore noſtro diligere non debemus, ſed potius ad ejus remotionem anhelare deſiderio caritatis* . Ad removendam ſiquidem culpæ corruptionem quam maxime conducunt præfata mortificationis opera; unde & Apoſtolus ajebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne dum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Virtutis etiam pœnitentiæ officia ſunt præfata laborioſa opera, ut ſuo loco dicemus, & per pœnitentiam juſtiſſime homo punit in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando. Nec quiſpiam etiam innocens debet ſine pœnitentia ex vita decedere: quod quam verum ſit luculentiſſime oſtendunt tot viri Sancti & innocentiſſimæ Virgines, qui perpetuum ſuo corpori bellum indixere, atque illud ſpiritui ſubigere non deſtiterunt.

CAPUT VIII.

De neceſſitate & præcepto Deum diligendi, & de tempore quo urget, ac de modo implendi .

D O C T R I N A .

I. *Extat præceptum de dilectione Dei proprium & peculiare, quod inculcant Scripturæ & Patres* .

II. *Tempora, quando urget hoc præceptum definiuntur* .

III. *Tenetur ad Deum diligendum homo cum primo pervenit ad uſum rationis* .

IV. *Et in fine vitæ rationalis, vel in periculo probabili mortis* .

V. *Reliquo vitæ tempore adeo frequenter exercere debet actus amoris, ut aliquo modo Deum ſemper diligere cenſeatur* .

VI. *Sunt & alia tempora, in quibus præceptum caritatis urget per accidens* .

VII. *Duplex amor Dei appretiationis, & intenſionis* .

VIII.

VIII. *Ad impletionem præcepti requiritur uterque amor, & quidem non qualiscumque.*

IX. *Intensio non est ex appetitu sensitivo pensanda.*

X. *Iterum duplex amor affectivus, & effectivus.*

XI. *Relatio operum in Deum non est consilii, sed præcepti.*

XII. *Triplex relatio habitualis, actualis, virtualis.*

XIII. *Ad implendum præceptum non sufficit habitualis, non est necessaria semper actualis, satis est virtualis.*

§. I.

De necessitate diligendi Deum.

I. MIRUM profecto est, extitisse Theologos, qui necessitatem, & præceptum amandi Deum, aut eliciendi expressos amoris actus aut penitus inficiati sunt, aut ad nihilum ferme redegerunt, dum docent, præcepto caritatis *Deum nihil præcise aliud a nobis exigere, quam ut ipsi in aliis mandatis pareamus, & non tam præcipit amorem sui, quam odium vetat, sive formale, & actuale, quod non humanum, sed diabolicum est, sive materiale, quod in mandatorum transgressione positum est.* Verba sunt Sirmondi in definitione virtutis Tract. tr. sect. 2. cap. 2.

Certum est, internum caritatis affectum omnibus ratione utentibus necessarium esse ad æternam salutem obtinendam, & ad justitiam saltem conservandam. Necessitatem ipsius ad salutem absolute assero, & ad justitiam saltem conservandam, tum propter eos, qui ad usum rationis, jam baptismate sanctificati perveniunt, tum propter eorum opinionem (si cui placeat) qui censet, justitiam obtineri posse sola servili attritione in Sacramento Pœnitentiæ.

Ad hanc veritatem confirmandam præsto sunt Scripturarum testimonia. Adolescenti, qui interrogaverat Divinum Magistrum *Matth.* c. 19. quid faciendum ipsi foret, ut vitam consequeretur æternam, respondit ille: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Alteri vero, idest Legisperito apud eumdem Matth. c. 22. sciscitanti, quodnam sit mandatum magnum in lege? respondit Jesus: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum.* Igitur hoc vel maxime servandum erit ad æternæ vitæ consecutionem.

Digna sunt animadversione verba Moysis, quibus hæc dilectio præcipitur in lege Deut. c. 6. *Audi Israel Dominus Deus noster, Dominus unus est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis, ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Quis internum dilectionis Dei affectum negare audebit divino præscriptum esse mandato?

Necessitatem ejus ad vitam æternam declarat rursus Christus Dominus in facto Legisperiti apud Lucam c. 10. interrogantis, *quid faciendo vitam æternam possiderem?* atque cum verba Legis attulisset, *Diliges Dominum Deum tuum &c. Hoc fac*, respondit Jesus, *& vives.* Sed neque præcepta alia posse impleri, prout oportet ad salutem, absque dilectione Dei Scriptura docet apud Joan. c. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; qui non diligit me sermonem meum non servat.* Et in Ep. 1. c. 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit manet in morte.* Demum, ut alia omittam, apud Jacobum c. 1. expresse asseritur: *Coronam vitæ repromissam esse diligentibus Deum.*

Eamdem veritatem confirmat, & pulcre illustrat S. Th. 1. 2. q. 100. art. 10. scribens: *Actus*

Actus caritatis dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est quidam actus per se, & hoc modo cadit sub praecepto legis, quod de hac specialiter datur, scilicet Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum. Et 2. 2. q. 44. a. 2. ad 4. *Praecepta dantur de actibus virtutum, & ideo oportuit esse plura praecepta caritatis*. Et a. 2. *Cum praecepta dentur de actibus virtutum, hoc modo aliquis actus cadit sub praecepto, secundum quod est actus virtutis*.

§. II.

Dilectionis divinæ præcepti tempora definiuntur.

II. Præceptum dilectionis Dei & negativum est, & positivum. Quatenus negativum imponit, ut nihil unquam faciamus, vel cogitemus, quod divinæ dilectioni quoquo modo opponatur, & obligat, ut loquuntur Theologi, *semper & pro semper*. Quatenus vero positivum est, præcipit, ut aliquoties in actus amoris prorumpamus. Tempus autem quo urgeat definiendum est. Unde fit

Regula Prima.

Tenetur homo diligere Deum cum primo ad instans usus rationis pervenit.

III. Probatur ex S. Fulgentio lib. 1. ad Monimum c. 18. ubi ait: *Creaturæ rationali alia beatitudo nec potuit, nec potest esse, nec poterit, nisi ut agnoscens a quo non solum facta, sed etiam a quo rationalis est, majorem dilectionem exhibeat bono Creatori, quam sibi. Neque enim ei inesse potest ulla-tenus ratio, nisi ei posset Creatoris inesse dilectio: quia nec est alia, quæ vera sit sapientia, vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio Creatoris*. Hoc est, rationem acceperunt homines, ut finem ultimum, in quem tenderent, agnoscerent. In eo porro, quod instans usus rationis dicitur, expedita fit ratio, & par fini discernendo. Igitur æquitas rei postulat ac adstringit homines ad hanc veri ultimi finis discretionem, ejusque amorem.

Confirmatur D. Thomæ authoritate, & ratione, quam habet 1. 2. q. 89. a. 6. his verbis: *Cum usum rationis habere incœperit homo ..... primo quod illi cogitandum occurrit, est deliberare de seipso* [hoc est se in ultimum debitum finem ordinare]. *Igitur qui non ordinat seipsum ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter non faciens quod in se est*. Et clarius in resp. ad 3. dicit: *Ab aliis peccatis mortalibus potest puer incipiens habere usum rationis per aliquod tempus abstinere, sed a peccato omissionis prædictæ non liberatur, nisi quam cito potest, se convertat ad Deum: primum enim quod occurrit homini discretionem habenti, est quod de ipso cogitet, ad quem alia ordinet* [& procul dubio etiam seipsum] *sicut ad finem. Finis autem est prior in intentione. Et ideo hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit*: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Zach. 1. vers. 3.

Regula Secunda.

Præceptum dilectionis Dei instat in fine vitæ rationalis, aut probabili mortis periculo.

IV. Hujus regulæ ratio depromitur ex multis, quæ tunc temporis occurrunt gravissimis circumstantiis. Tunc enim ad æternam beatitudinem sibi promerendam debet homo studium omne, omnesque conatus adhibere; quod certe fieri non potest nisi Deum amando. Tunc ultimum hujus mortalis vitæ facti-

sacrificium Deo offerendum est, ut sicuti *si vivimus, Domino vivimus, ita si morimur, Domino morimur*, ut scribit Apostolus ad Rom. c. 14. v. 8. Caritas vero est, quæ nos Deo vivere facit, Deoque mori. Tunc insurgere solent graviores tentationes, quibus vincendis meliori quo possumus ac debemus modo sola caritas par est. Tunc demum pro gravitatis periculo tenetur homo tutiora quæque adhibere media, quibus consulat æternæ saluti suæ; aliud vero medium non est præter caritatem, quæ justos efficiat homines, vitamque promereatur æternam.

Regula Tertia.

Reliquo vitæ tempore non potest homo absque lethalis culpæ reatu diu intermittere dilectionis actum, sed illum adeo frequenter exercere debet, ut aliquo modo Deum semper diligere censeatur.

V. Id exposcit primo gravitas mandati de diligendo Deo, quod est maximum in lege, & legis plenitudo. Accedit summa dilectionis necessitas aut momentum, a quo bona cuncta procedunt, & proprium accipiunt complementum opera nostra bona, ac meriti valorem obtinent. Id exposcit præterea modus ipse dilectionis, qui nobis præscribitur: Nam Deum diligere debemus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, quod plene non præstat qui dilectionis actum intermittit.

Hoc etiam postulat ipsa indoles ac natura amoris, cui repugnant inertia & otiositas. Igni & flammæ comparatur caritas in Canticis c. 8. & S. Aug. *Enarrat.* 2. *in Psal.* 31. ita de ea scribit: *Ipsa dilectio vacare non potest ..... Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem*. Paris tradit S. Greg. M. hom. 30. in Evang. *Nunquam est Dei amor otiosus, operatur enim magna si est; si vero operari renuit, amor non est.*

Urget eamdem dilectionis actus frequentiam imposita cuique obligatio totis viribus enitendi, ut in justitia christiana, quæ caritas præcipue est, crescat. Hæc *justorum semita* dicitur Proverb. c. 4. *procedere, & crescere usque ad perfectum diem*. Jubet etiam Apostolus Epist. 2. c. 3 nos crescere in caritate: quod sine actuum frequentatione haberi nequit.

Regula Quarta.

Præter præfata tempora, in quibus per se urget præceptum dilectionis, sunt & alia, in quibus obligat per accidens.

VI. Hæc enumerantur a Theologis, & sic statuuntur. I. Quotiescumque aliquis peccator ad Deum vult, vel tenetur converti, nec ad Pœnitentiæ Sacramentum valet accedere. II. Si debeat Sacramenta vel recipere, vel administrare eodem in casu. III. Si urgeat gravis aliqua tentatio odii Dei; non enim fortius repellitur, quam elicito divini amoris actu. Qui vero hac tentatione pulsantur, illi sunt, de quibus Aug. *Tract.* 40. *in Joan.* scribit: *O miseros homines, qui cum esse volunt mali, nolunt esse veritatem, qua damnantur mala. Nolunt enim eam esse quod est, cum seipsos debeant nolle esse quod sunt, ut ipsa monente mutentur, ne ipsa judicante damnentur*. IV. Cum Deum audimus a libertinis aperte contemni, blasphemiis nomen ejus dilacerari, vel aliquod aliud enorme scelus perpetrari, præsertim si aperta fieri malitia conspiciatur, & in contemptum divinæ Majestatis. Tunc enim noster erga Deum filialis amor postulare videtur, ut Dei offensam & injuriam pensemus caritatis actu & si quæ sunt aliæ occasiones.

§. III.

De modo dilectionis Dei.

VII. Duplicem distinguunt Theologi Dei amorem, alium videlicet quem appretiationis vocant, alium intensionis. Appretiatio autem duplex esse potest, nimirum intellectus, & voluntatis. Prior in judicio consistit, quo judicamus Deum esse summum bonum, creaturis omnibus infinite excellentissimum, adeoque ipsis præferendum. Et hæc appretiatio ab omni amore disjungi potest, & locum habere etiam in scelestissimis peccatoribus, obduratis etiam & obcæcatis, in quibus tamen nec scintilla est divini amoris. Sequitur enim hæc cognitio ex ipsa notione Dei, quem omnes fatentur, illud esse quo nihil melius sit, aut esse possit; & hæc appretiatio, ut patet, latitudinem non admittit, sive, ut Scholastici loqui amant, non suscipit magis & minus; in judicio enim consistit plene indivisibili.

Alia vero appretiatio voluntatis est, qua non solum judicamus Deum esse creaturis omnibus amabiliorem, eisque præferendum; sed revera actu voluntatis nostræ in ipsum ut talem ferimur, ipsum ut talem respicimus, & in ipsum anhelamus. Et hæc appretiatio voluntatis, ut patet, aliud non est, quam amor & dilectio.

Amor vero, qui intensionis dicitur, consistit in modo tendendi in ipsum Deum, qui latitudinem patitur, & major vel minor esse potest. Unde communis est caritatis etiam justificantis distinctio in inchoatam, proficientem, & perfectam. Audiatur S. Th. 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2. *Esse infimum divinæ dilectionis gradum, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur: a quo perfectionis gradu qui decidit, nullo modo implet præceptum* (diligendi Deum). *Est autem alius gradus perfectæ dilectionis, qui non potest impleri in via, ut dictum est a. 2. a quo qui deficit manifestum est, quod non est transgressor præcepti. Et similiter non est transgressor præcepti, qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum.*

VIII. Ad impletionem igitur præcepti caritatis, quando urget, non sufficit quæcumque appretiatio, quicumque amor sed talis appretiatio quæ sit super omnia, ac proinde talis amor, qui pariter sit super omnia. Quid enim est appretiatio voluntatis nisi amor & dilectio? Hinc appretiatio summa est summus amor. Quid autem magnus amor, nisi intensus amor? Quid autem amor respective intensior affectu creaturarum, nisi respective, seu aliis amoribus major? Ergo si in voluntate major Dei, quam creaturæ, appretiatio esse debet, major, idest intensior amor erga Deum in eadem reperiatur oportet. Reperietur autem, si eas servet conditiones, quas præstituit S. Th. loc. mox cit. nimirum, *ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur.* Recolantur ea, quæ diximus superius in hac differt. cap. 2. §. 4.

Verum ad difficultates amovendas, quæ statim cuique in hac sententia occurrunt, illud est notandum. Cum diximus Deum esse diligendum *super omnia amore summo & intenso*, non illud intelligimus, quasi Deum diligere teneamur, ex caritatis præcepto, amore absolute summo intensive, omnes exerentes animæ nostræ vires ultra quam progredi non valent; hoc enim semper sollicita & anxia redderet fidelium Deum diligentium corda, cum nunquam nosse valeant, num eorum amor sit intensissimus. Præterquam quod caritas & amor Dei semper magis magisque augeri potest. Sed hoc unum volumus, & dicimus, teneri hominem Deum majore dilectione prosequi, majorique conatu diligere, quam creaturas: & in hoc sen-

fu

su verum est, nos summe diligere Deum etiam intensive, nempe comparate ad cæteros creaturarum amores.

IX. Immo & illud addimus, hanc amoris intensionem non esse ex sensu & sensitiva parte pensandam: sic putandum non est matris, quæ tenere filium suum deperit, affectum erga filium semper esse majorem, & vincere affectum, quo Deum diligat. Siquidem illa teneritudo non necessario majorem supponit intensionem; sed ex objecti conditione proficiscitur: quod sensus vividius percellit. Ea propter Doctor Angel. in suppl. q. 5. a. 3. duplicem distinguit in contritione dolorem; unum *rationis* in voluntate; alterum *in sensu*; & *Parvitas*, subdit, *hujus doloris non impedit rationem contritionis, quia non se habet per se ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adjungitur, & iterum non est in potestate nostra*. Quod procul dubio & de amore dici potest: contingere enim quandoque potest, ut sit amor rationis magnus, & in sensu parvus, & ex opposito amor in sensu magnus, & in voluntate exiguus. Ab intensione itaque sive amoris, sive doloris est secernenda sensibilitas, sive teneritudo, vel quæ ex redundantia in appetitum sentientem pendet, vel quæ fortasse etiam in ipsa voluntate locum obtinere quandoque potest. Immo etiam illud addimus. Cum dicimus, Dei amorem justificantem prævalere debere gradu intensionis cæteros creaturarum amores, de liberis deliberatis intelligimus, non vero de necessariis & indeliberatis, vel concupiscentiæ motibus, vel intensissimi amoris creaturarum, ex præcedentibus peccatorum actibus generati, qui gradus vehementiæ non semper possunt justificantem caritatem superare. Nam concupiscentiæ motus ad sentientem pertinent appetitum, & citra voluntatis consensum animæ nocere non possunt, nec est in nostra potestate illos impedire, sicut nec uno actu habitus pravos extirpare.

X. Iterum duplex distinguitur amor, præsertim in animabus justis, alius qui affectivus dicitur, alius effectivus. Prior ille est, qui justorum animas amoris affectibus inflammat ad volendum Deo bona sua, ad gaudendum de perfectionibus Dei, ad suspirandam ipsius præsentiam, ad aliosque similes affectus urget, atque impellit. Alter vero, scilicet effectivus, justum movet ad custodienda fideliter mandata, ad consilia amplectenda, ad divinum placitum exequendum, adeoque supra dulcedinem & teneritudinem amoris, operum etiam efficacitatem adjungit. Uterque amor in veros erumpit caritatis actus, licet primus immediate ipsum Deum in se respiciat, alter vero solum mediate vel mandatorum observantiam, vel aliam boni operis executionem.

§. IV.

De relatione operum in Deum.

XI. Relationem nostrorum operum in Deum non esse consilii tantum, sed præcepti, manifeste patet ex primo ac maximo præcepto, quo jubet Deus Deuter. 6. v. 5. & Matth. 27. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis*. Quæ verba expendens D. Thom. sic commentatur 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. *Sub præcepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde. Ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præcepta caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referuntur in Deum*. Confirmant idem præceptum verba Apostoli 1. ad Corinth. c. 10. v. 31. scribentis: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Quæ verba sic exponit S. Th. 2. sent. dist. 40.

40. q. 1. ar. 5. ad 7. dicens : *Dicendum quod hoc , quod dicit , Omnia in gloriam Dei facite , potest intelligi dupliciter ; vel affirmative , vel negative . Si negative ; sic est sensus : nihil contra Deum faciatis : & hoc modo præceptum est ; & hoc præceptum præteritur vel per peccatum mortale , quod contra Deum fit , vel per peccatum veniale , quod præter præceptum , & præter Deum fit . Si autem intelligatur affirmative , hoc potest esse dupliciter . Aut ita , quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuique , non quidem in actu , sed in virtute , secundum quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus ...... Et sic adhuc præceptum est , & contingit omissionem ejus esse venialem , vel mortalem , sicut dictum est. Vel ita quod ordinatio actualis in Deum sit actu conjuncta cuilibet actioni nostræ . Et sic potest intelligi dupliciter ; vel distributive, vel collective . Si distributive , sic est sensus : quamcumque actionem facitis ; melius est si eam actu in Deum ordinetis , & sic est consilium . Si autem sumatur collective , sic est sensus : omnia opera vestra ita faciatis , quod nullum eorum sit quin actu in Deum ordinetis: & hoc nec præceptum , nec consilium est , sed finis præcepti , ad quod per impletionem præceptorum pervenitur* . Sed de Relatione operum in Deum vide quæ fuse dicta sunt Tract. 3. c. 9. §. 4.

XII. Triplicem merito distinguunt Theologi relationem in Deum , habitualem scilicet , actualem , & virtualem . Hanc virtualem antiquiores Theologi aliquando habitualem vocant , qui tamen alteram cum altera ad rem quod attinet confundunt . Porro habitualis relatio non sita est in præsenti aliquo amore Dei , quo referantur opera in Deum , nec est amor Dei qui præcesserit , ac permanere virtute censeatur , sed est potestas , quam quis habet , amandi Deum , eoque amore referendi opera in finem amatum , quæ potestas in caritatis habitu fundatur , qui concipitur velut intimum principium amoris , eamque S. Th. in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. ad 6. in eo cognoscit , *qui habet caritatem , per quam est habilis ad referendum* . Proinde q. 2. de caritate a. 2 ad 3. scribit : *Habitualiter refert in Deum etiam qui nihil nec aliquid actualiter intendit ut dormiens . Virtualis autem relatio est illa quæ permanet , & perseverat virtute præcedentium actuum* . Tres propterea postulat conditiones : 1. ut præcesserit explicitus aliquis dilectionis actus, quo opus nostrum , vel seriem operum peragendorum in Deum ordinaverimus . 2. Ne aliquo actu contrario prædicta caritatis intentio , & applicatio fuerit revocata ; immo nec tempus adeo longum fluxerit , ut inter varias diversasque humanæ vitæ distractiones , eadem intensio censeatur omnino interrupta . 3. Ut & intentio , & applicatio in aliqua virtute perseveret , qua veluti moti & excitati sequentes quos elicimus actus , facere vel agere dicamus . Nihil diximus , quod non sit ex D. Thomæ doctrina depromptum . Sic enim docet ille 2. sent. disput. 28. a. 1. ad 4. *Oportet , quod prius fuerit cognitio* [& amor] *de fine , qui est caritas , vel Deus , & quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit , ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur* . Et quæst. 11. de Carit. a. 11. ad 2. rursum dicit : *Quod omnia virtute referantur in Deum hoc pertinet ad perfectionem caritatis , ad quam omnes tenentur . Ad cujus evidentiam considerandum est , quod sicuti in causis efficientibus virtus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus , ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis . Unde quicumque intendit finem secundarium , virtute intendit finem principalem . Sicut Medicus dum colligit*

herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortasse cogitans de sanitate, virtualiter tamen intendit sanitatem [quam scilicet jam actu præcedente ceu finem sibi præstituerat] *propter quam potionem dat*. Doctori Angelico adstipulatur Doctor Seraphicus, quapropter in 2. sent. sic scribit. *Ad hoc quod aliqua actio sit meritoria, non oportet, quod quis eam referat actualiter in Deum, sed sufficit relatio habitualis* (usurpat antiquorum Theologorum more habituale pro virtuali), *Habitualem autem relationem voco, non quia habeat quis caritatem, per quam sit habilis ad referendum, sed quia in primordio operationis illius, vel alterius, ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam. Unde si aliquis intendat dare propter Deum centum marcas, & incipit dare, & cogitat de Deo in primo marca, & in aliis non cogitat, nihilominus omnes dationes illæ sunt ei meritoriæ, & fructuosæ. Si autem opus alterius generis inciperet, oportet quod intentio renovetur ad hoc, ut opus sit meritorium*. Actualis denique illa est, qua actu per caritatem opus nostrum ad Deum referimus.

XIII. Ad implendum præceptum relationis operum nostrorum in Deum non est necessaria relatio actualis, non sufficit habitualis, sed idonea est virtualis. Primam partem aperte docet D. Angelic. cit. q. 2. de carit. a. 11. scribens: *Omnia actu referre in Deum non est possibile in hac vita; sicut non est possibile, quod semper de Deo cogitetur: hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ*. Alteram partem pariter evincit Doctor Angelic. in 2. sent. dist. 40. q. 1. a. 5. ad 6. scribens. *Non sufficit habitualis ordinatio actus in Deum, quia ex hoc quod est in habitu nullus meretur, sed ex hoc quod actum operatur*. Tertiam partem idem S. Doctor evincit locis numero præcedente recitatis.

CAPUT IX.

DOCTRINÆ CONSECTARIA.

I. *Propositiones a Summis Pontificibus merito damnatæ.*

II. *Ad implendum praeceptum caritatis non sufficit amor naturalis, sed supernaturalis requiritur.*

III. *Non quilibet actus etiam supernaturalis sufficit.*

IV. *Non est illicitum creaturam actu magis intenso diligere quam Deum.*

V. *Peccator quando urget præceptum caritatis tenetur accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ cum caritate justificante.*

VI. *Præceptum diligendi Deum per se obligat ad frequens illius exercitium, ita ut non multo tempore differatur.*

VII. *Justus non debet sibi blandiri de habitu caritatis sed debet in actus prorumpere.*

VIII. *Quid judicandum de Rusticis circa omissionem actus caritatis.*

IX. *Relatio operum in Deum est in præcepto, quando urgeat.*

X. *Ad illud implendum sufficit relatio virtualis.*

XI. *Abrumpitur per lethale peccatum.*

XII. *Et etiam per veniale, sed non totaliter.*

XIII. *Desinere potest per diuturnam omissionem.*

XIV. *Ut actus omnium virtutum sint meritorii, necesse est, ut a caritate imperante prodeant.*

XV. *Quinam directe & per se præceptum violent caritatis?*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. MERITO damnatæ fuerunt a Summis Pontificibus sequentes non opiniones, sed opinionum monstra, quæ humana

na mens suæ relicta aberrationi excogitavit. Ab Alex. VII. anno 1665. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei; caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ab Alex. VIII. anno 1690. *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* Ab Innoc. XI. anno 1669. quinta in ordine, *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. 6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Caritatis erga Deum. 7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* Hisce admodum affinem puto propositionem P. Castropalai tract. 6. disp. 1. punct. 4. n. 10. *Hac obligatione* [diligendi Deum . *existimo quemlibet adultum teneri non singulis annis, ut placuit Petro de Ledesma, quia hoc est nimis durum, & nullo firmo fundamento innititur. Sed aliquoties in vita . . . . . Reputarem autem durationem trium annorum esse gravem.*

Consectarium Secundum.

II. Ad implendum præceptum dilectionis Dei non sufficit amor naturalis, sed supernaturalis requiritur. Hoc siquidem præceptum non a lege solum naturali proficiscitur, sed abEvangelica,quæ lex gratiæ est,præcipitur. Præterea esse debet actus virtutis Theologicæ, quæ per se virtutes sunt divinæ, & supernaturales; ea propter sicut fides & spes actus jubent supernaturales, quis inficiabitur & potiori jure caritatem, quæ omnium virtutum maxima est, maximum quoque mandatum imperare de Deo ut de fine supernaturali? Denique jubemur Deum diligere ut ultimum finem nobis per fidem propositum, idest tanquam gratiarum, donorumque omnium largitorem, & qui non visio e sui abstractiva, sed intuitiva beare nos debet: porro sub hoc aspectu non auctor est naturæ, sed gratiæ, non beatitudinis naturalis, sed supernaturalis largitor: ergo est supernaturali diligendus amore. Rejicienda itaque est ut improbabilis & falsa doctrina Sanchezii & Castropalai. Quorum primus *lib. 2. in Decal. cap. 35. n. 4.* licet doceat, hoc primo & maximo mandato præcipi quidem amorem supernaturalem; addit tamen aliquibus in casibus & naturalem satis esse posse. Alter vero *tract. 6. disp. 1. punct. 3. n. 2.* asserit, hoc præcepto nec supernaturalem nec naturalem amorem præcipi, *sed solum ut ames Deum super omnia ob ejus infinitam bonitatem quantum cum Dei gratia possis . . . . . quia in tua potestate situm non est amore supernaturali potius; quam naturali prosequi.*

Consectarium Tertium.

III. Nec quilibet actus caritatis etiam supernaturalis sufficit ad implendum primum & maximum mandatum, sed esse debet actus caritatis justificantis, quo diligatur Deus super omnia ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & dominetur omnibus affectibus in corde vigentibus; unde fit non solum appretiative, sed & intensive illis prævalens. Et sponte fluit ex his, quæ diximus & §. præcedenti & superius in hac dissert. cap. 2. §. 4 Et doctrinam continet S.Thom. 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2. *Est autem infimus dilectionis gradus, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur, a quo gradu perfectionis qui deficit nullo modo implet præceptum.* Porro qui creaturam vel æqua-

æqualiter, vel magis diligit intensione affectus, jam convincitur Deum non diligere super omnia, quod tamen in maximo præcepto præscribitur. Idem docet & S. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 27. scribens: *Ad ordinatam dilectionem pertinere, ut non amplius, vel æque diligat, quod minus est diligendum, vel e contra minus diligat quod magis est diligendum*. Porro magis, & minus locum non habet in amore appretiationis, vel prælationis, qui, ut ostendimus, latitudinem non patitur, nec admittit magis vel minus, sed locum obtinet in amore intensivo, qui dilatari & extendi semper amplius potest. Legatur Petrus de Soto in tract. de Instit. Sacerd. P. 1. de Sacram. Pœnit. lect. 14. 15. 16.

Consectarium quartum.

IV. Non est semper illicitum, creaturam actu magis intenso diligere, quam Deum. Nam, ut optime docet Aurelius Pierre in Elucidationibus difficiliorum Theologiæ quæst. 4. qui & Steyaertium laudat] usus continuus, seu reflexa Dei dilectio continua, non est in præcepto, quandoquidem non sit homini possibilis omni tempore. Dato ergo, quod diligatur creatura actu reflexo & formali cum sola habituali & virtuali dilectione Dei, sequitur creaturam reflexe plus diligi, quam Deum, ac proinde sano sensu creaturam ferventius atque ardentius, si amor actualis consideretur, diligi, quam ipsum Deum. Et optime quidem, quandoquidem eo in casu nullus est explicitus actualis amor Dei, quocum conferri possit amor licitus creaturarum, vel si etiam adsit actualis amor Dei minus intensus, dilectio tamen ejusdem Dei, quæ manet intus, habitu aut virtute jam fuit intensione superior ceteris licitis amoribus creaturarum, qui sunt naturales, vel qui manent virtute. Hinc verum quidem est, actum amoris, in quem urgente præcepto, statis temporibus prorumpere tenemur, esse debere actu sicut appretiatione, ita etiam intensione superiorem habitualibus & actualibus amoribus creaturarum; at actus amoris Dei, quos elicere possumus aliis temporibus, utpote conjuncti cum caritate, satis est si habitu & virtute ceteras creaturarum licitas dilectiones vincant, & superent.

Consectarium quintum.

V. Peccator, quando urget præceptum dilectionis Dei, non illud implet, si ad Sacramentum Pœnitentiæ accedat cum dilectione Dei justificante minore, sed afferre debet dilectionem, quæ etiam sine Sacramento, cum solo Sacramenti voto illum justificaret. Ratio est manifesta, nam tunc, ut supponimus, præceptum urget dilectionis Dei, & ex superius dictis hoc præceptum non impletur nisi per amorem Dei super omnia tum appretiative, tum intensive ceteris amoribus etiam licitis creaturarum, dominantem; ergo talis amoris actum ad Sacramentum afferre debet, ut sanctificationem & gratiam consequatur. In aliis autem temporibus quibus non urget præceptum, etiam cum caritatis actu, qui par non foret ad consequendam justificationem, mediante Sacramento gratiam consequi poterit. Quod patet exemplo etiam hominis ad usum rationis pervenientis, vel in articulo mortis constituti, qui profecto saluti suæ non consuleret, si accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ cum caritate justificante minore: non enim afferret dispositionem ad gratiam obtinendam tunc temporis requisitam, dilectionem scilicet Dei super omnia, tunc præcepto divino imperatam, proinde nec per Sacramentum gratiam consequeretur.

Consectarium Sextum.

VI. Licet occultum sit, & difficile punctum determinare, in quo urgeat caritatis præ-

præceptum, illud tamen pro certo statuere possumus, præceptum diligendi Deum per se obligare ad frequens illius exercitium, ita ut non multo tempore differatur. Hoc certe indicant Scripturæ, dum de præcepto dilectionis jubent spirituali Abrahæ filio, *ut sit in corde ejus, ut narret illud filiis suis, ut meditetur sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens*: dum Christus fidelibus præcipit: *Manete in dilectione mea.... & si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*. Quæ profecto verba, ut exponunt PP. SS. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Beda, Rupertus continuationem, frequentiam, perseverantiam indicant, & urgent. Quis vero de hac continuatione, perseverantia, & frequentia sibi blandiatur, si semel tantum in anno in actum caritatis erumpat? Hinc solidissima mihi videtur, & in praxim reducenda doctrina Scoti, qui in 4. *sent.* dist. 27. quæst. unic. putat hoc præceptum urgere omnibus diebus festis, quem sequuntur etiam Tabiena verb. *Caritas* q. 20. Angelus verb. *Fer.* n. 4. Gabr. in 3. dist. 37. q. unic. art. 3. Almainus quæst. unic. aliique; quam sententiam minime contemnendam appellat Cardenas, qui censet mortale peccatum ab eo perpetrari, qui per mensem actum amoris non emitteret; & P. Concina docet Tom. 1. diss. 4. cap. 9. n. 10. satisfacere præcepto, qui singulis diebus Dominicis actum elicit dilectionis Dei; & certe a lethali omissione non videretur excusandus, qui saltem in solemnioribus Festivitatibus, in quibus præcipua recoluntur nostræ Religionis mysteria, per actum dilectionis cor suum in Deo non figeret. Hoc enim saltem postulare videtur illa frequentia, continuitas, & perseverantia, quæ adeo in Scriptura commendatur.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Justus non debet sibi blandiri de habitu caritatis, unde negligat in actus dilectionis prorumpere, quandoquidem præceptum est de actibus caritatis, & præterea habitus ille diu permanere non poterit in anima, nisi continuo foveatur actibus dilectionis. Non debet tamen fidelis nimium anxie torqueri, si sæpe in actus formales & expressos caritatis non erumpat, quandoquidem, ut optime docet Cardenas *in crisi Theologica* diss. 4. c. 2. a. 2. n. 9. præceptum implet dilectionis, quoties elicit actum dilectionis Dei in ordine ad implendum aliud præceptum: sic qui elicit hunc actum propter motivum pœnitentiæ, vel propter motivum reddendi se securum a damnatione æterna, implet præceptum per se dilectionis Dei. Præterea quoties vult implere præcepta, aut pia opera exercere, quia perspicit illa esse Deo placita, vel eo fine ut Deo placeat, operantem in caritatem experitur. Denique frequentissimum est fidelibus Deum timentibus resistere tentationibus, & a peccatis lethalibus præcavere, quia Deo graviter displicere animadvertunt, quod profecto est agere ex dilectione Dei, actu ad operandum bonum vel abstinendum a malo impellente.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Circa rudes & ignaros de modo dilectionis Dei, vel qui ignorare videntur supernaturalia motiva ad Dei dilectionem impellentia, hi non sunt statim rei habendi de omissione actus caritatis, sed est eorum vita & conversatio expendenda. Si enim appareant suæ salutis solliciti, Sacramenta pro sui status conditione frequentent, Dei & Ecclesiæ præcepta fideliter custodiant, censendum est, Deum eos intus illuminare, & gra-

gratiæ suæ dono regere, quippe qui sæpe revelat parvulis ea, quæ prudentibus & sapientibus abscondit, & cujus est cum simplicibus sermocinatio, & amor Dei opus est cordis, non mentis. At e contra si vitiis dediti cernantur, ebrietatibus, impudicitiis, furtis, aliisque pravis habitibus implicati, eorum ignorantiæ pœna erit justissima peccati, & proinde rei omissionis præcepti diligendi Deum habendi.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Cum relationis operum in Deum præceptum in maximo mandato dilectionis Dei super omnia contineatur, tunc profecto obligat, quando & istud urget mandatum, & certe maxime in primo vitæ moralis initio, cum de nobis ipsis deliberare possumus; tunc enim nos, & omnia nostra in Deum ordinare debemus; & in aliis etiam casibus superius de præcepto dilectionis Dei constitutis juxta S. Thomæ doctrinam superius expositam.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Cum in præcepto non sit semper actualis relatio, sed sufficiat virtualis, ad hoc implendum præceptum hæc duo & requiruntur & sufficiunt, nimirum. 1. Quod homo aliquando per actum caritatis justificantis se in Deum ordinaverit tamquam in finem. 2. Quod præfata caritatis intentio virtute maneat in omnibus, quæ operatur homo. Quæ profecto virtualis intentio manet procuIdubio in cunctis operibus ex officio bonis. Homo siquidem, qui virtute est, & manet ordinatus in Deum, virtute etiam in Deum refert quæcumque elicit opera, licet de expressa hac ordinatione non cogitet. Ita S. Th. quæst. de carit. art. 11. ad 3. *Virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde virtualiter referre omnia in Deum cedit sub præcepto caritatis, cum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum ultimum finem*. Recolantur dicta tract. 3. cap. 9. §. 4.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Relatio operum in Deum omnino abrumpitur per lethale peccatum: tunc enim homo omnino avertitur a Deo tanquam ab ultimo fine, solumque bonum proprium sibi pro fine præstituit; proinde peccatoris opera nec habitualiter, nec virtualiter amplius ordinantur ad Deum. Non habitualiter, quia perit omnino habitus caritatis; non virtualiter, quia ut docet Doctor Angelicus, q. de carit. art. 11. ad 3. *Virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde virtualiter referre omnia in Deum . . . . nihil aliud est, quam habere Deum ultimum finem*. Hæc autem relatio iterum haberi non potest, nisi vel per actum dilectionis Dei super omnia perfectum, & justificantem cum voto Sacramenti, vel per ipsum Sacramentum Pœnitentiæ susceptum etiam cum caritate justificante minore, quando præceptum non urget dilectionis Dei.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Abrumpitur etiam peccato veniali, at non totaliter, sed solum respectu alicujus actionis, quæ in Deum referri nequaquam potest, non enim impedit aut destruit aliam ordinationem in Deum, scilicet habitualem. Ita S. Th. 1. 2. q. 88. a. 1. docet: *Sufficit, quod aliquis habitualiter referat se, & omnia sua in Deum ad hoc, quod non semper mortaliter peccet, cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter* (vel virtualiter). *Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem* [sive actu expresso elicitam

 tam

ctam, sive manentem virtute] *quia non excludit caritatem, quæ habitualiter ordinat in Deum*.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Desinere potest ista virtualis relatio operum in Deum etiam per diuturnam omissionem, scilicet si tempus adeo longum fluxerit inter varias diversasque vitæ humanæ occupationes, ut eadem relatio intertupta censeatur. Durat siquidem impressio actualis caritatis, quæ virtute manet juxta majorem vel minorem, quo actus est elicitus fervorem. Renovanda proinde sæpe sæpius hæc relatio, & a piis renovatur non solum quotidie, sed etiam sæpe per diem, præcipue cum aliquod opus adoriuntur. Justis etiam sufficit, si hæc relatio fiat per actus caritatis etiam justificante minoris, cujusmodi sunt amoris Dei benevoli, ac nobis benefici, atque beatifici, Creatoris, Redemptoris, & similia, quia & jam conjuncti sunt cum justificante habituali caritate, & illum disponunt ad perfectum etiam caritatis actum, quando ejus urgeat præceptum eliciendum, & vires conferre possunt resistendi etiam gravioribus tentationibus, & cor externis occupationibus distractum ad Deum revocat. Immo censeo de hisce secundariis actibus caritatis esse intelligendos Theologos illos, qui docent, præceptum dilectionis Dei urgere, quando quis debet Eucharistiam suscipere, aut magnum aliquod a Deo accipitur beneficium, vel aliquem contra Deum blasphemantem audimus, nisi forte peculiaris aliqua adsit circumstantia, quæ perfectiorem exposcat dilectionem. Et certe in Eucharistiæ sumptione, quæ præter statum gratiæ, peculiarem etiam postulat in suscipiente dispositionem, requiri exercitium caritatis saltem per actus secundarios, libenter consentio. Verum, licet Eminentissimus Gotti hanc necessitatem extendat in tract. de carit. q. 3 dub. 1. §. 4 n. 24. etiam quando quis se accingit ad exercitium alicujus virtutis, cujus actus præcipitur, puta ad recitandas horas canonicas, ad audiendum Sacrum, ad jejunium quadragesimale, puto rem tamen satis esse illam virtualem dilectionem, quæ manet in homine justo, ejusque opera in Deum refert.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Ut actus cæterarum virtutum sive naturalium acquisitarum, sive supernaturalium infusarum sint æternæ beatitudinis meritorii, necesse est, ut a caritate imperante prodeant, & in Deum ultimum finem saltem virtualiter ordinentur. Hæc propositio consona est Scripturis. Apostolus 1. ad Corinth. 2. *Si caritatem non habuero, nihil mihi prodest*. Et ad Galat. 5. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur*. Consentiunt Patres. S. Leo M. serm. 10. de Quadrag. *Nudæ sunt omnes sine caritate virtutes, nec potest dici in quaibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit*. S. Greg. M. hom. 7. in Evang. *Nihil viriditatis habet ramus, nisi manserit in radice dilectionis*. Et S. Th. 1. 2. q. 114. a. 4. scribit: *Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad caritatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur*. Et in solut. ad 3. *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galat. 5. Similiter etiam actus patientiæ, & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex caritate hæc operetur, secundum illud 1. ad Corinth. 13. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Et revera gratia est principium meriti, & caritas est, quæ ceteras vir-

virtutes extollendo, ac in finem ultimum dirigendo, efficit inter meritum & præmium æquam proportionem, juxta quod docet S. Th. in III. dist. 30. quæst. unica art. 5. ad 1. *Gratia facit meritum, sicut principium remotum constituens nos in esse spirituali, sine quo non possumus mereri; sed caritas est sicut proximum merendi principium.*

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Hoc caritatis præceptum violant directe & per se, qui Deum odio habent, sive odio abominationis, quo Deus respicitur ceu malus & nocens, vel odio inimicitiæ, quo ei in seipso aversantur, nolentes illum esse; & hoc juxta S. Th. doctrinam 2. 2. q. 34. a. 2. est omnium peccatorum gravissimum. Peccant etiam lethaliter contra caritatem, qui ita sunt affecti animo, ut deliberate desiderent in hac vita mortali perpetuo vivere, æternæ beatitudini renunciantes, quia hoc pacto se Deum minime desiderare ostendunt, ac proinde nec amare. *Caritas*, inquit S. Th. 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. *diligit Deum super omnia eminentius, quam natura. Natura enim diligit Deum super omnia, prout est principium & finis naturalis boni. Caritas autem secundum quod est objectum beatitudinis, & secundum quod habet homo quandam societatem spiritualem cum Deo.* Et 2. 2. q. 26. a. 1. scribit: *Dictum est supra, quod dilectio caritatis tendit in Deum sicut in principium beatitudinis, in cujus communicatione amicitia fundatur.* Qui ergo perpetuam in terris vitam desiderat, eam æternæ præfert beatitudini, & societati spirituali, ac communicationi æternæ cum Deo; quæ profecto præpostera est prælatio, & homine Christiano plane indigna, ac proinde lethali culpa vacare nemo inficiabitur.

R E F L E X I O.

Dum Apostolus cunctis fidelibus præcipit atque inculcat: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; 1. ad Corinth. 10. v. 31. & iterum cap. ult. v. 17. *Omnia vestra in caritate fiant.* Et ad Coloss. 3. v. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum*; nedum regulam dilectionis divinitus constitutam exhibet, sed & normam præbet, unde dignoscere valeamus, quæ bona sint, quæ indifferentia, quæ denique mala. Quis enim nesciat, solum hæc postrema in Deum referri omnino non posse, dum quæ bona sunt, vel de se indifferentia, eam non respiciant ordinationem? Porro hoc semel constituto, jam quisque deprehendere facillime poterit, non pauca quæ communiter vel indifferentia, vel certe non mala existimantur, vitio tamen ita fœdati, ut in Deum ea referre nullus audeat, ac proinde licet non appareant, revera tamen mala esse, & fœda. Quis enim vel theatra ingressurus, vel loca ubi promiscuæ exercentur choreæ, vel aleatoriis ludis pecunia dissipatur, in eorum limine constitutus sublatis in cælum oculis Deo audeat dicere: Domine, tu qui corda nostri omnium scis, me huc venire ad tui sancti nominis gloriam & honorem, ut me ad opera bona exercenda aptiorem reddam & promptiorem & ut mercedem aliquam a tua misericordia consequar. Porro si nullus erit demens adeo, & cæcus, qui ita vel orare, vel cogitare audeat, immo horrent aures, refugit mens ista cogitare; palam igitur est & manifestum, non indifferens esse, non bonum hæc loca adire, illa frequentare, in illis versari, sed omnino esse a Christiano homine procul fugienda. Et tamen quis hoc credat, quis sibi hoc persuadeat? Thea-

populi frequentia redundant. Promiscuæ choreæ etiam publice & solemniter indicuntur. Aleatoriæ officinæ cunctis patent, & non sine magno detrimento animæ, corporis, rerum etiam temporalium frequentantur, & frequentantur ab iis ipsis, qui se Deum amare dicunt, qui ejus gloriam se cupere jactant, qui etiam Sacramentorum aliquali frequentatione christiane vivere sibi blandiuntur. Sed falluntur miseri: dum enim terrenis istis voluptatibus adeo oblectantur, rapiuntur, absorbentur, evidenter ostendunt se dulcedine divini amoris minime tangi, sed potius a Satana turpiter decipi. En quomodo hos opportune monet S. Basilius Tom. 2. hom. 21. *Si velimus substratam vitæ viam tuto percurrere, atque animam simul & corpus vulnerum turpitudine immunia offerre Christo, coronasque ob victoriam accipere, oportet nos animi oculos semper undequaque vigilantes circumagere, & res omnes jucundas habere suspectas, ac statim præterire, & ad nullam animum appellere, ne si aurum quidem videatur fuse sparsum, quod in cupientium manus venire paratum sit* : (Divitiæ *enim*, *inquit*, si affluant, nolite cor apponere), *neque si proferat terra delicias omnes ac sumptuosa tabernacula* (*nam* nostra conversatio in cælo est, unde etiam Salvatorem expectamus Christum), *neque si choreæ, & commessationes, & ebrietates, & mensæ tibiarum modulis resonantes proponantur* [vanitas enim, *inquit*, vanitatum, omnia vanitas], *neque si offerantur corpora formosa, in quibus animæ pravæ inhabitent* : [a facie *enim* mulieris velut a facie serpentis fuge, *inquit Sapiens*]. *neque si potentatus dominatusque, ac satellitum aut adulatorum turmas exspectare liceat* . . . . . *Etenim sub iis omnibus adeo jucundis communis ille hostis latitat, expectans num quando rebus conspectis illecti, via recta derelicta, nos ipsos in illius insidias conjiciamus. Quin etiam metuendum valde est, nequando ad hæc incaute accurrentes, nihilque novii in fruenda illa jucunditate inesse rati, dein harum degustiamus in primo gustu occultatum: deinde, ne ab hoc tracti, partim libentes, partim inviti his rebus alligemur, insciientesque a voluptatibus ad horrendum latronis hospitium trahamur, ad mortem scilicet.* Hoc igitur præ oculis habeant fideles, dum aliquod opus sunt aggressuri, num videlicet ad Dei gloriam referri possit & honorem, an non. Si possit, alacri animo illud aggrediantur Dei opem implorantes, & ad illum toto affectu dirigentes; si vero audiant conscientiam, & hanc ordinationem refugientem, & Deum intus exprobrantem *væ filii desertores ut faceretis consilium & non ex me, & ordiremini telam & non per spiritum meum*, fugiant protinus, detestentur, abhorreant.

CAPUT X.

De Amore Proximi, ac Inimicorum Dilectione.

DOCTRINA.

I. *Caritas proximi est in præcepto.*

II. *Solo actu amoris Dei non satisfit huic præcepto.*

III. *Nec impletur sola externorum officiorum exhibitione.*

IV. *Occurrente necessitate, exhibenda sunt proximo officia ex caritatis impulsu. & semper animo parati ad ea præstanda esse debemus.*

V. *Duplex dilectionis norma. Prima exponitur.*

VI. *Altera explicatur ex D. Augustino.*

VII. *Et ex D. Thoma.*

VIII. *Præceptum latum de dilectione inimicorum.*

IX. *Ejusdem arduitatem quomodo deliniat Christus*.

X. *Non excludendi inimici a generali proximi dilectione*.

XI. *Communia dilectionis signa inimicis exhibenda*.

XII. *Ex caritatis praecepto animo parati esse debemus ad inimicos in particulari diligendos, cum necessitas occurrit*.

XIII. *Speciali dilectione inimicos prosequi est de perfectione car atis*.

§. I.

De praecepto Dilectionis fraternae, sive Amoris Proximi.

I. SI bene perpendantur omnia Scripturae loca, quae superius de caritatis praecepto & necessitate prolata sunt, clarissime constabit, non amorem Dei tantum, sed etiam amorem proximi divino praecepto praescribi. Non defuere tamen etiam inter Theologos christianae Religionis, qui sicut caritatis erga Deum praeceptum extenuare ausi sunt, ita & mandatum de dilectione proximi quadantenus subvertere, fermeque ad nihilum redigere conati sunt. Igitur ut christiana morum doctrina sarta tecta servetur, sequentes statuo & evinco regulas.

REGULA PRIMA.

Solo Dei amore non satisfit praecepto dilectionis proximi.

II. Veritatem hujus regulae evincunt Sacrae Litterae, quae duos amores Dei & proximi, duoque praecepta luculenter discernunt: *Diliges Dominum Deum tuum* (inquit Salvator noster) *ex toto corde tuo . . . . . hoc est maximum, & primum mandatum; secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Quid clarius? Si duo igitur sunt inter se distincta praecepta, cur unius tantum observantia & aliud nos implere dicendum erit?

REGULA SECUNDA.

Praeceptum Dilectionis proximi non impletur sola externorum officiorum exhibitione.

III. Suadent hanc regulam verba, queis sacrae Litterae praeceptum dilectionis proximi praescribunt, & urgent; affectum quippe internum animi manifeste declarant non exteriora duntaxat officia, aut spiritualia, aut corporalia misericordiae opera, nam diligere aliquem idem sonat ac affectum erga illum habere, & si alios sicut nosmetipsos diligere tenemur, quis nescit nos interno affectu benevolentiae prosequi nos ipsos, & omnia nostra?

Accedit, nobis instaurandum & custodiendum rectum ordinem aequalitatis inter nos ipsos & proximos, quem peccatum originale turbavit, pergitque destruere concupiscentia ex ipso in nobis relicta; id autem perfici nequit nisi interno caritatis affectu, ut liquet.

Accedit rursus, exteriora officia proximis exhiberi posse vel pravo affectu movente, vel excitante humanitate sola naturali, quam Ethnici & Infideles habere possunt, & nonnunquam habent. Cum ergo proximos amare debeamus, non ut Ethnici etiam faciunt, sed ut Christianis praestare convenit, sequitur interno affectu opus esse in dilectione proximi.

Hanc urget rationem S. Augustinus tract. 8. in Epist. Joan. his verbis: *Pascit esurientem caritas, pascit, & superbia; vestit nudum caritas, vestit & superbia: omnia opera bona, quae vult caritas, facit etiam superbia.... Sed interior est caritas ....Redi ad conscientiam tuam, ipsam interroga. Noli attendere quod floret foris, sed quae radix est in terra ... Radicata est caritas: securus esto*.

RE-

Regula Tertia.

Occurrente necessitate tenemur Proximo officia nostra exhibere ex impulsu speciali caritatis erga proximum indigentem, semperque animo parati esse debemus ad eadem officia præstanda.

IV. Traditæ doctrinæ favet disertissimis verbis D. Augustinus loc. laud. subdens: *Opera modo illa fiant in vobis, modo illa pro tempore, pro horis, pro diebus ..... Nunquid semper panem dare egenti? Nunquid semper nudum vestire? Nunquid semper ægrotos visitare? Nunquid semper discordantes concordare? Nunquid semper mortuos sepelire? Modo illud, modo illud. Inchoantur ista, & cessant. Caritas intus non intermittitur. Officia caritatis pro tempore exhibentur. Caritas ergo, sicut scriptum est, fraterna permaneat.* Et paulo infra: *Omnis dilectio, fratres carissimi, benevolentiam quandam importat erga eos, qui diliguntur ..... Amicitia quædam benevolentia est, ut aliquando præstemus eis, quos amamus. Quod si non sit quod præstemus, illa benevolentia sufficit amanti.*

Regula quarta.

Norma Dilectionis Proximi est duplex, scilicet dilectio, qua Deus diligit nos, & amor caritatis, quo nos diligimus nos ipsos.

V. Primam dilectionis normam ex amore acceptam, quo nos diligit Deus, exhibet Christus, dum Joan. cap. 13. dicit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos*; eamque præclarissime illustrat S. August. tract. 65. in Joan. scribens: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis, non sicut se diligunt qui corrumpunt, nec sicut se diligunt homines, quia homines sunt, sed sicut se diligunt, quoniam Dii sunt & filii Altissimi, ut sint Filii ejus, unici, fratres, ea dilectione invicem diligentes, qua ipse dilexit eos, perducturus eos ad illum finem, qui sufficiat eis, ubi satietur in bonis desiderium eorum. Tunc enim aliquid desiderio eorum non deerit; quando omnia in omnibus Deus erit.*

VI. Alteram normam præscribit Christus in ipsa fraternæ dilectionis lege, quam sic indixit: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Et hanc quoque sic exponit August. serm. 90. al. 14. inter editos a Sirmondo: *Diligite Dominum, & ibi discite diligere vos & cum diligendo Dominum dilexeritis vos, securi diligite proximum sicut vos. Quando enim non invenio teipsum diligentem, quomodo ei permitto proximum, quem diligat sicut seipsum? Et quis est, inquis, qui non diligat seipsum? Ecce quis est*, qui diligit iniquitatem, odit animam suam. *Qui autem diligit Deum ex toto corde, & ex tota mente sua: jam tibi committo proximum, diligite proximos tanquam vosmetipsos.*

VII. Hanc eamdem normam sapientissime exponit D. Thomas 2. 2. q. 44. a. 7. docens: *Modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur*, sicut te ipsum, *quod non est intelligendum quantum ad hoc, quod aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi. Et hoc tripliciter. Primo quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut seipsum propter Deum diligere debet, ut sic sit dilectio proximi sancta. Secundo ex parte regulæ dilectionis, ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut & suæ voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic sit dilectio proximi justa. Tertio ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem, sed ea ratione, quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi, ut sic dilectio proximi sit vera.*

§. II.

§. II.

De Dilectione inimicorum.

VIII. Præceptum latum esse de inimicorum dilectione evincunt & veteris & novi Testamenti apertissima testimonia. Levitici cap. 19. jubet Dominus: *Non oderit fratrem tuum in corde tuo, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et Exod. cap. 23. mandat: *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Nec adversatur quod legitur in Evangelio: *Audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Nam sic sapientissime locum hunc interpretatur S. Th. in 3. sent. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 2. scribens: *In veteri lege homines tenebantur ad dilectionem inimicorum, sicut patet per auctoritatem Levitici inductam* [& superius allatam)... *Unde quod dicitur, odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in littera invenitur, sed est additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex quo præcipiebatur dilectio proximi, concludebant, quod inimici erant odiendi.* Quod & repetit 1. 2. q. 107. a. 2. ad 2. *Circa odium inimicorum removit Christus falsum Pharisæorum intellectum, nos monens, ut personæ odio non habeatur, sed culpa.*

In novo vero Testamento conceptis verbis Salvator noster & interiorem præcipit, & exteriorem inimicorum dilectionem Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Quæ verba expendens Augustinus *serm. 68. de tempore* hæc habet: *Dominus in Evangelio, ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum.*

IX. Difficultatem hujus præcepti, quam in se experiuntur homines, triplici motivo delinit Salvator noster. Primo suam auctoritatem interponendo *Ego dico vobis.* Quis supremo Domino creatori nostro etiam in arduis non parendum censuerit? Secundo sublimia & excelsa proponit præmia, videlicet & remissionem peccatorum, quæ in illum commisimus: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra;* & divinam filiationem spondet: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.* Tertio exemplum suum exhibet, qui pro crucifixoribus suis Patrem oravit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Optime itaque Augustinus sic ultores inimicorum aggreditur. *Quid vis? Vindicari? Vide pendentem, & tibi de ligno tamquam de Tribunali præcipientem. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem si vindicari vis. Vide pendentem, audi precantem, Pater ignosce illis.* Serm. 232. de Temp. Ad impletionem hujus præcepti has ex S. Th. regulas præstituimus.

Regula Prima.

A generali Proximi Dilectione excludendi non sunt inimici.

X. Ita S. Doctor 2. 2. q. 25. a. 8. ubi sic docet: *Potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam in universali, & sic dilectio inimicorum est de necessitate caritatis, ut scilicet aliquis diligens Deum & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat.* Quæ verba exprimunt caritatis erga proximum generalem internum affectum, quem habere præcepto dilectionis jubemur, & ad inimicos extendi oportere.

REGULA SECUNDA.

Debemus etiam ex praecepto caritatis esse parati ad diligendos inimicos in particulari, si occurrat necessitas.

XI. Ita idem Doctor Angel. loc. cit. *Potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; & istud non est de necessitate caritatis absolute; quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile.* Prodire scilicet non tenemur absolute in expressos dilectionis actus, quibus diligamus singillatim proximos nostros; verum solummodo data occasione, in qua vel odium, ad quod nos impelli sentimus, rejicere debemus, vel nos urget necessitas exteriora officia exhibendi. *Est tamen* (subdit D. Angel.) *de necessitate caritatis secundum praeparationem animi: ut scilicet homo habeat animum promptum atque paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret.*

REGULA TERTIA.

Inimicis etiam veniam non petentibus actu exhibenda sunt communia Christianae Dilectionis signa ex praecepto caritatis.

XII. Ita idem S. Doctor loc. cit. c. 9. in corp. *Sunt quaedam signa & beneficia dilectionis, quae exhibentur proximis in communi; puta aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati: & talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate praecepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictae.*

REGULA QUARTA.

Speciali dilectione inimicos prosequi est de perfectione caritatis, nisi aliter necessitas postulet.

XIII. Hac Regula doctrinam suam concludit Angel. Praeceptor a. 9. in corp. docens: *Alia vero sunt beneficia, vel dilectionis signa, quae quis exhibet particulariter aliquibus personis. Et talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate salutis, nisi secundum praeparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis, secundum illud Proverb. 25.* Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da illi potum. *Sed quod praeter articulum necessitatis hujusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem caritatis, per quam aliquis non solum cavet* vinci a malo, *quod est necessitatis; sed etiam vult* in bono vincere malum, *quod est perfectionis.*

CAPUT XI.

CONSECTARIA DOCTRINÆ.

I. *Propositiones ab Innoc. XI. damnatae. Alia illis affinis.*
II. *Non implet praeceptum caritatis, qui proximum diligit ob naturales dotes.*
III. *Peccat lethaliter, qui proximo mala spiritualia desiderat, vel de illis gaudet.*
IV. *Et qui grave malum temporale desiderat, vel de illo gaudet ob bonum sibi proprium temporale. Propositiones damnatae.*
V. *Caritatem violant, qui proximum abominantur, quia rudem, impolitum, durum, agrestem.*
VI. *Non implet praeceptum caritatis, qui nullum actum elicit dilectionis proximi in communi.*
VII. *Non satisfacit praecepto caritatis, qui proximo in necessitate constituto auxilium non*

non præstat, saltem aliquando ex motivo caritatis.

VIII. *Peccant, qui de proximi honore, fama, existimatione tristantur, quia hoc censent propriæ famæ & existimationis imminutivum.*

IX. *Ex præcepto caritatis erga inimicos tenemur omne odium, desiderium vindictæ, vel mali infligendi a corde arcere.*

X. *Salutatio quando inimicis non deneganda.*

XI. *Inimico veniam petenti, & justam satisfactionem exhibenti pax non deneganda.*

XII. *Caritatem non lædit, qui justam honoris, famæ, vel pecuniarum satisfactionem non condonat inimico.*

XIII. *Ordo servandus in venia petenda, & satisfactione exhibenda.*

XIV. *Laxæ propositiones Marci Vidal rejicienda a praxi.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. MERITO ab Innoc. XI. proscriptæ sunt sequentes propositiones; 10. in ordine: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Ab iis parum, vel nihil distat doctrina Marci Vidal in *Arca* de caritatis præcepto inquisit. 1. n. 85. docentis: *Advertendum tamen, hoc præceptum impleri per hoc, quod nullum malum ut malum proximo inferatur, & ideo non est præceptum obligans ad habendum actum internum de dilectione erga proximum, cum per se non pateat proximo, sicut Deo.*

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Caritatis præceptum non implent, qui proximum diligunt vel ob naturales quibus pollet optimas dotes, vel ob officia, quæ sibi præstat, vel denique quia humana aliqua necessitudine cum illo devincitur. Hoc enim non est proximum amare propter Deum. Audiatur D. Augustinus tract. 65. in Joan. *Novi hominis amor non est dilectio culpabilis atque damnabilis, qua se diligunt invicem adulteri & adulteræ, scortatores & meretrices, & quoscumque non humana necessitudo, sed humana vitæ noxia turpitudo conjungit.* Vah prophanos, illicitosque amores! *Novi rursum hominis amor non est ille, quo se diligunt invicem mariti & uxores, & parentes & filii, & quæcumque alia inter se homines necessitudo humana devinxerit.* En humani & naturales amores. *Ille itaque est novi hominis amor, quo diligimus invicem, sicut ipse dilexit nos. Quid vero nisi Deum dilexit ipse in nobis? Non quod habebamus, sed quod haberemus . . . . Sic ergo & nos invicem diligamus, ut quantum possumus, invicem ad habendum in nobis Deum cura dilectionis attrahamur. Ille demum est, quo diligimus invicem, non sicut se diligunt qui corrumpunt, non sicut se diligunt homines quoniam homines sunt sed sicut se diligant quoniam Dei sunt, & filii Altissimi omnes, ut sint in Filio ejus unico fratres, ea dilectione invicem diligentes, qua ipse dilexit vos perducturus eos ad illum finem, qui sufficit eis, ubi satietur in bonis desiderium eorum.* En caritatis proximi vera motiva,

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Peccat lethaliter contra caritatem, qui proximo spiritualia mala desiderat, vel de illis gaudet ob aliquam temporalem sibi obvenientem utilitatem, ut parentes vel fratres, qui de stupro filiæ, vel sororis gaudent, quia stupratorem cogunt ad eam sibi in uxorem copulandam, vel sine, vel exigua tantum collata dote. Nihil enim magis caritati adversatur, quam proximo æternam beatitatem cupit, quam illud malum desiderare, vel de illo gaudere, quod proximum ab æternæ felicitatis consecutione removet.

Consectarium Quartum

IV. Violant lethaliter caritatem, qui grave malum temporale proximo cupiunt, vel de illo gaudent ob proprium sibi bonum temporale, quod inde vel provenit, vel speratur. Cum enim hujus desiderii, vel gaudii objectum sit malum proximi; ab objecto autem suam desumunt bonitatem vel malitiam actus humani; manifestum est, hoc desiderium vel gaudium malum esse. Hinc jure meritoque damnatæ sunt ab Innoc. XI. sequentes propositiones. 12. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 13. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* 14. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* His affines sunt, vel saltem ut laxæ, & improbabiles rejiciendæ nonnullorum Casuistarum sequentes opiniones. *Licet matri desiderare mortem filiæ, ne illam alere, vel dotare cogatur, vel ut a sollicitudinibus pro ejus custodia, vel collocatione liberetur. Licet Religioso cupere mortem sui Prælati, ut Prælaturæ ipse succedat, vel ab eo sibi infenso liberetur. Licet sibi, vel proximo optare mortem ob vitandam molestiam infirmitatem, mendicitatem, vitam pœnalem a marito fœminæ inflictam, & alia hujus generis, dummodo desideretur mors ut a Deo infligenda, non ab homine, vel a Dæmone. Non enim est digna salus tanto dolore; & mors prolungata dicitur vita miseriis repleta.* Vide quæ dicta sunt Tract. 3. cap. 10. [illegible]

Consectarium Quintum.

V. Caritatem violant, & nisi attente sibi caveant, etiam lethaliter, qui proximum abominantur, quia rudem, impolitum, durum, agrestem, in quem se moveri sentiunt motu quodam ut ajunt, antipathiæ: facile enim est, præcipue si communi utantur convictu, ut ex diuturna consuetudine odium in proximum corde concipiant. Proinde vigilare tenentur cor suum custodientes, & aversam inclinationem repetitis actibus caritatis in proximum reprimendo.

Consectarium Sextum.

VI. Non implet præceptum caritatis, qui nunquam internum actum elicit caritatis erga proximos in communi. Cum enim caritatis proximi præceptum sit affirmativum, non obligat quidem pro semper, sed aliquando; proinde eodem modo sentiendum est de actibus hujus amoris, ac de actu amoris Dei, & iis statuendum temporibus obligare, quibus ille adstringit.

Consectarium Septimum.

VII. Præcepto caritatis non satisfacit, qui proximo particulari in necessitate constituto auxilium non præstat saltem aliquando ex motivo caritatis, sive hoc præceptum tunc urgere dicatur vel per se, vel per accidens, parum enim refert. Nam juxta S. Thomam 2. 2. q. 25. art. 8. *Licet, ut aliquis in speciali moveatur motu dilectionis in inimicum* [vel proximum] *non sit de necessitate salutis absolute, est tamen de necessitate propter occurrentem necessitatis casum.* Dixi saltem *aliquando*, quia non est de necessitate salutis & præcepti, ut semper, cum proximo indigenti vel spiritualiter vel corporaliter auxiliamur, id fiat actu expresso caritatis, cum hoc præceptum non semper urgeat, sed aliquando, ac proinde sine violatio-

tione hujus præcepti poterit quis proximo subvenire ex alio virtutis motivo, puta misericordiæ. Utile tamen erit, & homine Christiano dignum etiam caritatis actum semper adjungere.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Qui de proximi honore, fama, existimatione, bono nomine tristantur, quia censent propriæ existimationis & famæ imminutionem afferre, peccant, & quandoque etiam lethaliter; hæc enim est apertissima invidia Christianæ caritatis inimica. Hos invidos sic graphice pingit aurea sua eloquentia Chrysostomus hom. 41. in Matth. *Tale certe malum est invidia, quæ ita grassatur in animas, ut omnem malignitatem, & nequitiam prætergrediatur. Nam adulterio dediti teterrimam voluptatem quæritant in suo crimine, quod brevi tempore perpetratur. Invidi autem multo ante seipsos discruciant, quam eos, quibus invident, perturbent, & torqueant. Sua invidia ita laniantur, & tam assidue, ut nullum peccandi finem faciant. Sed quemadmodum lutulentæ sues cœno, & Dæmones nostro gaudent exitio; sic invidi in proximorum calamitatibus tripudiant ..... alienas etiam jacturas suos quæstus existimant, & aliorum felicitatem suam reputant miseriam, & calamitatem. Nonne igitur hujusmodi homines lapidibus essent oppetendi? Nonne omni supplicio tractandi? Siquidem hoc secus ac canes rabie perciti allatrant omnes, & sunt veluti Dæmones conspicui .... Et quemadmodum scarabæi alieno stercore pascuntur, ita invidi adversa cæterorum hominum fortuna nutriuntur, & sic toto hominum cætui inimicitias, & bella denunciant.* Sed de invidia superius diximus.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Ex præcepto caritatis erga inimicos tenemur omne odium, desiderium vindictæ, vel mali infligendi a corde arcere; hoc enim pertinet ad caritatis præceptum ea parte qua negativum est; unde obligat semper, & pro semper. Hinc peccatum lethale est, si odium diuturnum, intestinum, & grave sit, & similiter si vindicta quæ designatur sumenda, vel malum infligendum sit grave.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Ubi mos est, ut omnes sese indiscriminatim salutent, vel alloquantur, non licet inimicum non salutare; sicut si ante inimicitiam solebat intercedere salutatio, si plures occurrentes salutarentur excluso inimico, & denique si inimicum salutantem resalutare quis contemneret, præsertim si deliberate & advertenter fiat, contra caritatem peccatur. Hæc enim sunt officia communia, quæ juxta sanam doctrinam inimicis absque caritatis læsione nequeunt denegari. Non semper tamen lethale peccatum incurritur, sed quandoque solum veniale juxta diversas circumstantias personarum, loci, & temporis, ac præsertim interioris animi dispositionis, & scandali, quod inde posset oriri. Sic veniale erit salutationem vel allocutionem omittere, non ex odio, sed ex verecundia, & animi pusillanimitate. In Superioribus, Parentibus, Magistris salutationem denegare inferioribus, filiis, discipulis, vel ob justam punitionem, vel ad culpabilis emendationem, vel ob detestationem peccati enormis, & cum scandalo perpetrati, nullum peccatum esse poterit, vel veniale erit, si modum aliquanto excedit, mortale si diutius duret, subditos exasperet, offensionis illis & scandali causa sit. Venialis erit etiam hujusmodi omissio, si ex inadvertentia fiat, si brevi intervallo duret, si ex animi turbatione repentina procedat. Peccatum lethale erit, si ex odio fiat, si cum scandalo gravi proximorum, si diu-

diuturniori tempore, si salutationis & allocutionis officia denegentur, quæ opportuna & efficacia vel ad inimicum placandum, vel ad odium a se, vel ab hoste depellendum deprehendantur, & præsertim inimico salutanti, vel alloqui volenti terga vertere, resalutationem denegare raro a gravi culpa excusarem, maxime si paris sint inter se conditionis, licet fortassis infimæ.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Inimico veniam petenti, & justam exhibenti satisfactionem, non potest sine gravi caritatis offensione pax & venia a privatis personis denegari. Id enim nedum caritati christianæ, sed & ipsis naturæ principiis adversum est, docentis, aliis non faciendum, quod nobis fieri nollemus. Quis enim est, qui veniam petens, & satisfactionem exhibens, nollet sibi pacem reddi, & amorem restitui? Præterea jubet Christus Matth. 18. *Si frater tuus septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Dixi a privatis, possunt enim quandoque Superiores, servato intus amore, exterius veniam denegare, ut inferiores magis resipiscant, & errorem suum agnoscant: hæc tamen dilatio suos habeat limites, ne subditi vel exacerbentur, vel offensionem patiantur; immo etiam offensori petenti veniam a vero christiano exhibenda sunt dilectionis signa & officia, & pax ac venia offerenda, si vel agnoscat illum præ timore ad veniam petendam non accedere, vel hoc ad odium e corde ejus evellendum noverit posse conducere.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Caritatem non lædit, qui concessa venia offensæ, debitam tamen honoris, vel famæ, vel pecuniæ satisfactionem tenuit condonare, dummodo non ex vindicta fiat, sed solum ad se servandum indemnem. Nam juxta S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 2. in corp. licita est vindicatio, qua *homo repellit nocumenta, vel cum se defendit contra injurias, ne ei inferantur, vel jam illatas injurias ulciscitur non intentione nocendi, sed removendi nocumenta.* At offensorem etiam justam satisfactionem exhibentem ad judicem trahere, & in judicio persequi (licet litigare de se absolute non sit illicitum) esse tamen solet caritati valde contrarium; nam si proximo non præstat, quod sibi vellet fieri, indicium est apertum offensæ non sincero corde remissæ, & inimicum sumptibus onerare, sollicitudinibus premere sine aliqua vel levi offensi utilitate, durum est, crudele, christiano homine indignum. Unde optime monet S. Chrysologus Ser. 67. *O homo, qui vis semper tibi dimitti, dimitte semper ..... homo intellige quod remittendo aliis, veniam tibi tu ipse dedisti.*

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. In satisfactione & venia petenda hic ordo servandus. Qui prior læsit, veniam debet petere, vel saltem paci viam sternere, sicut & qui gravius læsit. Si pares sint in offensa, & pares in rixa excitanda, utrinque onus incumbit alterum prævenire, cum nulla sit ratio, cur alter potius alterum præcurrere debeat. Si qui offendit etiam injuste, longe sit offenso superior, non oportet ut veniam petat, sed sufficit si specialia exhibeat benevolentiæ signa; offensus vero prompte dimittere debet. Sic Pater respectu filii, Episcopus respectu Clerici, Superior respectu Religiosi non necesse est ut veniam petant. Filius vero & Clericus & Religiosus offensi non debent nec allocutiones, nec salutationes, nec alterius generis officia subtrahere, hæc enim adeo sunt stricte debita, ut ea omittere vel suspendere

dere vix ac ne vix quidem unquam sine peccato lethali fiat.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Rejiciendæ sunt a praxi tanquam laxæ,& improbabiles quæ sequuntur propositiones Marci Vidal in Arca de caritatis præcepto Disquisit. 1. num. 88. *Viventes simul in aliquo Collegio, vel in aliqua Religione possunt absque labe culpa mortalis denegare simul signa particularia amoris, nempe salutationem, allocutionem, & similia*. Quis unquam audivit inter conviventes in eodem vel Collegio vel Monisterio salutationem & allocutionem esse *particularia* amoris signa, & non magis communia non solum caritatis, sed & urbanitatis officia? Hæc autem denegare quis lethale peccatum esse inficiabitur? Addo, inter Religiosos, qui ad perfectionem anhelant, qui se mutuo etiam ex præcepto suæ Regulæ diligere debent, horum communium officiorum omissionem longe esse turpiorem: non negaverim tamen vel brevitate temporis, vel levitate dissidii, vel subita animi perturbatione a lethali crimine posse purgari.

Item idem Vidal loc. cit. Inquisit. 1. n. 87. docet: *Læsum non teneri injuriam sustinere, & illam remittere, quando id necessarium videtur ad reprimendam audaciam inimici, pracipue cum id fiat in bonum ejusdem inimici*. Nihil profecto contrarium magis Christi præceptis, qui non docet, inimicorum audaciam esse reprimendam, non dissimili, immo fortassis pejori audacia, sed patientia, mansuetudine, lenitate cedendo, non obsistendo: *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, prabe illi & alteram. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo*. Hinc optime docet S. Thomas 2. 2. q. 108. art. 1. *Non excusatur aliquis, si malum intendat illius, qui sibi injuste intulit malum; sicut non excusatur aliquis per hoc, quod odit se odientem: non enim debet homo in alium peccare propter hoc quod ille peccavit prius in se ipsum, hoc enim est vinci a malo: quod Apostolus prohibet ad Rom. 12. dic.* 1: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Tertio dum docet loc. cit. n. 56. & seq. *Licet DD. communiter asserant, injuria affectum aliquando teneri particularia dilectionis signa inimico exhibere, tum ob evitandum scandalum, tum etiam quando ex tali signo exhibendo speratur probabiliter salus spiritualis inimici, quia si fratrem errantem corripere debemus, si spes adest illius emendationis, ut illum Domino lucremur; ergo ut inimicum Deo & nobis reconciliemus, cogimur ad eum salutandum, siquidem spes probabilis adest lucrandi illum salutatione nostra*. Profecto nihil est in hac sententia, quod rectæ rationi non congruat, veritati consonum non sit, & christianum hominem magis deceat. At Vidal quid contra communem sententiam doceat, audiamus. Subdit igitur: *Nihilominus ego ipse neutrum admitto, neque concedo. Primo quod scandalum grave his temporibus fere nunquam intervenit, cum quasi apud omnes in praxi habeatur non salutare inimicum, neque cum illo loqui; alias væ conscientiis*. Sed magis væ Doctoribus. Falsum est, hunc morem non salutandi inimicum, & non colloquendi obtinere in omnibus, quinimmo omnes de denegata salutatione se accusant, & se contra conscientiam operari agnoscunt. Deinde mos iste perversus est christianæ caritati contrarius, proinde extirpandus doctrinis evangelicis, non fovendus laxis opinionibus. Sed prosequitur Vidal: *Quo vero ad secundum dico: sicut ego ipse non teneor sub mortali providere saluti spirituali proximi extra extremam ejus ne-*

necessitatem cum meo gravi damno temporali : ita neque teneor cedere honori meo , & famæ, quæ sunt bona superioris ordinis , quam sint temporalia , sub mortali , ut proximi spirituali vitæ provideam extra necessitatem extremam . . . . Sed si quis teneretur exhibere inimico signa dilectionis specialia , quando his signis speratur ejus salus spiritualis , etiam teneretur cedere honori suo , & famæ extra extremam necessitatem . Hæc ratiocinatio fœtus humanæ corruptionis tota falsis est innixa suppositionibus . Quis enim communitet inter specialia dilectionis signa salutationem computavit & allocutionem , quæ ubique gentium tanquam communia spectantur ? Deinde quis unquam ita desipiat , ut arbitretur famam amitti , honorem labefactari per salutationem hosti exhibitam hoc christiano motivo , ut spirituali ejus consulamus saluti ? Hoc non est honorem & famam perdere, sed augere & coram Deo , & coram hominibus . Sed hæc deflenda magis , quam operosius confutanda .

CAPUT XII.

De Ordine Caritatis.

DOCTRINA.

I. *Ordo aliquis in dilectione servandus .*
II. *Qui cadit sub præcepto .*
III. *Duplex est affectivus & effectivus .*
IV. *Affectus caritatis in ordine ad bonum æternum .*
V. *Ordo caritatis custodiendus in desideria boni.*
VI. *Locum non habet in Patria .*
VII. *Quo ordine nostra spiritualia & corporalia diligere debeamus .*
VIII. *Cui non opponitur ratio dilectionis .*
IX. *Alii dilectionis gradus , & ordines ex S. Thoma .*
X. *Quando unus præ altero diligi possit .*
XI. *Ordo servandus in exterioribus benevolentiæ signis .*
XII. *Regula prima . Generale Augustini documentum .*
XIII. *Regula secunda . In pari necessitatis gradu qualis ordo beneficii servandus .*
XIV. *Tertia Regula ejusdem ordinis .*
XV. *Quarta Regula .*
XVI. *Quinta Regula .*

I. ORDINEM aliquem esse in dilectione servandum ipsa Sacræ Scripturæ verba indicant , dum Cant. 2. dicitur : *Ordinavit in me caritatem* : & rationem affert Doctor Angelicus , qui fuse omnia ad hanc ordinem pertinentia pertractat q. 26. duodecim articulis scribens art. 1. *Oportet , quod ubicumque est aliquod principium , sit etiam aliquis ordo . Dictum est autem supra , quod dilectio caritatis in Deum tendit , sicut in principium beatitudinis , in cujus communicatione amicitia fundatur . Et ideo oportet , quod in his , quæ caritate diliguntur , attendatur aliquis ordo secundum relationem ad primum principium hujus dilectionis , quod est Deus .*

II. Hunc vero ordinem sub præcepto cadere ostendit idem D. Angelicus 2. 2. q. 44. art. 8. docens : *Quia modus , qui pertinet ad rationem virtuosi actus cadit sub præcepto quod datur de actu virtutis : ordo autem caritatis pertinet ad ipsam rationem virtutis , cum accipiatur secundum proportionem dilectionis ad diligibile , unde manifestum est , quod ordo caritatis debet cadere sub præcepto .*

III. Duplicem distinguit ordinem in caritate , affectivum , & effectivum , amoris & subventionis *ibid.* q. 26. art. 6. Prior in interiori affectu cordis consistit , alter in exterioribus actibus , & operibus . Hinc optime ajebat S. Augustinus Ser. 148. *Caritas , quæ tanquam nutrix fovet filios suos non ordine amandi , sed ordine subveniendi , inferiores fortioribus anteponit .* De utroque ordine distinctis paragraphis dicemus .

§. I.

§. I.

De Ordine interioris affectus Caritatis.

IV. Primo affectus caritatis spectari potest in ordine ad bonum, quod amatur, & tunc rectus ordo postulat, ut finis ametur propter se, & media propter finem, & magis diligatur bonum perfectius, & minus, quod inferius est, ac omnium denique maximum bonum, quod est Deus. Hunc ordinem non solum servat caritas comparate ad bona veluti abstracte sumpta, sed etiam concrete in bonis, quibus insunt: unde magis diligendæ sunt personæ meliores, sanctiores, ac potiorem beatitudinem habentes, quam aliæ. Partem utramque brevi exponit & illustrat D. Thom. loc. cit. q. 26. art. 9. scribens: *Id, quod habet majorem rationem boni, est magis diligendum, & quod est Deo similius: & sic Pater est magis diligendus quam filius, quia scilicet Patrem diligimus sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris.*

V. Ordo caritatis est etiam custodiendus in desiderio boni, qui sumitur ex comparatione diligentis ad personam dilectam, & ex istius cum illa majori vel minori conjunctionis vinculo. Hoc etiam modo præ omnibus diligendus est Deus, non ea quidem ratione, quod aliquid amplius ei desiderare possimus, ac si non haberet, sed quia cum sit summum bonum, in ejus amore omne desiderium expletur, nec aliquid a nobis desiderari potest, quod in ipso jam existens non debeat ameri. Id tradit S. Thom. & evincit *art.* 3. similitudine partis in argumentum assumpta, cujus bonum privatum cedit bono totius. Deus porro est verum & summum singulorum & omnium bonum; unde vel ipsa conjunctionis ratio intensiorem, majoremque Dei, quam aliorum, amorem inspirat. Ceterum facta nostri & proximorum, ac inter proximos eorum, qui magis nobis conjuncti sunt, comparatione, possumus [inquit S. Th. art. 7.] *ex caritate velle, quod iste, qui mihi conjunctus est, sit melior alio, & sic ad majorem beatitudinis gradum pervenire possit.*

VI. Huic tamen sententiæ idem Doctor Angelicus exceptionem opponit in Patria art. 13. cujus verba referre placet, quippe quæ rationem continent utriusque partis. *Beatus quilibet* [subdit] *plus diligit meliores, quam seipsum, minus vero minus bonos. Volet enim quilibet Beatus unumquemque habere, quod sibi datur secundum divinam justitiam. Nec tunc erit tempus proficiendi per meritum ad majus præmium, sicut nunc accidit, quando potest homo meliorem & virtutem, & præmium desiderare; sed tunc voluntas uniuscujusque intra hoc sistet, quod est determinatum divinitus . . . . . Similiter quantum ad ordinem proximorum ad invicem, simpliciter quis magis diligit meliorem secundum caritatis amorem. Tota enim vita beata consistit in ordinatione mentis ad Deum . . . . ut scilicet ille magis diligatur, & propinquior sibi habeatur ab unoquoque, qui est Deo propinquior. Cessabit enim tunc provisio, quæ est in præsenti vita necessaria, qua necesse est, ut unusquisque magis sibi conjuncto secundum quamcumque necessitatem provideat magis quam alieno, ratione cujus in hac vita ex ipsa inclinatione caritatis homo diligit magis sibi conjunctum, cui magis debet impendere caritatis effectum.*

VII. Huic S. Thom. doctrinæ innititur frequentior Doctorum sententia, quæ asserit, nos teneri magis nos ipsos quoad animam, bona spiritualia, vitam corporalem corporali aliorum vitæ comparatam diligere, quam proximorum. Nec dissentit S. Augustinus *lib. de Doctr. Christ. cap.* 28. dum docet: *Omnes homines æque diligendos esse.* Hoc enim sic exponit Angelicus Doctor art. 6. ad 1. *Dile-*

ctio inaequaliter potest ad aliquos haberi dupliciter. Uno modo ex eo, quod quidam diliguntur, alii non diliguntur: quae inaequalitas in benevolentia dilectionis haberi non debet. Alia vero est inaequalitas dilectionis ex hoc, quod quidam plus aliis diliguntur, & hanc non intendit Augustinus excludere inaequalitatem, sed primam.

VIII. Sicut nec obstat unam, eamdemque esse diligendi nos & proximos rationem principalem, nempe Deum, aut beatitudinem. Nam licet una sit omnium beatitudo, non unus tamen est beatitudinis gradus; majora quoque & minora dantur charismata gratiae, & virtutum ornamenta; alii etiam proximorum sunt nobis magis conjuncti quam alii; unde conciliari optime possunt cum una diligendi ratione differentes complacentiae & desiderii dilectiones.

IX. Alios etiam dilectionis gradus, & ordines exponit S. Doctor, & primo docet q. 26. art. 7. illos, qui sunt sibi propinquiores, intensiori affectu diligi posse ab homine ad illud bonum, ad quod illi diliguntur, quam meliores ad majus bonum. Non enim repugnat caritati, ut homo alterum sibi propinquum, licet aeque aut minus bonum altero, acriori intensione diligat magis expresso cogitationis & dilectionis actu, ac saepe repetitis actibus amoris, quae omnia intensiorem faciunt caritatem.

X. Docet secundo, aliquando majorem esse unius quam alterius dilectionem ea ratione, quod pluribus modis alter quam alter diligi possit. En ejus verba: *Est alius modus, quo plus diligimus ex caritate magis nobis conjunctos, quia pluribus modis eos diligimus. Ad eos enim, qui non sunt nobis conjuncti non habemus nisi amicitiam caritatis; ad eos vero qui sunt nobis conjuncti, habemus aliquas alias amicitias secundum modum conjunctionis eorum ad nos. Cum autem bonum, super quod fundatur qualibet alia amicitia honesta, ordinetur sicut ad finem ad bonum, super quod fundatur caritas, consequens est ut caritas imperet actui cujuslibet alterius amicitiae, sicut ars quae est circa finem, imperat arti quae est circa ea quae sunt ad finem. Et sic hoc ipsum quod est diligere aliquem, quia consanguineus, vel conjunctus est, vel quia concivis, vel propter quodcumque hujusmodi aliud bonum ordinabile in finem caritatis, potest a caritate imperari: & ita ex caritate tam eliciente, quam imperante pluribus modis diligimus magis nobis conjunctos*; art. 7.

Docet tertio, contingere in Patria, quod aliquis sibi conjunctum pluribus modis diligat quia non cessabunt ab animo Beati honestae dilectionis causae; & Beatorum quemlibet intensius diligere seipsum, quam proximum etiam meliorem, ea ratione, quod *donum caritatis confertur unicuique a Deo, ut primo mentem suam in Deum ordinet, quod pertinet ad dilectionem sui ipsius; secundario vero ordinem aliorum in Deum velit, vel etiam operetur secundum suum modum*; art. 13.

§. II.

De ordine exterioris affectus servando in exterioribus benevolentiae officiis.

XI. Ordo servandus in exterioribus benevolentiae officiis duplicem normam habet, ac regulam servat, nempe indigentiam personae, & ejus cum diligente conjunctionem. Gradus suos habet tum indigentia, tum conjunctio: alia siquidem est indigentia communis, alia gravis, alia extrema; hinc juxta varias circumstantias modo unum, modo alterum ordinem servat in effectibus suis caritas. Hinc nonnullae praestitui possunt Regulae custodiendae.

REGULA PRIMA.

XII. Generale est S. Augustini documentum lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 28. *Cum omnibus prodesse non possis, iis potissimum consulen-*

jendum est, *qui pro locorum*, *& temporum*, *vel pro quarumlibet rerum opportunitatibus con. strictius sibi jungantur*.

REGULA SECUNDA.

XIII. In casu paris indigentiæ aut necessitatis spiritualis & corporalis S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 9. docet, filium Patri in subventione præferendum, *quia filius* est magis propinquus parenti, utpote *pars ejus existens*, *quam Pater filio*, *ad quem habet habitudinem principii*. Nihilominus tamen in resp. ad 3. *In articulo necessitatis filium obligari*, docet, *ex beneficiis susceptis*, *ut parentibus maxime provideat*. Quibus addi potest, Patrem habere rationem eminentioris boni, ipsumque diligi ut causam, filium autem ut effectum, major autem est obligatio effectus ad causam, quam causæ ad effectum, sicut etiam major est dependentia effectus a suo principio, quam principii ab effectu, adeoque filius magis obligatur ad Patrem, quam Pater ad filium. Quamvis ergo filius sit magis conjunctus Patri, utpote aliquid ipsius, quam Pater filio, quia tamen Pater est valde conjunctus filio, scilicet tanquam ejus causa, & simul cum ea conjunctione adduntur rationes, quæ excessum alterius conjunctionis superant; ideo per se loquendo Pater est magis absolute diligendus quam filius, ita tamen ut extra casum necessitatis extremæ, vel gravis, potius filio quam Patri succurrendum sit, quia parentes filiis debent curam provisionis; & quod de Patre asserimus, est quoque & de matre intelligendum.

REGULA TERTIA.

XIV. Idem S. Doctor art. 11. docet: *Secundum rationem conjunctionis magis diligendam uxorem*, *quam Patrem & Matrem*, *quia uxor conjuncta est viro*, *ut una caro existens*. Sed si gradus dilectionis *secundum rationem boni* considerentur, docet, magis diligendos esse parentes, quia hi diliguntur *sub ratione* principii, & *eminentioris cujusdam boni*. Hinc etiam facta comparatione inter uxorem, & Patrem vel Matrem extrema necessitate laborantem, his potius quam illi subveniendum est propter ab eis accepta beneficia.

REGULA QUARTA.

XV. Doctrina est S. Thom. art. 8. inter conjunctos, illos, qui secundum carnis originem sunt nobis propinquiores, cæteris paribus, debere magis diligi in his, *quæ pertinent ad naturam*. Signanter vero dicit in his, *quæ pertinent ad naturam*, sive ad vitam conservandam, quia cum præter conjunctionem sanguinis aliæ sint, unusquisque magis diligendus est in eo, quod pertinet ad illam conjunctionem, secundum quam diligitur, ut in iis quæ pertinent ad civilem conversationem plus diligendi sint concives, in bellicis commilitones, in iis, quæ ad Religionem, Religiosi. Quamobrem in resp. ad 3. optime docet S. Doctor, *quod in bello magis obeditur Duci*, *quam Patri*. Quamvis enim conjunctio filii ad Patrem sit simpliciter major, ideoque amicitia stabilior, aliæ tamen amicitiæ possunt esse secundum quid potiores, nimirum secundum illud, quod cuique est proprium.

REGULA QUINTA.

XVI. Optime demum monet S. Thom. q. 32. art. 9. *Discretionis rationem habendam esse* secundum differentiam *conjunctionis*, *& sanctitatis*, *& utilitatis & multo sanctiori*, *magis indigentiam patienti*, *& magis utili ad commune bonum*, *esse magis dandam eleemosynam*, *quam personæ propinquiori*, *maxime si non sit multum conjuncta*, *cujus cura specialis nobis non immineat*, *& si magnam necessitatem non patiatur*.

CAPUT XIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

Non licet velle quamcumque jacturam gratiæ propter quodcumque bonum, etiam totius mundi.

II. *Nec licet velle carere gratia.*

III. *Nec beatitudine in perpetuum.*

IV. *Licet offerre bonorum operum satisfactionem pro animabus Purgatorii.*

V. *Non licet velle spirituale detrimentum.*

VI. *Licet vitam pro vita proximi offerre propter virtutis christianæ bonum.*

VII. *Possumus contemnere bona nobis non necessaria ob bonum proximi.*

VIII. *Tenemur consulere saluti æternæ proximi in necessitate extrema constituti.*

IX. *Nostri tamen defensionem non tenemur negligere.*

X. *Nec propriam vitam corporalem, ob vitam corporalem proximi.*

XI. *Licitum non est vitam exponere pro tuenda fama, honore, bonisque temporalibus proximi.*

XII. *Num mater gravida pati debeat sectionem cæsaream.*

XIII. *Nemo tenetur gravi proximi necessitati, etiam spirituali, cum vitæ periculo auxiliari.*

XIV. *At tenetur in gravi necessitate alicujus communitatis.*

XV. *Licitum est vitam temporalem exponere ob bonum commune, & nonnulli etiam tenentur.*

XVI. *Tenemur grave damnum Proximi avertere cum levi damno nostro.*

XVII. *Non licet ad mortem damnato sibi mortem consciscere.*

XVIII. *Num sint parentes spirituales carnalibus præferendi?*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. PROPTER quodcumque bonum spirituale etiam totius mundi nunquam licet velle pati quamcumque gratiæ jacturam sive per peccatum lethale sive veniale. Quia caritas exigit, ne mala fiant ut bona eveniant juxta Apostoli effatum ad Rom. 3.: omne namque peccatum vel aufert caritatem, vel importat inclinationem affectus inordinatam ad aliquid, sed caritas semper importat ordinatam ad Deum, & ad proximum propter Deum inclinationem, ergo nunquam inclinare potest etiam in peccatum veniale.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Nunquam licet velle carere gratia seu caritate sive in perpetuum, sive ad tempus, etiamsi putemus id fieri posse absque peccato, & ad salutem aliorum utile videretur. Ratio est, quia ex ordinata caritate debemus nobis potius, quam aliis velle bonum amicitiæ divinæ, alioquin magis diligeremus alios, quam nos ipsos; non possumus autem habere amicitiam Dei absque caritate, ea igitur carere velle nunquam debemus. Hinc Parochi, Confessarii, aliique Ecclesiæ Ministri, qui mulierum confessiones audientes motus concupiscentiæ experiuntur, gravibusque subsunt tentationibus, quibus infeliciter cedunt, & in peccata labuntur, debent beneficio renunciare, & ab officio Confessarii cessare, ne dum alios in viam salutis student perducere, ipsi ab ea aberrent, & misere pereant; sic enim postulat ordo caritatis. Si vero eas tentationes sentiant quidem, at non consentiant, sed coram Deo se humilient, ejusque auxilium deposcant, non per hoc tenentur officio, vel beneficio abrenunciare; nam & periculum peccandi est ipsis remotum, & utilitas proximi, caritatis exer-

ci-

citium, proprii muneris adimpletio bona certa sunt.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Nunquam licet pro salute proximorum velle carere beatitudine in perpetuum, quia ordinata caritas cum sit amicitia hominis ad Deum, inclinat hominem, ut desideret unionem cum amato Deo in præsenti quidem vita per gratiam, in futura autem per gloriam. Agit ergo contra caritatis inclinationem, qui vult propter salutem proximi æternum cœlesti carere beatitudine. Carentiam autem beatitudinis ad tempus aliquod ob spiritualem proximi utilitatem velle quempiam licite, immo laudabiliter posse, dubitare non sinunt exempla SS. Pauli, Martini, aliorumque, quorum primus pro proximis suis manere in carne contentus erat, licet vehementer optaret dissolvi, & esse cum Christo. Alter vero in agone mortis constitutus orabat: *Domine, si adhuc sum populo suo necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.*

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Licitum est pro animabus Purgatorii nostrorum bonorum operum satisfactiones offerre, quamvis in altera vita nobis necessariæ futuræ videamur. Quia nullum revera spirituale detrimentum incurrimus ex illa satisfactionum nostrarum oblatione, eo vel maxime, quia nunquam Creator a creatura liberalitate vincitur, eademque oblatio utpote ex caritate procedens ut meritoria magis prodesse potest, quam ipsæ profuissent satisfactiones.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Licitum non est velle spirituale detrimentum, quod quamvis culpam adnexam non habeat, tamen caritatem minuit, vel meritorum impedit augmentum. Hinc tale detrimentum non est per se amabile, nec ad aliorum salutem valet ordinari. Caritas vero semper ad sui perfectionem tendit, & quidquid eam minuere potest aversatur. Hinc si quando a Sanctis viris aliqua exteriora bona opera omittuntur, puta orationes, meditationes, solitudo, ut proximorum curent salutem, nullum detrimentum spirituale incurrunt, sed solum opera commutant, & spitualem utilitatem, quam exterioribus actibus quærebant, interiori affectu caritatis compensant. Sic qui Religionem ingredi differt vel omittit, ut parentum inopiæ & necessitati succurrat, non incurrit spirituale detrimentum, quia ipsi actus caritatis, quibus parentibus auxiliatur, caritatem continuo augere possunt æque, & fortassis amplius, quam præstarent Religionis munia, & exercitia.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Licet vitam pro vita proximi offerre propter virtutis christianæ bonum, quod etsi non reluceat in eo, quod vita proximi vitæ nostræ oblatione salvetur, in eo tamen apparet, quod gratus animus exhibetur, amicitiæ honestas confirmatur, & vita servatur illius, qui prudenter existimatur magis utilis ad gloriam Dei, & animarum salutem promovendam. Ita docet S. Thom. 3. sent. dist. 29. q. 1. art. 5. scribens: *Tradere seipsum morti propter amicum est perfectissimus actus virtutis. Unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam propriam corporalem. Unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc, quod aliquis plus omnium, quam seipsum diligat, sed quia in se plus diligit bonum virtutis, quam bonum personale.* Et Jo. 15. v. 13. dicitur: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

CON-

Consectarium Septimum.

VII. Non tenemur nos magis amare quam proximum quoad bona temporalia, quæ ad nostræ, nostrorumque vitæ conservationem minime sunt necessaria; hæc enim nobis, nostrisque velle non tenemur: unde possumus ea contemnere, proximoque ob rationabilem causam erogare, ad exemplum S. Paulini, qui pro filio Viduæ a captivitate liberando, post omnia sua erogata seipsum tradidit captivum.

Consectarium Octavum.

VIII. Tenetur quilibet etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis saluti æternæ proximi in extrema necessitate constituti consulere. Ita S. Thom. Opusc. de Vita spirituali cap. 14. *Plus debemus proximum diligere, quam corpora nostra. Unde vitam corporalem pro salute spirituali proximorum ponere convenit, & hoc cadit sub necessitate præcepti in necessitatis articulo, puta si aliquis videret aliquem ab infidelibus seduci, deberet se mortis periculo exponere, ut eum a seductione liberaret.* Eapropter tenetur quilibet puerum jamjam moriturum etiam cum vitæ periculo baptizare, & quilibet Sacerdos mox morituro & Confessionem petenti debet etiam cum vitæ periculo Pœnitentiæ Sacramentum administrare; nam, ut optime docet S. Augustinus de Doctr. Christ. *Amplius homo* (quoad animam) *diligendus est, quam corpus nostrum, quia potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus.* Conformis est hæc doctrina Evangelio, ubi aperte Christus dicit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; Christus vero ita nos dilexit, ut *animam suam pro nobis posuerit*! unde concludit D. Joan. epist. 1. cap. 3. n. 16. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ad hoc vero multo magis tenentur illi, qui proximum in talem extremam necessitatem culpa sua conjecissent; sic obstetrices iniquæ, vel sagæ, quæ pueros invalide baptizarunt, tenentur se prodere, & crimen suum etiam cum periculo vitæ manifestare, si sit spes probabilis consulendi hoc pacto spirituali infantium saluti, nec alia sit via illatum gravissimum damnum spirituale reparandi; sic enim postulat & caritas, & justitia. Similiter qui proximum in hæresim vel infidelitatem pertraxisset, teneretur etiam cum periculo vitæ ipsum ad veram fidem revocare.

Consectarium Nonum.

IX. Nemo tenetur sui defensionem negligere, ne injustum aggressorem occidat gravis culpæ reum, unde dubitet aggressorem in lethali peccato decessurum. Nam necessitas illa voluntaria omnino est & libera, nulloque pacto vel gravis, vel extrema dicenda; potest siquidem ab illa se liberare, a crimine, & injusta invasione abstinendo.

Consectarium Decimum.

X. Nemo tenetur propriam vitam corporalem minus diligere, quam vitam corporalem proximi. Sic enim docet S. Augustinus lib. de Mend. cap. 6. *Si quis pro alterius vita temporali ipsam suam temporalem perdat, non est jam illum diligere sicut seipsum, sed plus diligere quam seipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit.* Hinc in extrema necessitate positus non debet alteri in pari necessitate constituto vel cibum cedere, vel equum præbere, quo mortem effugiat, vel tabulam in naufragio. Ita quidem si comparatio fiat de vita cum vita, aut si majus aliquod spectetur bonum, idest vel publica utilitas, vel bonum virtutis, vel major Dei gloria, tunc licebit vitam pro vita ponere, ut diximus Consect. 6. Proinde a

Sal-

Salmanticensium recedimus opinione, qui censent absolute licere in naufragio cedere alteri naufraganti tabulam, quod verum non est, nisi aliquod accedat virtutis officium, quod cessionem honestet.

Consectarium Undecimum.

XI. Licitum non est pro tuendis honore, fama, bonisque temporalibus proximi propriam vitam periculo exponere. Non enim tunc rectus servatur caritatis ordo, qui jubet potiora bona esse bonis inferioris ordinis præferenda. Porro vita bonum est superioris ordinis, non ergo præferendum aliis inferioribus bonis. Sic non licet vitam exponere, ut proximus furti damnum non subeat, nec cum vitæ periculo, etiam in gravi, vel extrema necessitate constituto subvenire.

Consectarium Duodecimum.

XII. Mater gravida & ad pariendum impotens tenetur sectionem, quam cæsaream vocant, subire, ut proles baptizetur, quæ alioquin certo esset sine baptismo peritura, dummodo tamen, spectato & fœminæ robore, & Medicorum peritia, spes sit valde probabilis sectionem illam nec matri nec proli futuram exitialem, secus vero si adsit probabile periculum mortis alterutrius. Ratio primæ partis est, quia salus æterna infantis est præferenda incommodo & dolori temporaneo matris, vel etiam remoto periculo ejus mortis: & revera ita docent Alex. Alensis, Henricus a S. Ignatio, pluresque insignes Theologi; immo, ut posita est assertio, ab omnibus ceu veram & certam habendam esse arbitror. Ratio vero secondæ partis patet manifesta est, quia periculum adest proximum & probabile homicidii. Hanc optime docet S. Thom. in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. q. 1. ad 4. *Homo potius debet dimittere perire infantem, quam ipse pereat homicidii crimen in matre committens*. Et repetit 3. p. q. 68. art. 2. ad 3. *Non sunt* (scribit) *facienda mala, ut eveniant bona, ut dicitur Rom. 3. & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur*. Quod verum est, etiamsi vita matris sit in desperatis, nam adhuc esset vera mulieris occisio, quæ com sit de se mala, nullo pacto licita unquam fieri poterit.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Nemo tenetur gravi proximi necessitati etiam spirituali cum vitæ periculo auxilium ferre. Nam necessitas gravis talis est naturæ, ut ab ea se alicujus ope liberare possit. Hinc si Pater velit ob inopiam gravem filiam prostituere, non teneris cum vitæ periculo occurrere, & prostitutionem impedire. Excipiendi tamen sunt Pastores & Episcopi, qoia obligantur ratione officii ad avertenda gregis sibi commissi spiritualia mala arctius & strictius quam ceteri, quibus non est ea cura commissa: quamobrem si cæteri in extrema necessitate tenentur subvenire, illi procul dubio etiam in gravi. Præterea Pastores ex officio adstringuntur gregem pascere & Sacramentis, & verbo Dei, quotiescumque id ejus saluti est vel absolute vel graviter necessarium. Tenentur proinde grassante lue, vel epidemicis morbis urgentibus, etiam cum vitæ periculo, gregi suo opitulari: nec possunt officium dimittere; alioquin nullus Pastor teneretur in tali necessitate suis ovibus opem ferre; posset siquidem quilibet cessionis beneficio ab onere se subtrahere.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. In gravi necessitate spirituali alicujus

jus communitatis quisque tenetur etiam cum propriæ vitæ periculo illi opitulari, si adsit spes probabilis fructus & utilitatis. Ratio est, quia ex ordine caritatis grave commune damnum spirituale est privatæ vitæ bono præferendum; & vix contingere potest, ut urgente gravi necessitate alicujus communitatis, in ea nulli sint, qui extrema etiam necessitate non premantur. Expropter in hostili infidelium incursione, vel hæretico in aliqua communitate virus suum fundente cum plurimorum gravi periculo, tenentur & Sacerdotes, & qui possunt, etiam cum periculo vitæ, Sacramenta indigentibus ministrare, & errores confutare, pravamque doctrinam disseminantem cohibere.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Licitum est privatis propriam vitam temporalem discrimini exponere ob bonum commune Reipublicæ, vel ob vitam Principis tuendam ad commune bonum necessariam, immo & nonnulli tenentur. Ratio primæ partis est, quia caritatis ordo postulat privatum bonum esse communi præferendum; quilibet igitur saltem potest hunc ordinem licite servare, licet fortassis non teneatur, puta quia alii sunt ad bono communi consulendum parati. Secunda vero pars illos respicit qui ad hoc ex officio tenentur; sic milites stationem tenere debent etiam cum periculo vitæ, Medici & Chirurgi pretio conducti tenentur peste infectis servire, eisque mederi, præsertim nisi alii adsint, qui hæc necessaria præstent officia.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Tenemur grave damnum in bonis temporalibus a proximo avertere cum levi damno temporali nostro. Id quoque maxime consonum est ordini caritatis, quæ in naturali principio relucet, faciendum alteri, quod sibi vellet fieri. Quilibet enim profecto vellet a se grave damnum arceri ab alio, cum id posset minimo vel exiguo damno. Hinc si quis videat latrones paratos ad vicini domum expilandam, & potest exigua erogata pecunia avertere, ex caritate tenebitur tantum damnum a vicino arcere. Similiter si exigua erogata pecunia, vel etiam mutuo dato impedire possim, ne proximus in carcerem conjiciatur, vel bonorum subhastationem incurrat, ex caritate erogare teneor, maxime si pecunia sit statui superflua.

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Non licet ad mortem damnato sibi necem consciscere, hoc enim esset contra caritatem sui, nec judex hoc præcipere potest, quia crudele hoc esset & inhumanum præceptum, sed solum tenetur mortem sibi a carnifice illatam patienter & fortiter tolerare. Propterea non licet damnato ut fame pereat cibum respuere, sed oblatum debet recipere, & vitam quoadusque sibi conceditur conservare.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. In pari casu sive spiritualis sive corporalis necessitatis parentes spirituales non sunt carnalibus præferendi. Ratio in promptu est, quia conjunctio filialia ex carne est fundamentum omnium aliarum conjunctionum, & juxta S. Thom. in 3. dist. 29. art. 3. caritas ordinem naturæ non mutat, sed perficit: porro ordine naturæ parentes aliis præferuntur, ergo etiam ordine caritatis, qui ordo si locum habet in corporalibus, & terrenis subsidiis, multo magis obtinebit & in spiritualibus, quæ majoris sunt momenti & nobilioris ordinis.

RE-

R E F L E X I O.

Fraternæ caritatis dilectio tessera est & norma, quæ nos veros Christi discipulos ostendit, & a ceteris gentibus, quæ Christum ignorant, discriminat. *In hoc cognoscent omnes* [ajebat Salvator noster Joan. 13. 35.] *quod Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Sed heu adeo caritas hæc inter Christianos refriguit, ut hæc splendida tessera plane omnino evanuisse videatur. Præterierunt illa felicissima tempora, in quibus fraterna dilectio adeo inter Christianos fulgebat, ut ejus perciti splendore Gentiles stupentes sibi mutuo dicerent, ut scribit Tertullianus Apol. cap. 39. *Videte, ut se invicem diligunt*. Non exulat quidem a cordibus hominum amor, immo viget, ardet, dominatur, sed non illo igne accensus, quem Christus venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi, sed quem inflammat concupiscentia, vel parturit natura cum necessitate conjuncta. Sed hic non est amor ille, qui solus dividit inter filios regni ac perditionis. " Diligere enim propter amo„rem reciprocum [scribit piissimus Lindul„phus Carthusiensis de Vita Christi parte 1. „cap. 25.] naturæ est debitum. Diligere „propter beneficium acceptum vel speratum, „est mercenarium. Diligere propter mutuæ „familiaritatis oblectamentum, est malum. „Diligere propter peccati consensum, est „malignum. Diligere propter opus bonum, „est gratuitum. Qui enim diligit proximum „aut quia bonus est, aut ut bonus sit, aut „quia ejusdem corporis membra, & ejus„dem patris filii sumus, vere diligere dici„tur. Talis enim amor spiritualis est, & „ideo indeficiens. Carnalis vero amor ci„to dilabitur, sicut & ipsa caro, quali vi„delicet amore Publicani, & Ethnici seip„sos diligunt; statim enim ut se ab aliis „non diligi intelligunt, ipsi quoque alios „non diligunt. Nos ergo omnes diligere, „omnium salutem quærere, omnibus bene„facere, & caritatis affectum ostendere de„bemus, non quærentes cui, sed quare „ista faciamus. Sic enim augetur amor, & „concordia crescit. Ista itaque debent fieri „non in spe retributionis humanæ, sed di„vinæ. Sicut enim Deus est omnis boni „principium, sic vult esse & finis. Ego „sum, inquit, alpha & omega, princi„pium & finis." Verum, oh quam pauci sunt, etiam pietatem profitentes, qui hoc pacto proximum diligant! *Alius* (inquit D. Joan. Chrysost. homil. de Paschate) *affinitate, alius consuetudine, alius vicinia, alius alia quadam ratione, nemo fidei ac religionis pietate nobis amicus est*.

Sed unde, inquies, verum proximi amorem, vel a noxio concupiscentiæ, vel ab inutili naturæ dilectione discernere poterimus? Ex triplici profecto nota, & charactere; nimirum si zelotes sit, si beneficus si patiens. Zelotes est amor proximi, quippe in hunc collineat scopum, ut proximus qui diligitur in eumdem tendat finem, in quem nos ipsi tendimus. *Ad hoc bonum* [inquit Augustinus lib. 10. de Civ. Dei c. 30.] *quod Deus est, debemus & quos diligimus ducere, & a quibus diligimur duci*. Dum filiis, cognatis, amicis non nisi temporalia bona vel optamus, vel comparamus, eos vera non diligimus caritate, quæ hæc terrena non respicit, sed æterna & cælestia. Beneficus etiam sit oportet verus proximi amor: caritas enim otiosa esse nequit, instar ignis semper erumpit & agere gestit. " Nec in exte„rioribus gradum sistit (*inquit Theophilus in hom. apud Combefisium*) is, cui caritas fa„mem tollit, neque solum esurientis corpus „alit, sed ad interiora, atque a sensu re„mota pervadit, & animi morbo medici„nam excogitabit opportunam, & eum,

„ qui non panis & aquæ, fed verbi divini „ audiendi fame laborat ac fiti, in loco pa„ fcuæ & fuper aquam refectionis collocabit, „ & qui pravis operibus a fuperna patria „ extorris hofpes evafit, cum bonis confiliis „ reftituet & domum fuam reducet: alium „ paternis opibus inftar prodigi filii denuda„ tum, ac fobria victus ratione quafi vefte „ exutum docendo hortandoque virtutum fto„ la circumdabit, & qui in ignorantiæ te„ nebris tanquam in carcere detinetur, in„ telligentiæ lumen oftendit, & infirmum „ in fide affumet juxta Pauli admonitionem. „ Ubi fic egerit, multiplicabit, cumulabit„ que caritatis opera, & vitæ præmia.

Denique patiens eft vera dilectio proximi, quippe quæ libenter fratrum fuffert infirmitates, injurias tolerat, fponte & prompte condonat: *Caritas*, inquit D. Paulus 1. Corinth. 12. *patiens eft, benigna eft, omnia fuffert*. Non debent ergo nos ab amore avertere proximorum defectus, immo nec fcelera, quin peccatum odientes, peccatorem amemus. *Cur quæfo* [fcribit D. Joan. Chryfoft. hom. 33. in epift. ad Rom. num. 5.] *averfaris & fugis proximum? An quia eft impius? At ideo oportet illum adire, & curare, ut ægrotum ad valetudinem revoces. Quod fi incurabili morbo laborat, fed tu juffus es quod in te eft facere. Nam & Judas incurabili morbo laborabat, nec tamen deftitit Deus illum curare. Ne itaque tu quoque defatigeris. Nam etfi magno adhibito ftudio ipfum ab impietate non liberes, ac fi liberaffes mercedem accipies, & efficies, ut ipfe manfuetudinem tuam admiretur*. Denique caritas libenter injurias tolerat, mala inflicta condonat, nullum inimicum agnofcit, fed & ipfos offenfores inter amicos enumerat. Et hoc eft illud divinum præceptum, quod chriftianæ fapientiæ dignitatem oftendit; nam *amicos diligere*. [ut obfervat Tertullianus] *omnium eft, inimicos folorum Chriftianorum*. Hujus cuftodia piæ epti ad dignitatem evehit filiorum Dei: *Diligite inimicos veftros, benefacite his, qui oderunt vos, ut fitis filii Patris veftri, qui in cælis eft*. Illius vero violatores indignos venia ac mifericordia efficiuntur, dicente Chrifto: *Si dimiferitis hominibus peccata eorum, dimittet vobis & Pater vefter cæleftis*.

„ Itaque (fcribit Chryfoft. hom. 19. in Matth.) „ a nobis principium eft, & judicium de no„ bis ferendum in noftra fitum eft poteftate. „ Nam ne vel ex ftupidis quifquam poffit „ vel in parva, vel in magna re conqueri „ dum judicetur, te reum calculi ferendi „ Dominus facit, & quemadmodum, inquit, „ tu de te ipfo judicaveris, ego de te judi„ cabo. Si confervo dimiferis, a me pa„ rem referes gratiam, quamquam res non „ paris fit conditionis. Tu enim, quod re„ miffione eges, remittis, Deus vero cum „ nullo opus habeat. Tu conffervo, Deus fer„ vo. Tu fexcentorum reus peccatorum, Deus „ vero impeccabilis cum fit ..... Quid ergo „ dicere poffis, an te mali quidpiam a pro„ ximo injufte paffum effe? Hæc quippe „ funt peccata, nam fi jufte, peccatum nul„ lum eft. At tu talium vere peccatorum „ veniam impetraturus accedis, immo & „ multo majorum, & ante veniam magnam „ confecutus es gratiam; poft hæc vero ma„ gna etiam tibi merces illic recondita erit, „ quod nullæ a te peccatorum rationes po„ ftulantur. Quo igitur digni fupplicio eri„ mus, fi tali accepta poteftate falutem no„ ftram prodamus, cum nolimus, dum pe„ nes nos eft, nobis ipfis parcere "? Libenter igitur condonemus injurias, immo beneficiis penfemus. " Quæ enim gloria eft [in„ quit D. Petrus epift. 1. cap. 2. v. 20.] „ fi peccantes, & colaphizati fuffertis? Sed „ fi benefacientes patienter fuftinetis: hæc „ eft gratia apud Deum. In hoc enim voca„ ti eftis: quia & Chriftus paffus eft pro-

no,

„ nobis, vobis relinquens exemplum, ut
„ sequamini vestigia ejus . . . . . qui cum
„ malediceretur, non maledicebat: cum pa-
„ teretur, non comminabatur; tradebat au-
„ tem judicanti se injuste.

CAPUT XIV.

De actibus exterioribus Caritatis, Eleemosyna, & Correctione fraterna.

DOCTRINA.

I. *Exteriores caritatis actus recensentur.*

II. *Eleemosyna est actus misericordiæ a caritate imperandus.*

III. *Datur naturale præceptum de eroganda eleemosyna.*

IV. *Lege divina firmatum tum in veteri tum in novo Testamento.*

V. *Patres hoc præceptum disertissime inculcant.*

VI. *Triplex distinguendus in pauperibus necessitatis gradus.*

VII. *Et triplex in divitibus superflui genus. Nonnullæ statuuntur regulæ.*

VIII. *Prima. De his, quæ & naturæ & statui superabundant, est danda eleemosyna.*

IX. *Altera. In extrema necessitate danda eleemosyna de superfluis naturæ, licet necessaria statui.*

X. *Tertia. Nemo tenetur ex necessariis suæ vel suorum vitæ eleemosynam dare indigenti in extrema necessitate.*

XI. *Quarta. In gravi proximi necessitate tenentur divites eleemosynam dare ex superfluis naturæ, licet decentiæ ac decori status sint necessaria.*

XII. *Quando urget præceptum eleemosinæ, communiter illud non implet, qui tantum mutuo daret.*

XIII. *Sexta. Inter necessaria statui non sunt computanda bona, & pecuniæ, quæ in operibus lege vel divina vel humana vetitis insumuntur.*

XIV. *Septima. Nec quæ absumuntur in superfluo luxu.*

XV. *Octava. In divitibus multum superflui etiam ad status decentiam reperitur, pauperibus ex præcepto erogandum.*

XVI. *Nona. Divites, nisi sibi attente caveant, de sua æterna salute periclitantur vel eo solo nomine, quod præceptum eleemosynæ non implent.*

XVII. *Eleemosyna est de bonis propriis, non alienis facienda.*

XVIII. *Non vero de injuste comparatis.*

XIX. *Pecunia, vel alia bona per Simoniam acquisita sunt in usum pauperum, vel Ecclesiæ eroganda.*

XX. *Ex bonis meretricio vel lenocinio acquisitis fieri potest eleemosyna.*

XXI. *Beneficiarii ex justitia tenentur superflua pauperibus erogare.*

I. EXTERIORES caritatis actus, quos omnibus amicis & inimicis, pro loco, tempore & circumstantiis exhibere præcipimur, enumerat D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 2. scribens: " Ponuntur septem eleemosynæ
„ corporales, scilicet pascere esurientem, po-
„ tare sitientem, vestire nudum, recolligere
„ hospitem, visitare infirmum, redimere cap-
„ tivum, sepelire mortuum. Ponuntur etiam
„ septem eleemosynæ spirituales, scilicet do-
„ cere ignorantem, consulere dubitanti, con-
„ solari tristem, corrigere peccantem, re-
„ mittere offendenti, portare onerosos & gra-
„ ves, & pro omnibus orare ". Quæ omnia hisce duobus versiculis continentur.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Omnes igitur actus caritatis ad eleemosynam revocat D. Thomas, sive corporalem, sive spiritualem. Hinc non opus est de singulis pertractare, sed vestigia Doctoris Angelici pre-

prementes de eleemoſyna corporali primam agemus , deinde de ſpirituali ideſt de correctione fraterna diſputabimus .

§. I.

De Eleemoſynæ præcepto tum naturali, tum poſitivo .

II. Eleemoſynam definit Angelicus Præceptor 2. 2. q. 32. art. 1. *Opus , quo datur aliquid indigenti ex compaſſione propter Deum*. Quam definitionem exponens ſubdit . *Quod quidem motivum* [ſcilicet *ex compaſſione*] *pertinet ad miſericordiam . . . . & quia miſericordia eſt effectus caritatis , ex conſequenti dare eleemoſynam eſt actus caritatis , miſericordia mediante* . Hinc quatenus ab hac ſecunda elicitur virtute , opus bonum eſt; quatenus ab illa imperatur , etiam vitæ æternæ meritorium .

III. Sub naturali præcepto cadere eleemoſynæ elargitionem evincit S. Thom. l. cit. art. 5. *Dicendum , quod cum dilectio proximi ſit in præcepto , neceſſe eſt illa omnia cadere ſub præcepto , ſine quibus dilectio proximi non conſervatur . Ad dilectionem autem proximi pertinet , ut proximo non ſolum velimus bonum , ſed etiam operemur , ſecundum illud* 1. *Jo.* 3. Non diligamus verbo , neque lingua, ſed opere , & veritate , *Ad hoc autem , quod velimus , & operemur bonum alicujus , requiritur , quod ejus neceſſitati ſubveniamus ; quod ſit per eleemoſynarum largitionem ; & ideo eleemoſynarum largitio eſt in præcepto* . Quam doctrinam atque rationem hauſit Doctor Angel. ex Joan. epiſt. 1. cap. 3. v. 17. ſcribentis : *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi , & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo , quomodo caritas Dei manet in eo ?*

IV. Præcepto etiam divino homines ad erogandas pauperibus eleemoſynas teneri luculentiſſima evincunt tum veteris tum novi Fœderis teſtimonia Deuter. cap. 15. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi , ut aperias manum fratri tuo egeno , & pauperi , qui tecum verſatur in terra* . Eccleſ. 29. *Fili , eleemoſynam pauperis ne defraudes , & viciſſitudinem ſuam reddet ei* . Tob. 4. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam , & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere , ita enim fiet , ut nec a te avertatur facies Domini* . In novo vero Teſtamento expreſſe jubet Chriſtus Luc. 11. *Quod ſupereſt , date eleemoſynam* . Et Matth. 25. æternam damnationem indicit illis , qui eleemoſynas pauperibus denegaverint : *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum .... eſurivi enim , & non dediſtis mihi manducare , ſitivi , & non dediſtis mihi potum &c.*

V. Patrum teſtimonia adeo frequentiſſima ſunt , & cuique obvia , ut ea referre ſupervacaneum ſit . Afferam duntaxat doctrinam D. Thom. & Baſilii teſtimonium ab eo allatum in confirmationem . Sic itaque ſibi objicit loc. cit. a. 5. Arg. D. *Cuilibet licet ſua re uti , & eam retinere ; ſed retinendo rem ſuam aliquis eleemoſynam non daret ; non ergo dare eleemoſynam eſt in præcepto* . Reſpondet vero ad 2. *Dicendum , quod bona temporalia , quæ homini divinitus conferuntur , ejus quidem ſunt quantum ad proprietatem: ſed quantum ad uſum non ſolum debent eſſe ejus , ſed etiam aliorum , qui ex eis ſuſtentari poſſunt ex eo , quod ei ſuperfluit . Unde Baſilius dicit ; Si fateris ea tibi divinitus proveniſſe (ſcilicet temporalia bona) an injuſtus eſt Deus inæqualiter res nobis diſtribuens ? Cur tu abundas , ille vero mendicat , niſi ut tu bonæ diſpenſationis merita conſequaris , ille vero patientiæ bravii decoretur ? Eſt panis famelici , quem tu tenes ; nudi tunica , quam in conclavi conſervas ; diſcalceati calceus , qui penes te marceſcit ; indigentis argentum , quod poſſides in-*

hu-

humatum . Quocirca tot injuriaris , quot dare valens es .

§. II.

De quibus bonis danda sit Eleemosina .

VI. Triplici necessitatis gradui subjacere potest indigentia proximi . Primus extremus dicitur , quando scilicet pauper est in proximo , seu probabili periculo vel amittendæ vitæ , vel alicujus membri, vel in amentiam incidendi , & hic opportune animadvertit D. Th. non esse extremam expectandam penuriam & necessitatem . *Sed cum apparent signa probabilia extremæ necessitatis* , urgere præceptum eleemosynæ dandæ , *nam* (subdit in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. quæst. 4. ad 4.) *non est expectanda ultima necessitas , quia tunc forte non posset juvari natura jam fame vel siti consumpta* . Secundus necessitatis gradus est , qui gravis dicitur , quando nimirum ex deficientia eleemosynæ , & auxilii , spectato consueto rerum cursu , imminet proximo grave damnum sive in vita , sive in honore , sive in statu , vel re domestica , puta si nobilis ad famuli conditionem redigeretur , si honestus civis cogeretur vel rustica opera exercere , vel emendicato pane vivere. Tertius est, qui communis dicitur, cui subjacent illi , qui victum sibi comparare non valentes , ostiatim mendicare coguntur , & pauperum communi vocabulo designantur .

VII. Superfluum vero pariter ex triplici capite desumitur , nimirum ex superabundantibus naturæ, nimirum iis quæ necessaria sunt alendæ vitæ nostræ , & aliorum ad nos pertinentium . 2. Ex superabundantibus statui , iis videlicet quæ necessaria sunt ad statum conservandum , in quo divina nos providentia collocavit; & hæc latitudinem patiuntur : quædam enim absolute sunt statui necessaria , quædam solum ad ejus decorem , atque decentiam . 3. Denique ex superabundantibus utrique , nimirum naturæ & statui . Audiatur D. Th. 2. 2. q. 32. a. 6. *Necessarium dupliciter dicitur , uno modo , sine quo aliquis esse non potest . . . . puta , si aliquis in articulo necessitatis constitutus haberet solum unde posset sustentari , & filii sui , vel alii ad eum pertinentes . . . . . Alio modo dicitur aliquid esse necessarium , sine quo non potest convenienter vita transigi secundum conditionem , & statum propriæ personæ , & aliarum personarum , quarum cura ei incumbit . Hujusmodi necessarii terminus non est in indivisibili constitutus ; sed multis additis , non potest dijudicari esse ultra tale necessarium , & multis subtractis , adhuc remanet , unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum* . His constitutis , has præstituimus Regulas .

Regula Prima .

VIII. De his , quæ tum naturæ , tum statui superabundant , danda est ex præcepto eleemosyna . Ita diserte S. Th. loc. cit. a. 5. ad 3. *Dicendum , quod est aliquod tempus , in quo mortaliter peccat , si eleemosynam dare omittat . . . . ex parte dantis , cum habet superflua , quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria , prout probabiliter æstimari potest . Nec oportet , quod consideret omnes casus , qui possunt contingere in futurum ; hoc enim esset de crastino cogitare , quod prohibet Dominus Matth. 6. Sed debet dijudicari superfluum , & necessarium secundum ea, quæ probabiliter , & ut in pluribus occurrunt* . Quod repetit in 4. dist. 15. q. 11. a. 1. quæst. 4. *Dare eleemosynam de superfluo cadit in præcepto* . Et 2. 2. q. 87. a. 1. ad 4. *Tertiæ vero decimæ , quas cum pauperibus comedere debebant , in nova lege augentur per hoc , quod Dominus non solum decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus jubet exhiberi , se-*

cun-

cundum illud Lucæ 11. Quod superest, date eleemosynam. In qua D. Thomæ certa, & constanti doctrina illud est animadvertendum, totam rationem præcepti ex superfluitate desumi, nulla habita ad indigentium necessitatem relatione: hinc qui superfluum habet, hoc solo nomine tenetur illud in eleemosynam erogare, sive pauperum necessitas gravis sit, sive extrema, sive communis.

Regula Secunda.

IX. In casu extremæ & urgentis necessitatis danda est eleemosyna ex superabundantibus naturæ, licet necessaria statui. Ita docet idem S. D. loc. cit. scribens: *Est aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat: ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, & urgens necessitas, nec apparet in promptu qui ei subveniat.* Et revera, si in hocce casu eleemosynæ præceptum non obligaret, mandatum supervacaneum omnino foret.

Regula Tertia.

X. Nemo tenetur ex necessariis propriæ vitæ vel suorum stipem dare indigenti in extrema necessitate. Ita S. Th. loc. cit. a. 6. ubi docet: *Necessarium, sine quo aliquid esse non potest: de tali necessario eleemosyna omnino dari non debet; puta si aliquis in articulo necessitatis constitutus haberet solum unde posset sustentari, & filii sui, vel alii ad eum pertinentes: de hoc enim necessario eleemosynam dare, est sibi, & suis vitam subtrahere. Sed hoc dico, nisi forte talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur: quia pro talis personæ liberatione seipsum, & sua laudabiliter* (nota laudabiliter, non necessario) *periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum*.

Regula Quarta.

XI. In gravi proximi necessitate tenentur divites eleemosynam erogare indigentibus ex superfluis naturæ, licet statui decentiæ & decori sint necessaria. Hujus Regulæ ratio est luculentissima. Nam una ex parte gravis necessitas illa est, in qua pauper, nisi adjuvetur, in grave incidit malum, videlicet talem patitur famem, indigentiam, miseriam, ex qua facile est ut morbum incurrat & infirmitatem, vel in carcerem conjiciatur, ejus bona diripiantur &c. Ex alia vero parte status conditio & decentia latitudinem patitur, & ut scribit S. Th. *Hujusmodi necessarii terminus non est in indivisibili constitutus, sed multis additis, non potest dijudicari esse ultra tale necessarium, & multis subtractis, adhuc remaneret, unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum*. Ergo cum possit dives absque magno detrimento sui status pauperi gravi presso egestate subvenire, ex præcepto tenetur: nam ordo caritatis postulat, ut grave proximi malum levi & tenui incommodo meo præferatur, alioquin quomodo proximum diligere diceretur, qui illum gravi cernens pressum necessitate illi non auxiliaretur cum posset sine gravi & magno suo incommodo? Audiatur D. August. tract. v. in Epist. Joan. *Esurit frater tuus, in necessitate positus est, fortassis suspenditur, a creditore angustiatur* [non sunt hæc profecto extremæ, sed solum gravis necessitatis indicia]. *Non habes ipse, habes tu. Frater est, simul empti estis, unum est pretium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis. Vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet, forte dicis? Ego daturus sum meam pecuniam, ne ille molestiam* (non extremam necessitatem) *patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Pa-*

tris

tris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo ergo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes. Quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?

Regula Quinta.

XII. Quando urget præceptum dandæ eleemosynæ, communiter loquendo, non illud implet qui tantum mutuo daret. Nam eleemosynæ præceptum, quod per se urgere supponimus, aliud omnino est a præcepto mutuandi, & quando urget præceptum eleemosynæ, tunc bona habentis licet sua sint quoad dominium, pauperum tamen sunt quoad usum; illis ergo sunt debita, & quod alteri est debitum, non est illi cum onere restitutionis tribuendum. Præterea præceptum adstringit, quando proximus est in extrema necessitate; at tunc omnia quoad usum sunt communia; ergo gratis danda, non cum restitutionis onere. At qui egenti proximo hoc addito onere auxiliaretur, inhumanus, crudelis, caritatis inimicus foret omnino dicendus. Urget præceptum etiam, quando in divite sunt superflua naturæ & statui, & tunc ista superabundantia concessa est a divina providentia divitibus, ut ex ea pauperes alant, refocillentur, sustentent. Audiatur D. Basil. hom. 6. ex variis: *Cur tu dives es, ille pauper? Profecto non ob aliam causam nisi ut tu benignitatis, ac fidelis administrationis mercedem accipias . . . . Esurientis est panis, quem tu retines; nudi est vestis, quam in arca custodis; discalceati calceus, qui apud te marcescit; egentis argentum, quod tu terræ defossum possides.* Ergo ista sunt gratis donanda. Tertio urget præceptum, quando gravi necessitate pressum potes levi incommodo tuo auxiliari, nonnulla detrahendo decori tui status; at hæc quoque ideo data sunt, ut tu quidem abundes, dummodo tamen proximus non gravetur; at gravari abs te manifestum erit, si possis a gravi necessitate tua superabundantia levare, & crudeliter abnuis. Dixi *communiter*; quia scio dari posse casum, quo solo mutuo impleas præceptum; nimirum, si forte quis in sua urbe dives & locuples, sed in longinquas terras peregrinus & vel naufragio vel latronibus expoliatus ad extremam vel gravem devenit miseriam, & de hoc casu loquitur S. Thom. quodlib. 5. art. 17. dum in resp. ad 2. scribit: *Quod unusquisque tenetur ad liberandum proximum a morte secundum suam conditionem, & modum; & hoc quidem convenienter implevit ille, qui pecuniam mutuavit, non autem tenebatur eam donare in casu, quo ille poterat per mutuum liberari*. Nam supponit mutuum accipientem jam de suo penu habere; unde superius dixerat in resp. ad 1. *Quod tunc in necessitate fiunt omnia communia, cum homo non potest sibi de suo subvenire: ridiculum enim esset, si quis famem patiens nollet accipere panem, quem haberet in arca, & diceret se accipere panem alienum quasi communem*. Loquitur igitur de illo, qui haberet de sua substantia, & jure quidem, quia tunc non esset absolute, sed solum in tali loco, vel circumstantiis, in gravi, vel extrema necessitate. Sed hi emergentes casus sicut rari sunt, ita nec regulam constituere possunt, nec communem infirmant, sed per modum appendicis adjungendi, nec extra præstitutos limites ob aliquam vel paritatem, vel levem disparitatem dilatandi.

Regula Sexta.

XIII. Inter necessaria statui, vel ejus decentiæ ac decori abire ut computentur ea bona, & pecuniæ, quæ in operibus lege divina, vel humana vetitis dissipantur, puta in scortationibus, concubinis alendis, sicariis detinendis, lenonibus munerandis, in muneribus ad virgines, vel matronas deflorandas, in aleatoriis ludis, in ebrietatibus, & crapulis, in theatris, & comœdiis. Quis

enim

enim non perspicit, hæc nulli christianorum statui convenire posse, quia divinis vetita præceptis, & quia non decentiam & decorem præferunt, sed immo summam turpitudinem infamiam, dedecusque summum inferunt? Qui itaque sic divitias & bona sua prodigunt, & dissipant, non solum rei sunt scelerum, quibus coinquinantur, sed etiam violati præcepti de eleemosynis elargiendis, cum sponte & voluntate sua ad illud implendum se impotes reddant, seu vere negligant, & contemnant. Si hæc a christianis cordibus vitia eradicarentur, o quam amplum pauperibus pateret patrimonium in eorum alimoniam! Hæc perpendant Confessarii, & divitibus vehementioribus verbis exprobrent, & exponant.

Regula Septima.

XIV. Nec inter necessaria status, vel ejus decentiæ & decori computandæ sunt opes & divitiæ, quæ consumuntur in superfluo luxu, in pretiosis vestibus, in vasorum argenteorum, vel aureorum copia, in curribus, in equis, canibus venatoriis, feris, & similibus. Hanc regulam non ego, sed Sancti Patres constituunt. Audiatur D. Basilius hom. in ditescentes. *Substantiam (scribit) in sumptus varios pro statu & ordine cujuslibet dividunt .... Illa servat usibus domesticis, illa præsto est ad externas phantasias, ut iter facienti ornatus, equitatus, viaticum pro conditione fiant, hæc domi permanenti vitam reddant splendidam, & illustrem, itaut miraculum sit, quomodo tot inanes sumptus excogitentur. Innumeri instituuntur currus, quibus velut sarcinæ ipsi mortales vehentur, illique ære vel argento obtecti. Equi comparantur permulti, atque illi a majoribus suis generosi qualiter homines solent æstimari: quorum alii delicatos per urbem ad ostentationem circumvehunt, alii ad venationem, alii ad iter faciendum præparantur, fræno, zonæ, frontalia, argentea omnia, aureaque: insuper tapeta purpurea ipsos veluti sponsos ornantia equos, mulorum quoque multitudo colore distincta, aurigæ illorum successores invicem, qui præcedunt, & qui subsequuntur. Servorum infinitus numerus sumptibus eorum cunctis ac magnificentiæ suppeditans: Curatores, promi, coloni, ministri cujusvis artis sive necessariæ sive voluptuariæ periti. Præterea coqui, pistores, pincernæ venatores, fictores, pictores voluptatis omnimodæ commentatores. Camelorum greges partim ad onera, partim ad pascua descripti, armenta boum, porcorum, ovium, horumque pastores .... Domus omni marmorum genere constantes, phrygio, laconico, thessalico, e quibus alia hyeme calida, alia æstate frigida esse oportet; pavimentum calculis ornatum variis, cameræ laqueariaque quidquid parietibus superest auro, pictaræque floribus decorata. Sic igitur in usus mille supervacaneos distractæ opes etiam in terra conduntur, & in secretis arcanisque locis custodiuntur .... Quid si insuper uxorem avaram habueris, duplex tibi morbus creverit? Nugas hæc & delicias ardet, voluptatis illecebras tibi augebit .... Circa margaritas, smaragdos, hyacinthos, aurum ejus cura continuo versatur. Hoc fingit aptat, illud vestibus intexit .... Mille insuper assentatores illius adsunt desideriis, adducentes fullones, aurifices, unguentarios, discriminatores, qui ex illius imperiis nullo tempore virum respirare sinunt. Nullus item muliebri concupiscentiæ satis thesaurus, non si e fluminibus fluxerit: quandoquidem unguentum exoticum ex barbaris ita quærunt, ut oleum e foro, & ex mari concha, purpuram, variosque colorum flores plusquam ex ove lanam habere contendunt. Præterea pretiosi lapides undique petiti auro inectuntur. Alii ad ornandam cervicem, alii collo adaptantur, alii zonas locupletant, alii manus, pedesque ornant.*

Gau-

Gaudent auri cupidæ fœminæ manicis ligari, duntaxat ex auro sit vinculum . . . . Si audieris, Vende, & da pauperibus, *ut vitam habeas æternam, mœstus abis. At si audieris, da pecuniam mulieribus deliciis, lapicidis, architectis, tessalariis, pictoribus, gaudes, quasi rem pecunia pretiosiorem assequaris. Nonne vides hæc mœnia vetustate jam labefactata, quorum reliquiæ tanquam scopuli quidam per urbem apparent? Quot per civitatem pauperes, dum excitabantur, erant, qui ab incolentibus ob ædificandi studium negligebantur? Ubi quæso nunc tantorum operum splendor, & apparatus? Ubi & ille, cui horum magnificentia studebatur. Nonne hæc dispersa, solo æquata, & abolita velut puerorum ludicra, qui inter arenas turres excitant, omnia perierunt? Auctor vero ob rerum vanarum studium* IN INFERNO *sepultus est*. Huic prolixiori D. Basilii testimonio liceat aliud addere ex D. Joan. Chrysost. desumptum hom. 1. super illa verba: *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo*: sic itaque scribit: *Cur geris sericas vestes, & equos habes aureis frenis, mulasque ornatu decoratas? Mula infra ornatur, aurum in tegumento tenetur. Pecunias mulæ rationis expertes circumferunt, quæ aurea frena habent. Mulæ rationis expertes ornantur, & pauper fame confectus pro foribus sedet, Christusque fame necatur. O summam amentiam! Quæ defensio, quæ venia, quando Christus stat pro foribus tuis habitu pauperis, tu vero nullo modo flecteris? Quis te ex suppliciis inferendis eripiet? . . . . Cum ingressus domum divitis cujusdam videris columnas miræ magnitudinis, aurea capitella, & marmore crustatos parietes, aquæductus, fontes, ambulacra, arbores vento agitatas, omniaque musivis operibus plena, Eunuchorum auro fulgentium turbam, famulorum multitudinem, solum tapetibus stratum, mensam vitro splendentem, & cubilia exornata: hæc omnia gloria domus ejus est, non gloria hominis; hominis quippe gloria pietas, & eleemosyna*. Ecce alius fons patens in auxilium pauperum. Si enim hæc, quæ non minus modo, quam D. Chrysostomi ævo in divitibus sæculi cernuntur, non dico omnino tollerentur, sed etiam non parum minuerentur (nam ista sunt, de quibus optime scribit D. Th. loc. laud. quod *multis subtractis adhuc remanet, unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum*) profecto paucissimi cernerentur in urbibus mendici, & nullus certe foret unquam vel extrema vel gravi necessitate coangustatus. Hæc serio meditentur divitum Confessarii.

Regula Octava.

XV. In divitibus frequenter multum superflui etiam ad status decentiam reperitur, pauperibus ex divino eroganda præcepto. Hæc Regula manifeste patet ex superius allatis SS. PP. Basilii, & Chrysostomi testimoniis. Quis enim inficiabitur in tanto divitum luxu, qui non ab ipsis fingitur, sed revera, prout & modo in potentatibus & matronis nostri temporis cernitur, graphice & disertissime pingitur, plurima esse etiam statui decentiæ plane superfluentia? Rem sufficit perpendere non juxta sæculi mores, consuetudines, leges, sed juxta Evangelii, & christianæ doctrinæ normam, & veritas apertissima apparebit. Hinc nulla doctrina falsa magis, laxa, & iniqua, quam illa, quæ continetur in propositione a Summis Pontificibus damnata: *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui*. Ejus falsitatem aperte ostendit D. Basil. hom. 6. de Diversis n. 7. " Dixeris, cui facio injuriam, " si mea retineo, conservoque? Quæ illa, " dic mihi, tua? Unde accepta hæc ad trans- " ducendam præsentem vitam invexisti? Pe- " rinde enim facis, ac si quis in theatro lo-

„ cum spectandi mox ut antevertit, aliis „ arriperet cæteros abarcens ingressu suo, „ unius usui adjudicans, quod ad omnem „ communem usum proponitur. Tales & „ divites existunt. Communia namque cum „ priores obtinuerint, propria faciunt occu- „ pando. Nam si tantum quisque usurparet, „ quantum ad propriæ necessitatis solatium, „ superfluumque egenti tribueret, nemo pro- „ fecto esset dives, nemo item pauper. Non- „ ne nudus ex utero matris excidisti, nudus- „ que iterum reverteris ad humum? Hæc „ tibi bona præsentia unde? Si a casu di- „ xeris, impius es, eum non agnoscens, „ qui te condidit, neque ei qui dedit re- „ pendens gratiam. Quod si ex Deo te illa „ habere fateris, dic mihi quam ob rem „ hæc sortitus es . . . . . profecto non ad „ aliam causam, nisi ut tu benignitatis, ac „ fidelis administrationis mercedem accipias, „ pauper vero patientiæ maximis præmiis „ honoretur. Tu vero insatiabilis avaritiæ „ lacertis omnia complexus, & tot homines „ illis privans, neminem te lædere putas? „ Qui quæso est avarus? Ille, qui eo, quod „ satis esse debet, non est contentus. Quis „ vero peculator? Ille, qui ad se unum „ transfert, quæ singulorum sunt. Tu ergo „ non avarus, tu non peculator, cum ea, „ quæ ad dispensandum, distribuendumque „ receperis, tibi propria facis? Nam qui „ vestem diripuerit, spoliator nominabitur, „ qui autem nudum non texerit, modo pos- „ sit, alterius cujusdam nominis appellatio- „ ne dignus erit "? Hoc superfluum reperit D. Hieronymus in Hedibia, & quidem superfluum ex debito erogandum, scribens: *Si plus habes, quam tibi ad victum, & vestitum necessarium est, illud eroga, & in illo DEBITRICEM esse te noveris*. Hoc idem superfluum pene in omnibus pro modulo status uniuscujusque reperit Augustinus *Enarrat. in Psal. 147. n. 12.* dum docet: " Multa superflua habemus, si nonnisi necessaria tenemus; nam si omnia quæramus, nihil sufficit . . . . . Quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei. Forma vestra, corpus vestrum, anima vestra, hoc totum opus Dei. Quærite quæ sufficiant, & videbitis quam pauca sint ..... Videte, quoniam non solum pauca sunt, quæ vobis sufficiant, sed nec ipse Deus multa quærit a vobis. Quære quantum tibi dederit, & tolle quod sufficit ..... cetera, quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur ". Hæc igitur cum vera sint, præ oculis habeant Confessarii monitum Dominici Soto in suo libello, cui titulus *Causa pauperum* cap. 8. ubi sic scribit: „ Theologi Scholastici [*seu potius Casuistæ*] „ ne divites vehementer perterrefacere vi- „ deantur, multa comminiscuntur, ante- „ quam sub peccato mortali homines ad „ eleemosynas obligent, nempe quod ha- „ beant superfluum, quod pauperes graviter „ indigeant, aliaque hujusmodi . . . . . At „ ubi SS. Patres attentius lego, existimo, „ quod neque in pauperibus tam gravem „ necessitatem, neque in divitibus tantam „ super statum redundantiam, desiderabant, „ ut sub pœna peccati mortalis eleemosy- „ nas exigerent, immo vix forte credebant „ esse hominem, si pauper ipse non esset, „ qui non aliquid haberet, quod erogare „ teneretur ".

Regula Nona.

XVI. Divites, nisi sibi attente caveant, de sua æterna salute periclitantur vel eo solo nomine, quod eleemosynæ præceptum non im-

implem . Hoc aperte tradit Christus in Evangelio, qui adversus divites sic inclamat : *Væ vobis, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis, quia ridetis. Agite nunc divites, plorate ululantes. Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Concinunt SS. Patres. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. de paup. „ Qui molliter & delicate vivere instituerunt, necessario ad excogitandos magnificos ædificiorum apparatus alliciuntur. In his construendis, & exornandis maxima vis pecuniarum profunditur. Ad hæc cœtus hominum libenter convocant, & invitant, splendidam, & variam supellectilem studiose comparant, innumerabilia poculorum genera, scurras, mimos, cytharistas, cantores, cantatrices, saltatores, saltatrices, totum denique petulantiæ ludum. Atque dum hæc intus geruntur, assident ad vestibuli fores innumerabiles laceri, partim gravibus ulceribus pleni, partim oculis orbati, partim pedibus mutili conclamant, nec tamen exaudiuntur. Si Deus hæc aspicit, ut profecto aspicit, quem exitum fore cogitatis, o pauperum inimici? An nescitis horum causa in Sacro Evangelio poni, & commemorari exempla omnia horrenda, & terribilia ". Et S. Hilarius con. 29. in Matth. *Periculosa cura est velle ditescere, & gravis onus innocentia subit, incrementis opum occupata; rem enim sæculi famulus Dei non sine sæculi istius vitiis assequetur. Hinc difficile est divitem Regnum cælorum adire. Atque etiam quia uti plures his quæ habent recte possent, ea in sermone Domini ratio servata est, ut non absolute Regnum cælorum nemo introire possit, sed intelligi posset futurorum raritas ex difficultate*. Divitum igitur Confessarii Apostoli Pauli verba semper præ oculis habeant : *Præcipe divitibus hujus sæculi non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*. Ipsis apertissimis verbis denuncient cum eodem Gregorio: *Duorum alterutrum faciendum est, ut vel omnia propter Christum deponamus, quo vere atque sincere ipsum sublata humeris cruce sequamur, ut leves & expediti, nec ab ulla re in diversum tracti ad supernum mundum convolemus, Christumque loco omnium rerum lucremur; vel certe cum Christo opes nostras partiamur, ut ipsæ honeste possessæ, & cum iis, qui paupertate sunt constricti, communicatæ, sanctitate quadam imbuantur*.

§. III.

A quibus personis, & de quibus bonis facienda sit Eleemosyna.

XVII. Nonnullis regulis breviter, quid dicendum sit, statuo.

Regula Prima.

Eleemosyna debet fieri non de bonis alienis, sed de bonis propriis, quorum qui largitur eleemosynam aliquod dominium habeat. Manifesta est hæc regula ex Scripturis præcipientibus Tob. 4. v. 7. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*. Et Isaje 58 v 7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam*. Rationem reddit D. Angel. q 32. a. 8. *Dicendum, quod ille qui est sub potestate alterius constitutus, in quantum hujusmodi, secundum superioris potestatem regulari debet, & ideo oportet, quod ea, in quibus inferior superiori subjicitur, dispenset non aliter quam ei sit a superiore permissum. Sic ergo ille, qui est sub potestate constitutus, de re secundum quam superiori subjici-*

licitur, *eleemosynam facere non debet*, *nisi quatenus ei fuerit a superiore commissum*. *Si quis vero habeat aliquid*, *secundum quod potestati superioris non subsit*, *quantum ad hoc proprii juris existens*: *& de hoc potest eleemosynam facere*.

REGULA SECUNDA.

XVIII. Eleemosyna non est facienda de bonis ex injustitia comparatis, nimirum furto, rapina, usura. Hujus regulæ ratio est in aperto, quandoquidem hæc sunt dominis suis restituenda, nec in dominium transeunt rapientium. Si vero restitutio nullo alio modo fieri possit, possunt & debent pauperibus in eleemosynam erogari. Deus etiam sacrificia, & holocausta ex furto, & injustitia se abominari profitetur Isaiæ 41. *Ego minus diligens judicium*, *& odio habens rapinam in holocausto*. Ita etiam S. Thom. q. 32. a. 7. *Illicite ab aliquo acquiritur quod debetur ei*, *a quo est acquisitum*, *nec potest ab eo retineri qui acquisivit*, *sicut contingit in rapina*, *furto*, *& usuris*: *& de talibus*, *cum homo teneatur ad restitutionem*, *eleemosyna fieri non potest*. Textum Evangelii, in quo dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. exponit explicatione ex S. Augustino desumpta, cujus verba refert in resp. ad 1. *Illud verbum Domini quidam male intelligendo*, *rapiunt res alienas*, *& aliquid inde pauperibus elargiuntur*, *& putant se facere quod præceptum est*. *Intellectus iste est corrigendus*, *imo* [subdit Augustinus] *de tabulis cordis nostri omnino delendus*. *Nolo sic intelligatis*. *De justis laboribus facite eleemosynam*: *ex eo quod recte habetis date*.

REGULA TERTIA.

XIX. Pecunia, sive alia bona per simoniam acquisita, sunt in usum pauperum, vel Ecclesiæ eroganda. Ita S. Th. l. c. a. 7. *Est aliquid illicite acquisitum*, *quia quidem ille*, *qui acquisivit*, *retinere non potest*, *quia scilicet contra justitiam accepit*, *& altera contra justitiam dedit*; *sicut contingit in simonia*, *in qua dans & accipiens contra justitiam legis divinæ agit*: *Unde non debet fieri restitutio ei*, *qui dedit*, *sed debet in eleemosynas erogari*. *Et eadem ratio est in similibus*, *in quibus & datio*, *& acceptio est contra legem*. Et idem de acquisitis malis artibus intelligendum, puta sortilegiis, incantationibus, magia &c. Unde merito in Conventu Gallicano anni 1700. hæc propositio, *Incantatores*, *Magi*, *Astrologiæ judiciariæ professores*, *arioli*, *conjectores*, *ex pessimis quibusque artibus captantes lucrum*, *licite servare possunt bona his mediis acquisita*, hac censura notata fuit; *Hæc propositio intellecta de prædictis falsis ac deceptoriis artibus*, *falsa est*, *temeraria*, *fovendis fallaciis etiam diabolicis idonea*. Sicut & de acquisitis pravis actibus, ut homicidiis, perjuriis, iniqua sententia, & similibus, cum in iis omnibus militet ratio D. Thomæ, quia nimirum *contra justitiam divinæ legis agunt*, sive quia lucrum nanciscuntur ex actibus divina lege vetitis, sive quia id vendunt, quod non est prætio æstimabile, sed potius pœna tum æterna cum civili dignum. Sed de hoc fusius suo loco.

REGULA QUARTA.

XX. Ex bonis lenocinio, vel meretricio acquisitis licet eleemosynam facere. Ita S. Th. loc. cit. sic docens: *Est aliquid illicite acquisitum non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita*, *sed quia*, *id ex quo acquiritur*, *est illicitum*, *sicut patet de eo*, *quod mulier acquirit per meretricium*; *& hoc proprie vocatur turpe lucrum*; *quod enim mulier meretricium exerceat*, *turpiter agit*, *& contra legem Dei*; *sed in eo quod accipit*, *non injuste agit*, *nec contra legem*. *Unde quod sic illicite acquisitum est*, *retineri potest*, *& de eo eleemosynam*

nam fieri; quippe quod non tanquam pretium datur iniqui operis, sed solum tanquam multa pecuniaria scortatoribus a lege imponitur ad eorum sustentationem, ubi ob bonum publicum scorta tolerantur. De hoc tamen iniquo lucro licet Doctor Ang. doceat licitum esse eleemosynas erogare, monet tamen in resp. ad 2. *Quod non fiat de ea sacrificium, vel oblatio ad altare tum propter scandalum, tum propter sacrorum reverentiam*.

Regula Quinta.

XXI. Beneficiarii, sive redituum beneficiorum domini dicantur, sive non [de hoc enim inferius disputabimus] ex justitia tenentur superflua pauperibus in eleemosynam erogare. Si enim nullum habeant horum bonorum dominium, certum est ab ipsis retineri non posse, sed esse pauperibus distribuenda, solum ea portione retenta, quæ ad eorum sobriam sustentationem sunt necessaria. Si vero illis aliquod tribuatur dominium, illud gravatum habent onere justitiæ, ut quæ eorum superabundans sustentationi, pauperibus distribuantur. Id evincunt plurimi Canones, & SS. Patrum testimonia. Lib. 3. Decret. T.24. Parisiensi Episcopo scribit Sum. Pontifex cap. 11. *Fraternitatem tuam credimus non latere, quod cum Episcopus, & quilibet Prælatus ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus*. Concilium Carthaginense IV. declarat, *Beneficiarios rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis uti debere*. Hinc S. Augustinus, qui huic interfuit Concilio, Epist. 185. al. 50. scribit: *Si privatim quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. S. Bernardus serm. 18. in Cantic. scribit: *Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum quas possident tanquam inique gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debent minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant, & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiant, & sacris in suis vanitatibus abutantur*. Tridentina quoque Synodus omnibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus sess. 25. cap. 1. *interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, aut dissipent illorum causa*. S. Thomas quodlib. 6. q. 7. c. 12. quærit: " Utrum Clerici „ peccent mortaliter, si ea, quæ eis superfluunt, in eleemosynae non largiantur ". Et sic in corp. cit. docet. " Bonorum Ecclesiasticorum Clerici non sunt vere Domini, „ sed dispensatores . . . . Pertinet autem ad „ dispensatorem, ut fideliter distribuat ea, „ quæ ejus dispensationi committuntur ..... „ In his ergo potest dupliciter peccatum contingere. Uno modo ex conditione ipsius „ rei, dum scilicet usurpat sibi quasi rem „ propriam, & in usus suos convertit id, „ quod esset aliis erogandum. Alio modo ex „ inordinato usu eorum quæ in partem suam „ cedunt .... Verum quia horum dispensatio „ fidei dispensatoris committitur, ut dictum est, „ si quis bona fide dispensat ecclesiastica bona, „ inde accipiens quod sibi convenit secundum „ conditionem status, & personæ, & aliis largitus secundum quod sibi videtur bona fide „ expedire, non peccat mortaliter, etiamsi „ forte aliquid plus in suos usus converrat „ quam oporteat. Talia enim, quia in singularibus est eorum judicium, non possunt „ per omnimodam certitudinem definiri. „ Unde si non sit multus excessus, potest „ comparari bonam fidem dispensatoris; si „ vero multus excessus fiat, non potest la-

tere:

„ tere , & ita non potest cum bona fide di„ spensatoris hoc agi . Si autem non con„ servat bonam fidem in dispensando , pec„ cat mortaliter ". Hisce authoritatibus supervacaneum est multa addere rationum momenta , quæ statim ex iisdem testimoniis omnibus occurrunt . Quia nimirum bona Ecclesiastica sunt Deo consecrata , ac proinde in pios usus distribuenda , nimirum in ministrorum sustentationem , in decorem Domus Dei, & in eleemosynam pauperum . Quia fideles bona sua reliquerunt Ecclesiis in cultum Dei, in remissionem peccatorum , & in pauperum subsidium ; & cum hoc onere , & sub hac conditione sacri Canones , Summi Pontifices, Sanctissimi Antistites se præfatas donationes accepisse candide profitentur , unde semper inclamant , bona Ecclesiastica esse patrimonium Christi , vota fidelium , pauperum , pupillorum , orphanorum , viduarum sustentationem , clericorum subsidium . Sive igitur Clerici dicantur domini , sive non , quæstio enim de nomine est , pro certo constat superflua congrue suæ sustentationi esse ex justitia pauperibus dispertienda .

CAPUT XV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Propositiones laxæ Dianæ rejiciuntur* .

II. *Dum divites tenentur eleemosynam erogare, non urgens & imminens periculum expectare debent*.

III. *Non tenentur divites cum totali sui status amissione , vel maximo ejus detrimento pauperibus auxiliari* .

IV. *In gravi necessitate tenentur divites superfluum saltem decori & decentiæ status in eleemosynam distribuere* .

V. *Non implent eleemosynæ præceptum divites, qui divitiis affluentes in commune pauperum necessitate paucos obulos erogant* .

VI. *Violant idem præceptum , & quidem letbaliter , qui sub obtentu mutandi status superflua non erogant* .

VII. *Doctrina , quæ asserit in necessitate extrema esse pauperibus subveniendum de superfluis non solum ex caritate , sed & ex justitia , magis consona est dictis SS. PP., S. Thomæ , & rationi* .

VIII. *Pauperes in extrema necessitate possunt sibi ex alienis rebus tantum accipere, quantum eorum levandæ necessitati urgenti opus est , non tamen in gravi* .

IX. *Peccant lethaliter & in discrimine salutis versentur , qui in vita divitias congregant, nec pauperibus eleemosynas distribuunt , sed in testamento distribuendas reservant* .

X. *Filius-familias quando possit eleemosynam erogare* .

XI. *Uxores quoque quid possint in eleemosynam dare* .

XII. *Quid famulis concessum , quid hac in re vetitum sit* .

XIII. *Tutoribus , & Curatoribus , necnon eorum pupillis , & minoribus quid concedendum* .

XIV. *Regulares voto paupertatis adstricti nequeunt eleemosynas sine Prælati licentia elargiri* .

XV. *Etiam improbis & infidelibus necessitate pressis non est deneganda eleemosyna* .

XVI. *In eleemosyna elargienda est ordo servandus* .

Reflexio .

Consectarium primum.

I. A PRAXI rejiciendæ sunt tanquam improbabiles , falsæ , & laxæ sequentes Dianæ propositiones atque doctrinæ,quas tanquam plausibiles Confessariis proponit T. 4. Coord. tract. 7. resol. 8. " 1. Divites , „ etiamsi habuerint superflua , non tenentur „ neque sub veniali peccato dare eleemosynas „ in communi necessitate , in qua solent esse „ quotidiani pauperes . 2. Etiam in gravi ne-

„ cessitate pauperum dives, qui habuerit superflua, non peccat mortaliter, si non „ præbeat eleemosynam. 3. Etiamsi vera „ esset opinio asserentium, divites teneri sub „ mortali præbere eleemosynam non solum „ in extrema, & gravi, sed etiam in communi necessitate pauperum, tamen non tenentur inquirere pauperes, sed solum misereri occurrentibus, & non impedire nimia austeritate, vel alio modo, ne occurrant, nec etiam tenentur omnibus communiter indigentibus subvenire, sed aliquibus, neque etiam tenentur in totum alicui indigentiam sublevare, sed satis est „ QUID ei dare. 4. Dives cum diminutione & detrimento proprii status non tenetur subvenire proximo in extrema necessitate constituto. " Quæ profecto quam sint contraria Evangelico præcepto de superfluo pauperibus erogando, de visceribus non claudendis indigentiis pauperum, de eleemosyna juxta vires impertienda, & SS. Patrum doctrinis, imo & ipsi naturali lumini nemo non perspicit: proinde in iis confutandis non est immorandum; penitus enim eleemosynæ præceptum evertunt. His addendæ binæ aliæ propositiones laxæ, & improbabiles, altera Matthæi Moye, Tom. 1. tr. 6. disp. 6. q. 5. n. 21. *Nemo ex necessariis ad suum statum conservandum tenetur eleemosynam pauperibus elargiri, etsi extrema necessitate laborent*. Agant igitur animam pauperes oportet, ne dives uno vel altero die laute non prandeat. Altera Torricellæ tract. 8. ad propos. 12. damn. ab Innoc. XI. n. 13. fol. 434. *Obligatio eleemosynas pauperibus de superfluis statui elargiendi solum extenditur ad statum extremæ necessitatis*.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

III. Dum ex præcepto tenentur divites extremæ pauperum necessitati subvenire, non expectare debeat imminens & urgens grave discrimen vitæ, sed satis superque est, si probabile agnoscant periculum, ne pauper vel mortem, vel incurabilem infirmitatem incurrat. Ita S. Th. in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. quæstiuncula 4. ad 4. " Dicendum, tempus, ad quod obligat præceptum de eleemosynis faciendis, accipitur ex parte accipientis.... quando apparent signa probabilia extremæ necessitatis „ futuræ, nisi ei subveniatur, ut si quis videt alios impotentes, vel pigros ad subveniendum, & pauperem indigentem cibo, & potu, & aliis vitæ necessariis, nec sibi satisfacere posse: non enim est expectanda „ ultima necessitas, quia tunc forte non posset juvari natura jam fame, vel siti „ consumpta. Dicit enim Chrysost. hom. „ 76. in Joan. Non oportet pauperem ululantem deceptorem vocare. Quid dicis, o „ homo? Propter unum panem deceptionem „ quia complicat? Utique, dicis. Quocirca „ maxime misericordiam consequatur, vel „ maxima necessitate eripiatur.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Tametsi divites teneantur in extremis indigentium necessitatibus, illis auxiliari ex superfluis naturæ licet necessariis statui, etiam cum ejus detrimento & diminutione, cum hæc diminutio & detrimentum nec magnam afferat difficultatem, nec bono publico officiat, & vita pauperis sit majus bonum certe huic minori bono præferendum: nihilominus non tenentur vel cum totali sui status amissione, vel cum tali tantoque detrimento, ut amissioni æquivaleat: unde non tenetur ex nobili fieri plebejus, ex divite mendicus. Namque status hominis in bonum etiam Reipublicæ cedit, quæ postulat ad commune bonum, ut varii sint in ipsa gradus; capropter licet vita privata pauperis sit præstantius bonum, quam status hujus divitis, utroque sim l comparato; tale tamen non statim apparebit, si cum communi bono con-

conferatur, cui longe plus prodest status unius nobilis, quam vita privata alicujus pauperis. Verum hæc meta, physica sunt, quæ nunquam contingunt, cum ad levandas, non dicam unius pauperis, sed nec omnium pauperum unius vel Civitatis vel Regni extremas angustias, nunquam necesse sit ut nobiles plebeii fiant, Cives in opifices commutentur, divites mendicent, sed satis superque erit, si vel famulorum, vel equorum, vel curruum numerum, vel pretiosarum vestium valorem, & conviviorum lautitias minuant, & temperent. Sicut nec tenentur ingentem pecuniæ vim, puta decem aut duodecim aureorum millia erogare ad liberandum vel innocentem a latronibus interficiendum, vel captivum ab infidelium manibus, vel ad medicinas maximi pretii emendas, vel ad peritum Medicum e longinquo evocandum ad ægrotum in vitæ periculo constitutum servandum opportunum vel etiam necessarium. Nam tantam surripiendi hisce indigentibus facultatem nemo concedit, quia licet in rerum divisione, tacito pacto & communi sensu reservatum sit extreme indigentibus, ut id sibi accipiant, quod ad eorum vitam conservandam est necessarium; tamen hocce privilegium nec dilatandum videtur ad extraordinarios eventus, vel ad casus ex hominum malitia proficiscentes, vel quæ in publicum damnum cadere possunt, ut patet in exemplo captivi redimendi; nam si infideles scirent ad hoc Christianos ex præcepto teneri, vel extrema mala captivis infligerent, vel mortem illis minitarentur, & pro eorum liberatione ingentia pretia postularent; quod profecto in Christianæ Reipublicæ vergeret detrimentum. His addenda Bannezii observatio 2. 2. q. 32. a. 6. ad 1. ubi scribit: *Licet nobilior sit vita hominis, quam totus census, nihilominus homo privatus non tenetur pro conservatione propriæ vitæ expendere totum censum suum, v. g. habet quis tria millia ducatorum, sed habet infirmitatem multis sumptibus servandam, non tenetur id facere, eo quod magis tenetur diligere suum statum, & similium.* Quod si ad tanta non tenetur homo pro sua servanda vita, nec ad tuendam proximi salutem adstringendus videtur. Debent tamen caritate urgente, & prudentia præeunte, modo majora, modo minora divites status detrimenta, & imminutionem juxta casus personæ, & præsertim boni publici utilitatem libenter subire.

Consectarium quartum.

IV. Gravi urgente fame, vel annonæ caritate, in qua pauperes cum fame, siti, frigore, infirmitatibus colluctantur, tenentur sub lethali divites ex præcepto eleemosynæ saltem ea, quæ ad decentiam & ornatum status inserviunt, tollere & resecare. Verissima & certissima habenda est doctrina tanquam conformis Evangelicis præceptis, & SS. Patrum monitis, quæ superius recitavimus. Quis enim non perspiciat, tunc graves pauperum indigentias & angustias esse longius & deterius malum, nedum proximi, sed & Reipublicæ, quam foret diminutio, & carentia opulentiæ & abundantiæ in divitibus? Audiatur D. Ambrosius lib. de Offic. cap. 30. *Grandis culpa, si sciente te, fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat, si in causam ceciderit, si sit in carcere, & pœnis & suppliciis propter debitum aliquod justus excrucietur, si tempore afflictionis suæ nihil a te impetret, si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia valeat, quam vita morituri.* Nec dissentit S. Th. qui sic in corp. art. 5. scribat: *Dare eleemosynam de superfluo est in præcepto. & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. Alias vero eleemosynam dare est in consilio.* In resp. ad 3. tamen hanc

etiam

etiam ad gravem dilatat necessitatem, mutato nomine *extremæ in urgentis*, dum scribit: *Est aliquod tempus, in quo mortaliter peccet, si eleemosynam dare omittat, cum apparet evidens, & urgens necessitas, nec apparet in promptu qui subveniat*. Favet huic explicationi Sylvius, qui Comment. ad hunc articulum sic scribit: *Evidens & urgens necessitas non est sola extrema, sed gravis, hinc statuit in statu necessitatis non quidem extremæ, sed etiam gravis teneri facere eleemosynam de superflue naturæ, quamvis illud sit necessarium statui*. Porro non patitur necessitatem solum ut communes pauperes, sed urgetur necessitate ille, qui licet non sit in proximo vel mortis, vel gravis infirmitatis periculo, tamen famem diu pati cogitur, quam exsaturare nunquam potest, qui vilioribus & sordidis cibis cogitur diutius sustentari, qui uno verbo ærumnosam vitam cogitur trahere, præsertim si iis antea non esset assuetus. Tenentur igitur divites tempore hujusmodi calamitatum servorum, equorum, curruum numerum diminuere, canes venaticos, feras sylvestres abigere, ut quæ ad illorum alimoniam custodiamque insumuntur, in alimentum transeant pauperum, & esurientium: vestium luxum, splendidas epulas, diverticula, sumptuosas rusticationes vel venationes, ludos, aliasque non leves impensas resecare, ut inde possint gravibus pauperum indigentium miseriis subvenire. Hæc enim illa sunt, de quibus dicit S. Thom. *Quod multis subtractis, adhuc remanet unde possit convenienter aliquis vitam transigere*.

Consectarium Quintum.

V. Non implent præceptum eleemosynæ faciendæ divites, qui amplis divitiis ornari solum viles reliquias, paucosque obulos pauperibus communi pressis necessitate distribuunt. Isti siquidem respectum habere tenentur ad divitiarum copiam, qua abundant, & juxta illam eleemosynas elargiri. Sic enim jubet Scriptura Tob. 4. 9. *Quo modo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*. Hæc est regula, quam divites, eorumque Confessarii præ oculis habere debent, ut dignoscant, num huic præcepto satisfaciant. Qui amplas habet divitias, amplas quoque distribuat eleemosynas oportet, qui mediocres, etiam non leves eroget, qui vero tenues & exiguas habent facultates, præceptum implebunt etiam tenuiori stipe erogata. Certa eleemosynæ mensura statui non potest, sed illud pro certo habendum, nullum esse periculum, si divites plus æquo stipes conferant, & innumeris divitibus æternæ damnationis discrimen imminere, nisi eleemosynis peccata sua redimant, & misericordiis pauperum. S. Thomas a Villanova ser. 2. de S. Martino, illos non improbat, qui certam portionem pecuniæ ad arbitrium boni viri, juxta suos reditus, quotannis pauperibus erogandam assignant.

Consectarium Sextum.

VI. Violant, & quidem lethaliter, præceptum dandæ eleemosynæ, qui superflua præsenti statui sibi retinent, ut ad altiorem statum ascendant. Nam licet absolute præsentis conditionis & status mutationem appetere, sibique procurare damnabile non sit: non enim repugnat rectæ rationi, *si se ipsum & suos* (ut optime scribit Cajetanus in Comment. ad 2. 2. q. 18. a. 1.) *reducere quis velit, & curet de operum servilium mechanicorumque, nec non negotiationum necessitate & moderatas divitias acquirere, quatenus felicitatis præsentis, quæ secundum virtutis supremæ exercitationem est, particeps esse possit secundum suum modulum*. Singulares autem

autem *personas multas ab intrinseco donatas conspicimus quadam sapientia , aut a natura indita , aut exercitatione comparata , seu asto , ita quod inter homines velut aliorum domini nati , vel facti sunt , quamvis domini non sint . Et quia his naturali æquitate debetur regimen aliorum ; idcirco si isti appetunt dominium , & si ad hoc cumulant pecunias , ut dominium temporale emant , ut cujusque decet sapientiam , a rationis recto tramite non recedunt . Et simile est judicium de aliis virtutibus , quibus homo idoneus redditur ad mutandum statum , puta cum quis ad fortitudinis actus præclaros experientia teste in bello conspicitur præparatus , propterea dignus sit præesse aliis* . Ita & quidem sapienter dictum ab Eminentissimo viro . At ad praxim non prosunt , ut inde exculpere possimus , licere superflua statui pauperibus subtrahere . Quandoquidem plures sunt conditiones tum ex parte divitum , tum ex parte pauperum pensitandæ , ut hæc status mutatio sine crimine & violatione præcepti eleemosynæ fiat . Prima itaque conditio ex parte divitis juxta Cajetanum est , ut non libidine & ambitione altioris status moveatur , sed desiderio nobilioris & altioris virtutis exercendæ: nam subdit laudatus Auctor : *Dives non dispensans superflua , sed cumulans ad emendum sibi dominium ex sola ascendendi libidine , non solum illicite agit propter libidinem dominandi , & inordinatum amorem pecuniarum , sed mortaliter peccat contra proximorum indigentiam, occupando superflua , quæ pauperibus debentur ex hoc ipso , quod superflua sunt* . Altera conditio est, ut mutatio status sit honesta , & respondens donis , aptitudini , & virtuti illius , qui altiorem statum sibi comparare studet ; sic artifex, qui hactenus sudore vultus sui sibi victum comparavit , & ad mercaturam exercendam idoneus est , potest ad Mercatoris conditionem aspirare , non vero ut fiat nobilis ; & pari pacto Mercator aliqualem nobilitatem poterit appetere , non vero illustriorem & altiorem . Hinc qui divitias superabundantes accumulant, ut solum ope auri , cui obediunt omnia , ad sublimia & altiora ascendant , peccant , & in æternæ damnationis versantur periculo . Ex parte vero pauperum , quibus superflua denegantur , hæ sunt attendendæ conditiones, nimirum . 1. Ne urgeat extrema , vel gravis necessitas pauperum , tunc enim qui in nobiliori statu versantur , tenentur aliquo modo ex sua conditione descendere , quanto magis ergo qui nobiliorem conditionem non obtinent , ad eam aspirare prohibentur , dum agitur de extrema , vel gravi proximorum necessitate ? 2. Ne in communibus etiam necessitatibus pauperes omnino deserantur , sed semper stipes ei distribuantur , & eorum indigentiis respectus habeatur : hinc qui nullas vel tenues admodum eleemosynas faceret , ut dignitatem , officium , nobiliorem statum sibi compararet , licet ad eum idoneus , licet sibi proxime conveniens , adhuc peccaret , & lethaliter , eleemosynæque præceptum violaret . 3. Ut ea , quæ sibi reservant , non sint ex iis , quæ pauperibus debentur , tanquam superflua & naturæ & decori status , sed illa quæ posset sibi concedere tanquam convenientia conditioni & decori præsentis sui status ; nam cum plura sint , ut toties ex D. Th. diximus , *quibus additis non potest dijudicari esse ultra necessarium status , & multis subtractis adhuc remanet , unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum* , ex istis potest plura decerpere & reservare , queis ad nobiliorem conditionem valeat ascendere , dummodo cetera superefffluentia eumdem decorem & convenientiam pauperibus eroget . His omnibus attente & diligenter custoditis adhuc unum superest , videlicet attente & serio animo perpendenda verba Apostoli ad Timoth. 1. cap. 6. v. 9. *Qui volunt divites* (vel nobiles) *fieri*

fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, non solum auri & divitiarum, sed & honorum, & dignitatum.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Doctrina, quæ statuit, superflua naturæ & conditioni esse pauperibus in extrema necessitate constitutis debita non solum ex misericordia & caritate, sed & ex justitia, magis consona est SS. Patrum dictis, D. Thomæ doctrinæ, & Theologicæ rationi. Et primo quidem Patres aperte fures, latrones, interfectores appellant divites, qui pauperibus superflua denegant. *Superflua* [inquit Augustinus in Psal. 147.] *divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur cum superflua possidentur. Est panis famelici* (docet S. Basil. hom. de avaritia) *quem tu tenes, nudi tunica quam in conclavi conservas, discalceati calceus . . . . quocirca tot injurias facis, quot dare valens es*. Et S. Hieronymus relatus in can. 1. dist. 42. *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur*. Nec dicendum, Patres per quandam emphasim & exaggerationem esse locutos: non ita certe eorum sensa esse intelligenda ostendit S. Thom. qui quæst. 118. a. 4. ad 2. ostendere volens, avaritiam per se lethale peccatum esse, si justitiæ adversetur, solum vero veniale, si liberalitati opponatur, hoc 2. loco sibi objicit argumentum: *Minimum in avaritia est, quod aliquis inordinate retineat sua, sed videtur hoc esse peccatum mortale. Dixit enim Basilius, est panis famelici, quem tu tenes* &c. quæ superius recitavimus. Ad hoc vero quid reponit Ang. Præc. num Basilium esse emphatice locutum, ac ejus verba esse temperanda? Minime, sed verum dici a Basilio, quia tunc avaritia justitiæ adversatur. En ejus verba in resp. ad 2. *Basilius loquitur in eo casu, in quo aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam propter superfluitatem habitorum*. Porro justitia est, quæ hoc legale debitum præscribit, ut docet idem D. Angel. 2. 2. q. 8. *Debitum quidem legale est, ad quod reddendum aliquis lege adstringitur, & tale debitum proprie attendit justitia*. Et confirmat q. 106. a. 1. *Retributio proportionalis pertinet ad justitiam commutativam, quando attenditur secundum debitum legale*. Et revera nonne fatentur omnes, in extrema necessitate omnia esse communia? Reus igitur est furti non solum qui aliena rapit, sed & qui communia sibi soli attribuit. Hinc, ut mox dicemus, pauperes in extrema necessitate licite sibi accipere valent necessaria, quin ullus eos juste queat præpedire; imo nonnulli etiam ex Theologis adversæ sententiæ sustinent, præpedientem hujusmodi pauperem, ne re aliena utatur, peccare contra justitiam, & teneri illum suæ restituere libertati, imo ad farciendum de suo pene quidquid ille ob necessitatem sibi poterat attribuere. Jus igitur strictum agnoscunt in pauperibus, quod profecto violatur ab eo, qui illis necessaria in extrema indigentia denegat, proinde justitiam violare convincitur. Huic sententiæ favent præter Cajetanum, & Turrecrematam, aliosque, etiam Cardenas tract. 11. disp. 20. a. 2. ceteroquin rigidioris doctrinæ minime professor.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Pauperes in extrema necessitate constituti possunt ex alienis rebus tantum sibi tribuere, quantum ad præsentem eorum levandam necessitatem sufficiat, cujus tamen rei si sufficiat usus, non obtinent dominium. Ita S. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. ubi sic scribit: *Ea quæ sunt juris humani, non possunt derogare juri naturali, vel divino. Secundum au-*

em naturalem ordinem ex divina providentia institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quod ex his subveniatur hominum necessitati. Et ideo per rerum divisionem, & appropriationem ex jure humano procedentem, non impeditur, quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus ..... Si adeo sit evidens, & urgens necessitas, ut manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum (puta cum immineat personæ periculum, & aliter subveniri non potest) tunc licite potest aliquis, ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifeste, sive occulte sublatis: nec hoc proprie habet rationem furti, vel rapinæ. Quod si res in necessitate usurpata, non consumitur, sed superfit, puta, schifus, vel equus, ad salvandam vitam ereptus, est suo domino restituenda, cum non rei dominium, sed solus usus fuerit necessarius, & similiter, si de pecunia vel frumento aliquid extremæ necessitati superfit, est domino restituendum, non vero res per usum consumpta, licet constitutus in extrema necessitate, postea ditescat, & possit dominum compensare. Non est tamen hæc doctrina ad gravem necessitatem extendenda, cum nullus pene sit, qui paupertate, & miseria coangustatus, se in gravi necessitate versari non arbitretur, & sic via innumeris furtis sterneretur; unde merito damnata fuit ab Innoc. XI. hæc propositio 36. in ordine: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Peccant lethaliter contra præceptum eleemosynæ, ac in æternæ salutis discrimine versantur, qui dum vivunt divitias congregantes nullas vel tenues eleemosynas erogant, sed in testamento omnia ad pias causas distribuenda reservant. Deceptio diabolica hæc est, qua multi falluntur Christiani, illi prope similis, qua peccatores tenentur, qui semper conversionem in futurum pollicentur, dum interim in peccato vivunt. Præceptum eleemosynæ dandæ adstringit & ratione necessitatis pauperum, & superabundantiæ divitum, quando igitur urget pauperum indigentia, & abundant superflua, tunc danda est eleemosyna, præcepto tunc temporis urgente, nec sine peccato differenda impletio. Hos ita redarguit S. Basilius hom. 7. contra divites. " Sed quid, inquis, ego
" quidem bonis dum vixero frui volo, post
" mortem vero in testamento hæredes fa-
" cultatum mearum, ac dominos pauperes
" adscribam? Heu miser! Tunc benignus
" ac liberalis hominibus eris, cum amplius
" inter homines non ages. Cum te cadaver
" aspiciam, tunc fratris amantem appella-
" bo. Scilicet magna dignus eris liberalitatis
" laude, magnus tibi honor debebitur aut
" gratia, si in sepulcro jacens, & in terram
" conversus, magnificus ac sumptuosus ap-
" parebis. Dic cujus mercedem temporis po-
" tissimum exposces, vitæ ne, an mortis?
" Nam si tempore, quod ad promerendum
" datur, in voluptatibus absumpto, paupe-
" res, nequaquam respexisti, mortuus cujus-
" nam actionis aut operis mercedem petitu-
" rus es? ..... Quis exitus tui tempus annun-
" ciabit? Quis de mortis genere sponsor?
" Quot videmus repentino, ac vi, casuque
" extingui, qui præ doloris & spiritus an-
" gustia nec vocem quidem emittere potue-
" runt? Quot etiam febris a sensu alienos
" facit? Quid igitur tempus expectas, in
" quo sæpe rationis tuæ compos non eris?....
" Quod si nihilominus contigerit, ut &
" verbo, & scripto res tuæ palam manden-
" tur, una tantum transposita littera, unum
" non probe appositum signum totam senten-
" tiam mutare, ac irritam facere valebit. Duo item aut tres improbi testes totam hæreditatem in alios convertent.

CON-

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Filiis familias concessum non est eleemosynas erogare de bonis parentum, quippe quia nullum eorum penes illos dominium adest. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 3. *Ea quæ sunt filii familias, sunt Patris; & ideo non potest eleemosynam facere, nisi forte aliquam modicam, de qua præsumere potest, quod Patri placeat, nisi forte alicujus rei esset sibi a Patre dispensatio commissa.* Præter duos a D. Thom. assignatos casus possunt adhuc filii familias de bonis parentum eleemosynas erogare de datis sibi ad honestam recreationem eam sibi subtrahendo. Sic foris morantes ad agenda Patris negotia, vel ad studiis vacandum in aliquo Collegio, possunt congruas & suo statui decentes eleemosynas erogare. Imo si Pater ipse eleemosynæ erogandæ præcepto deesset, posset filius necessarias eleemosynas distribuere. Idem dicendum de bonis tum adventitiis tum profectitiis, quæ vel subsunt dominio Patris, vel licet quod dominium ad filium pertineant, eorum tamen usus & administratio penes parentes est. Secus vero de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, quæ cum pleno jure sint filii, liberum est illi quas magis sibi libuerit eleemosynas erogare.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Uxores de bonis communibus absolute eleemosynas erogare non possunt, quippe quæ nullum habent illorum bonorum vel dominium, vel administrationem. Poterunt tamen aliquas tenues eleemosynas, & consuetas elargiri, quæ juxta pauperum multitudinem, & divitiarum copiam, & mariti liberalitatem sunt taxandæ. Possunt etiam imo, & debent, si adsit extrema pauperum necessitas. Concessum est etiam illis aliquando pauperibus auxiliari ex bonis familiæ ad malum aliquod sive spirituale sive corporale avertendum, quod marito vel familiæ immineat; agit enim tunc causam & familiæ & mariti, qui invitus rationabiliter nequit supponi. Sicut si maritus negligat eleemosynas facere, vel absens sit. Si uxor parentes habeat vere indigentes, illis sicut ceteris pauperibus elargiri poterit, sicut & filiis ex alio viro susceptis, vel etiam fratribus, dummodo tamen legitimos custodiat terminos, nec marito, aut ejus filiis noceat, proinde si det parentibus, vel filiis, vel fratribus suis, non debet tunc & aliis pauperibus dare, ne consuetam excedat eleemosynæ mensuram. Caveant tamen uxores, ne in hisce erogandis eleemosynis marito displiceant, vel invitum habeant, tunc enim, ne pax turbetur, debent abstinere. Si vero uxor bona habeat paraphernalia, quæ ipsi justo titulo hæreditatis vel donationis obvenerint, poterit tunc, etiam marito invito, de illis eleemosynas dare. Sicut si vir aliquam pecuniæ summam illi pro victu & vestitu destinavit, licite poterit parcius vivendo, & pompis abstinendo, quæ sibi subtrahit in pauperum subsidium erogare. Doctrina S. Th. hac de re habetur 2. 2. q. 32. a. 8. " Si uxor habeat alias res præter „ dotem, quæ ordinatur ad sustentanda „ onera matrimonii, vel ex proprio lucro, „ vel quocumque alio licito modo, potest „ dare eleemosynam etiam irrequisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex eorum „ superfluitate vir depauperetur. Alias autem „ non debet dare eleemosynas, sine consen„ su viri vel expresso, vel præsumpto, nisi „ in articulo necessitatis ". Et S. Raym. in Sum. lib. 2. §. 10. docet: " De rebus viri, „ ut de pane, & vino, & aliis, que bono „ & approbato more solent ad dispensatio„ nem uxorum pertinere, potest, & debet „ facere eleemosynam, moderate tamen secun-

„ cundum facultatem viri, & majorem, vel „ minorem multitudinem, vel necessitatem „ pauperum. Et debet semper sibi conforma„ re conscientiam, quod non displiceat ma„ rito in corde, licet aliquando prohibue„ rit ore. Solent enim Mariti facere prohibitio„ nem uxoribus absolute, ut se temperent „ eas non a toto, sed ab excessu, quem „ suspicantur. Si autem omnino & præcise „ dictet ipsi uxori conscientia, quod viro di„ splicear, & scandalizetur .... unde dare non „ debet, & doleat quia non potest dare.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Famuli nequeunt de bonis dominorum suorum eleemosynas facere, sine eorum consensu, nam aliena, non sua donarent. Ita S. Thom. in 4. q. 2. a. 5. quæstiuncula 3. *Dicendum de servis, & ancillis, & etiam de famulis, quantumvis sint liberæ conditionis, quod non possunt dare eleemosynam de rebus dominorum, sine eorum consensu.* Addit S. Doctor, esse quidem ipsis concessum panem, vel quid simile, quod nocumentum non inferat, pauperibus erogare: verum id non esse de servis, & ancillis universaliter intelligendum, sed solum de illo, cui familiæ cura commissa est, ostendunt clare quæ sequuntur S. Doctoris verba: *Quia etsi sit dispensator rerum, non tamen ponitur dispensator quasi potestatem habens aliquam in rem Domini, sed quasi tractans eam, ad utilitatem Domini.* Possunt tamen servi de victu sibi ad mensuram tributo, nec non de pecunia in mercedem assignata aliquid detrahere ad eleemosynam erogandam, juxta Apostoli monitum ad Ephes. 4. v. 8. *Laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Concedi etiam potest his, quibus famulitii stipendium, sicut & illis, quibus labor manuum, & sudor vultus fundus est & census unde vivunt, ut aliqua sibi in futurum reservent, dummodo tamen pauperum omnino non obliviscantur.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Tutores & Curatores, sicut minores & pupilli possunt licite eleemosynas elargiri. Illi quidem, quia cum pupillorum bona ministrent, sicut alias expensas in minorum, & pupillorum utilitatem facere possunt, ita & eleemosynam dare, cum ad hoc teneantur pupilli, & in eorum cedunt utilitatem. Isti vero, quia dominium habent suorum bonorum, quorum administratione non ita carent, ut a pietatis officiis præpediantur, præsertim si Tutores & Curatores ea negligant. Verum Curatores & Tutores cum justitiæ præsertim ministri sint, non caritatis, nequeunt pro libito eleemosynas facere, sed solum juxta conditionem, statum, & facultates pupillorum, & minorum, juxta quem modum & isti queunt eleemosynas erogare.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Regulares voto paupertatis adstricti nequeunt eleemosynas sine Prælati licentia elargiri, at isti de bonis conventuum possunt & debent eleemosynas facere. Et quidem de Religiosis sic docet S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1. *Monachus si habet dispensationem a Prælato commissam potest eleemosynam facere de rebus Monasterii secundum quod sibi commissum est. Si vero non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis vel expresse habita, vel probabiliter præsumpta.* Hæc autem licentia præsumi non potest quando Prælatus adest, sed ab illo est petenda; præsumi tamen potest dum Regularis iter agit, & præsertim cum secularibus, quibus scandalo foret, si socius, & par in mensæ sumptibus, solum in eleemosynis denegando.s

dis paupertatem ostentaret. Similiter possunt eleemosynas facere, si Beneficium obtinent reditus habens a bonis Monasterii sejunctos; titulo enim Beneficii facultatem obtinent insumendi reditus in suam sustentationem, & in pauperum levamen. Nequeunt tamen sibi aliquid subtrahere ex iis, quæ ad sui sustentationem a Monasterio accipiunt ut in eleemosynam tribuant, ut docent Diana, aliique, cum illud in Monasterii commodum cedat, nec sint Religiosi filiis familias in hoc comparandi, sed potius servis; quidquid enim aliquo modo acquirunt, non sibi, sed Monasterio acquirunt, eapropter ut hæc quoque in pauperes veleant licite distribuere, veniam a Superiore petant oportet. Prælati vero & Superiores licet bonorum Monasterii domini non sint, possunt tamen ratione administrationis, quam obtinent, quæ superabundant pauperibus elargiri, cum & ad hoc fuerint Monasteriis bona donata, vel relicta, ut in pauperum etiam alimoniam, & sustentationem cederent.

Consectarium Decimumqnintum.

XV. Etiam improbis, & Infidelibus vera paupertate pressis est eleemosyna facienda. Nam licet in improbis eorum malitiam odisse debemus, auxilium tamen illis denegare non possumus in eorum necessitatibus, maxime docente Christo: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*. Præterea in Scripturis præcipitur Tob. 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*. Et Luc. 6. Christus jubet: *Omni petenti te tribue*. Et D. Paulus ad Galat. 6. scribit: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*. Quæ Apostoli verba sic exponit S. Joann. Chrys. hom. 10 in Epist. ad Hebræos scribens: *Hac ergo omnia cum audierimus, n... domesticorum fidei solam curam geramus, alios autem negligamus. Sic ergo tu quoque si videris aliquem male patientem, nihil amplius scruteris. Nam si asinum, quem videris suffocari, erigis, nec cujus sit scrutaris, multo magis non oportet scrutari quis qui indigeat, Dei est, sive sit Græcus, sive Judæus, sed indiget auxilio*. Dixi, si vera premantur paupertate; nam si vel se pauperes falso mentiantur, vel tales sint, quia licet sani & robore corporis ad laborem apti, otio & pigritia marcescunt, est illis deneganda eleemosyna, illisque Apostoli præceptum indicendum: *Hoc denunciamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet*. Et D. Augustinus Epist. 92. cap. 2. de hujusmodi scribit: *Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ne injustitiæ seductus acquiescat*.

Consectarium Decimumsextum.

XVI. In eleemosynis distribuendis est ordo aliquis servandus. Nam cum largitio eleemosynæ actus sit quidem misericordiæ, sed a caritate imperatus, ordinem etiam a caritate præstitutum servat. Qualis autem sit hic ordo docet S. Th. hic q. 32. a. 9. " Dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. de Doct. Christ. illi, qui sunt magis nobis conjuncti, quasi quadam sorte nobis obveniunt, ut eis magis providere debeamus. Est tamen circa hoc discretionis ratio adhibenda, secundum differentiam conjunctionis, & sanctitatis, & utilitatis. Nam multo sanctiori magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum est magis eleemosyna danda, quam personæ propinquiori, maxime si non sit multum conjuncta, cujus cura specialis nobis non immineat, & si magnam necessitatem non patiatur ". Plura de hoc ordine diximus cap. 12. & 13. Solum hæc adnotamus. 1. Cæteris paribus eos præferen-

rendos esse pauperes, qui præ pudore, verecundia, & honestate ostiatim vel publice mendicare non possunt, qui etiam sunt aliquo studio quærendi, ut docet S. Leo ser. 7. de Collect. exponens illa Psalmi verba, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*. „ Ad quem intelligendum (inquit) sollicita benignitate vigilandum est, ut quem modestia tegit, & verecundia præpedit, invenire possimus. Sunt enim qui palam poscere ea quibus indigent erubescunt, & malunt miseria tacitæ egestatis affligi, quam publica petitione confundi. Intelligendi ergo isti sunt, & ab occulta necessitate sublevandi, ut hoc ipso amplius gaudeant, cum & paupertati eorum consultum fuerit & pudori ". 2. Juxta D. Ambrosium in Psal. 18. *Omnibus quidem misericordia inopibus jure debetur, sed major quidem, cum ex divitibus, atque nobilibus in ultimum statum, atque egestatis necessitatem aliquos ærumna dejecit, miserationis pulsat affectus*. *Maxime* (subdit idem Præsul de Offic. lib. 1. c. 30.) *si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat amisit*. 3. Et de illis quoque ratio habenda est, qui vel ut in sinum Ecclesiæ Catholicæ se reciperent, vel Christianam fidem amplecterentur, omnia sua vel sponte dimiserunt, vel bonis sunt expoliati. De his enim sic scribit S. Cyprianus Epist. 6. lib. 3. *Pauperibus, ut sæpe jam scripsi, cura & diligentia vestra non desit, iis tamen, qui in fide stantes Christi castra non reliquerunt, quibus quidem nunc major a nobis dilectio & cura præstanda est, quod nec paupertate adacti, nec persecutionis tempestate prostrati, dum Domino fideliter serviunt, cæteris quoque pauperibus exemplum fidei præbuerunt*.

REFLEXIO.

I. *Præclara, & divina res est eleemosyna*, (verba sunt Cypriani tract. de oper. & eleem. sub finem) *salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati, res posita in potestate facientis, res & grandis, & facilis, corona pacis, verum Dei munus, & maximum infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adjutus perfert gratiam spiritualem, promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem*. Hæ sunt quidem amplissimæ eleemosynæ laudes, & efficacissima ad illam liberaliter prodigendam illicia. Sed divitum duri viscera minime emolliunt, quæ avaritia stringit, & obdurat, & quos non terret nec formidanda & terribilis illa sententia, quam Christus toto inspectante Cælo, Mundo, & Inferno, & plaudentibus Angelis & Sanctis in ipsos pronuntiabit novissimo die: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi & non dedistis mihi bibere .... Quod enim uni de minoribus his non fecistis, nec mihi fecistis*. Sententia quidem æquissima, & supplicium justissime inflictum. Nam ut diviti crudeli exprobrat Chrysostomus hom. 11. in Epist. ad Rom. " Rapinæ atque avaritiæ incumbis non paupertate pressus, non fomite ad id impellente, sed quo equi tui frænum, domus, lectum, columnarum capita copiose inaurentur. Hoc ipsum vero quantam gehennam meretur, cum tu fratrem tuum, qui videlicet bonorum arcanorum particeps effectus, atque eo usque a Domino honoratus est tuo, in infinitas calamitates præcipitem agis, ut lapides & domus tuæ pavimentum, ut animantium ratione carentium corpora exornes? Te ne tam sollicitum alendi canis curam gerere, hominem autem, seu verius dicam, Christum ipsum propter canem, ad summam famem adigi? Quid hac confusione pestilentius? Quid hac ini-

qui-

„ quitate lethalius ? Quot tandem ignei fluvii ad hujusmodi animam depascendam satis esse possunt ? En qui ad Dei similitudinem expressus est, pannosus indecorusque jacet per tuam inhumanitatem. Muli autem uxorem tuam portantes, tum autem pelles & ligna, quibus tectum illud texitur, multo auro splendescunt, & si sedile aut scabellum conficiendum est, ubique aurum, ubique argentum, Christi autem membrum is, propter quem Deus de cœlo ad nos descendit, sanguinemque pretiosum effudit, avaritia tua ne necessarium quidem cibum habet. Et lectuli quidem argento undique cincti, undique ornati sunt; sanctorum vero corpora vel necessario operculo carent, ac tibi minoris fit Christus quam muli, quam lectus, quam sedile, quam scabellum.

II. Illud itaque intelligant divites, & bene eorum Confessarii mente & corde percipiant, non posse Deo servire & mammonæ, sed vel ea, quæ superabundant, esse pauperibus distribuenda, vel æternum subeundum in inferno supplicium; & ideo difficile esse dicitur, divitem intrare in Regnum cælorum, & difficile adeo, ut facilius sit camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in Regnum cælorum; proinde væ divitibus, & væ eorum Confessariis tacentibus, & ista opportune, importune non ingerentibus.

III. Non eos audiant, qui vel nihil superflui se habere mentiuntur, & se quoque inter pauperes connumerare non refugiunt. Regerant illis cum Augustino in Psal. 147. „ Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus. Nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei. Quærite quæ sufficiunt, & videbitis quam pauca sint. Viduæ suffecerunt duo minuti nummi necessarii ad faciendam misericordiam, suffecerunt duo nummi ad emendum Regnum Dei.... Quære quantum tibi dederit, & ex eo tolle quod sufficit. Cætera, quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria ". Ostendant cum eo Sanctissimo Præsule ser. 61. de Temp. nullum esse, qui paupertatis nomine ab eleemosynis erogandis se queat excusare. "Sed „ quis se poterit excusare cum etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum promiserit? Et quare frigidæ dixerit? Ne forte se possit aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut certe dicere, se vasculum, ubi aquam calefaceret, non habere. Denique & per beatum Prophetam Dominus ita hortatur, & admonet eleemosynam fieri, ut prope nullus pauper sit, qui se valeat excusare. Sic enim ait: *Frange esurienti panem tuum*. Non dixit, ut integrum daret, cum forte pauper ille alium non haberet; sed frange, inquit, hoc est dicere, etiamsi tanta paupertas tibi sit, ut non habeas nisi unum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue.

IV. Dum autem quis eleemosynam tribuit, curet ut hisce polleat conditionibus, nimirum 1. prompta sit, nec importunis pauperum precibus extorta: *Ne dicas* [monet Dominus Proverb. 3.] *amico tuo vade, & revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare*, sed cum Job dicere possit. *Non negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare non feci*. 2. Sit cum hilaritate conjuncta: *Hilarem enim datorem diligit Deus, & in omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas*. Nam ut monet Augustinus in Psal. 42. *Si panem dederis tristis, panem & meritum perdidisti*. 3. Sit fine jactantia, ut monet Christus Dominus; *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut faciunt hypocritæ..... Amen dico vobis receperunt mercedem*

dem suam, scilicet *vani vana*, ut inquit Augustinus. Denique sit constans, & perseverans: non enim satis est semel dedisse, sed sicut pauperes semper secum habebunt divites, ita semper cum eis bona sua dividant, & dispertiantur, ut cum defecerint, recipiant eos in æterna tabernacula.

CAPUT XVI.

De Eleemosyna spirituali, seu de fraterna Correctione.

DOCTRINA.

I. *Correctionis fraternæ definitio ex S. Thoma.*
II. *Est actus caritatis, & misericordiæ.*
III. *De illa datur naturale præceptum.*
IV. *Etiam in veteri lege latum, & in nova confirmatum.*
V. *Non solos Prælatos & Superiores urget, sed quemlibet fidelem.*
VI. *Affirmativum est non obligans semper, & pro semper.*
VII. *Peccatum correctionis objectum debet esse grave.*
VIII. *Ejus notitia moraliter certa.*
IX. *Spes affulgeat emendationis oportet, ut obliget correptionis præceptum.*
X. *Opportune facienda fraterna correctio.*
XI. *Servandus ordo a Christo præstitutus.*
XII. *Nonnulla sunt peccata statim Superiori deferenda, non præmissa fraterna correctione juxta S. Thomam.*
XIII. *Qui ab hac doctrina non recessit.*
XIV. *Non semper peccat qui fraterna prætermissa correctione delictorum, ea Superiori ut Patri defert.*
XV. *Prælati jubere non possunt, ut crimina ad se deferantur omissa fraterna correctione.*

A Corporali eleemosyna, quæ externam & corporalem sublevat proximi indigentiam, gradum movet Doctor Angelicus sequenti disputatione 33. ad fraternam correctionem, qua morbis animæ, & spirituali proximi egestati consulere possumus, & auxiliari. De hoc argumento octo articulis disputat, ejusque doctrinam breviter dilucideque exponimus.

I. Cujusvis dilinquentis peccatum sub triplici respectu potest considerari, & quatenus primo *est nocivum ei, qui peccat*; secundo *quantum vergit in nocumentum aliorum, qui ex peccato læduntur, vel scandalizantur*: tertio *quatenus est nocumentum boni communis*. Corripere peccantem quatenus vel alterum, vel commune bonum lædit, ad justitiam pertinet, ut docet S. Thom. cujus est conservare ordinem justitiæ unius ad alterum. Et de hac correctione modo minime disputamus, sed de priore illa, quæ peccantis curam gerit, & nocumentum suum ab illo avertere conatur & adlaborat. Et hæc correctio, quæ fraterna dicitur, optime ex Ang. Doct. definiri potest

Secreta admonitio, qua quis proximi malum studet repellere, quatenus est ipsi peccanti noxium.

II. Hanc fraternam correctionem actum esse caritatis docet, & probat D. Th. scribens: " Removere malum alicujus, ejusdem „ rationis est, sicut ejus bonum procurare. „ Procurare autem fratris bonum pertinet ad „ caritatem, per quam volumus, & ope„ ramur bonum amico. Unde etiam corre„ ctio fraterna est actus caritatis; quia per „ eam repellimus malum fratris, scilicet „ peccatum; cujus remotio magis pertinet „ ad caritatem, per quam volumus, & ope„ ramur bonum amico. Unde etiam corre„ ctio fraterna est actus caritatis; quia per „ eam repellimus malum fratris, scilicet „ peccatum; cujus remotio magis pertinet „ ad caritatem, quam etiam remotio exte-

„ tioris damni, vel etiam corporalis nocu-
„ menti; quanto contrarium bonum virtutis
„ magis est affine caritati, quam bonum
„ corporis, vel exteriorum rerum ". Hoc ta-
men non impedit, quin etiam a miseri-
cordia proximius prodire dicatur fraterna cor-
rectio.

III. De fraterna correctione latum est na-
turale præceptum in illo contentum, *quod
tibi vis fieri, alteri facias*: quemadmodum
enim quilibet vellet a se arceri malum ali-
quod imminens sive corporale, sive spiri-
tuale, ita debet velle arcere a fratre suo
simile malum. Hinc merito dolet D. Ber-
nardus lib. 4. de Consid. hocce præceptum
adeo a fidelibus negligi, ut *Si cadit asina,
sit qui sublevat eam, perit anima, & non est
qui reputet*.

IV. Et in veteri lege hoc viguisse præcep-
tum, ostendunt Eccl. cap. 7. verba: *Man-
davit unicuique de proximo suo*, quam de pro-
ximo curam in eo constituit cap. 19. *Corripe
amicum, ne forte non intellexerit, & dicat
non feci, aut si fecerit, non iterum addat fa-
cere*. Confirmavit denique hoc præceptum
in Evangelio Christus, dum jussit Petro: *Si
peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe
eum inter te & ipsum solum*. Matth. 18. Quæ
verba non merum continere consilium, sed
verum præceptum indicant verba, quæ ha-
bentur Lucæ præmissa eidem præcepto, *At-
tendite vobis. Si peccaverit in te frater tuus,
increpa illum*. Et hujusmodi præceptum a-
gnoscunt omnes Patres, & Theologi; unde
S. Basilius in Regulis brevioribus inquirit,
*num adversus peccantes dissimulatione uti con-
veniat?* Et respondet: *Sane quod hoc fieri
non debeat, perspicuum est ex præceptis Do-
mini, qui in veteri quidem testamento dixit*.
Correptione corripies fratrem tuum, & non
sumas propter illum peccatum, *in Evange-
lio autem*, Si peccaverit in te frater tuus,
vade, & corripe.

V. Hoc vero præceptum non Prælatos so-
lum & Superiores, sed quemlibet etiam pri-
vatum obligat, urgetque, ut optime docet
S. Thom. hac q. 33. art. 3. *Dicendum, quod
duplex est correctio, una quidem, quæ est
actus caritatis, quæ specialiter tendit ad emen-
dationem fratris delinquentis per simplicem ad-
monitionem; & talis correctio pertinet ad quem-
libet caritatem habentem, sive sit subditus,
sive sit Prælatus*. Colligit proinde Augusti-
nus, caritate carere, qui proximum non
corripit, scribens tract. 7. in 1. Joan. *Non
putes te amare vicinum tuum, quando eum
non corripis*.

VI. Cum vero hocce fraternæ correctionis
præceptum affirmativum sit, non obligat
semper & pro semper, sed solum aliquan-
do, scilicet pro loco, & tempore, ac cir-
cumstantiis, ut docet Angelicus Præceptor
loc. laud. art. 2. scribens: " Considerandum
„ est, quod sicut præcepta negativa legis
„ prohibent actus peccatorum, ita præcepta
„ affirmativa inducunt ad actus virtutum....
„ Sed actus virtutum non quolibet modo
„ fieri debent, sed observatis debitis circum-
„ stantiis, quæ requiruntur ad hoc, ut sit
„ actus virtuosus; ut scilicet fiat ubi, &
„ quando debet, & secundum quod debet.
„ Et quia dispositio eorum, quæ sunt ad
„ finem, attenditur secundum rationem finis,
„ in istis circumstantiis virtuosi actus præci-
„ pue attendenda est ratio finis, quæ est
„ bonum virtutis ..... Correctio autem fra-
„ terna ordinatur ad fratris emendationem.
„ Et ideo hoc modo cadit sub præcepto,
„ secundum quod est necessaria ad istum fi-
„ nem, non autem ita quod quolibet loco,
„ vel tempore frater delinquens corrigatur ".
Licet vero Christus nomine fratris peculia-
riter designaverit corrigendos fideles, nam
subdit ex correctione non se emendantes esse

Ecclesiæ denuntiandos, *Dic Ecclesiæ*, non excluduntur tamen ab hoc beneficio infideles & hæretici, quos peccantes contra leges naturæ, vel Evangelii corripere debemus, si spes profectus adsit, cum & ipsi proximi nomine veniant caritate diligendi, ut docet etiam S. Thom. art. 4. *Correctio fraterna, quæ est actus caritatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ, ad quam caritatem debet habere, si in ea aliquid corrigibile inveniatur*.

VII. Ut autem correctionis fraternæ præceptum urgeat, nonnullæ requiruntur conditiones tum ex parte corrigentis, tum ex parte peccantis. 1. Conditio est, ut peccatum correctione emendandum sit grave, cum solum per peccatum lethale pereant fratres, quos Christus lucrandos jubet per correctionem, ut animadvertit S. August. serm. 6. de Verb. Dom. *Si te ille, in quem peccasti, corripuerit, & audieris illum, lucratus est te. Quid lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est?* Nisi forte veniale peccatum talis esset conditionis, ut periculum proximum afferret labendi in lethale. Excipiendi tamen sunt Prælati Ecclesiastici, præsertim Regulares, qui suorum subditorum etiam veniales culpas, imo & regularum violationes corrigere debent, licet fortassis ex se nec gravia nec levia peccata sint, quippe quia cum teneantur Religiosi ad evangelicam perfectionem sibi comparandam, venialia peccata ejus assecutionem impediunt, & præterea ex legali justitia præcavere tenentur Superiores, ne regularis disciplina labefactetur, adeo ut regulæ transgressiones, quæ in subditis vix venialia peccata sunt, earum tamen dissimulatio in Superioribus grave evadat peccatum, cum magnum inferat regulari observantiæ nocumentum, ut optime animadvertit Sotus de tegen. secr. memb. 11. quæst. 11. concl. 2. *Si in Religione calerent observationes nostræ, ut puta fratres passim uterentur lineis, vescerentur carnibus, & silentia rumperent, quamvis hæc apud nos nulla sint peccata, tamen Prælatus, qui hujusmodi damna resarcire posset, & ad regulam revocare, teneretur certe sub mortali id satagere*.

VIII. Altera conditio est, quod cognitio delicti commissi, vel mox committendi sit moraliter certa, vel saltem firmis & probabilibus innixa momentis. Imprudens siquidem foret, qui absque fundamento, vel levibus tantum conjecturis innixus proximum de crimine redargueret contra Ecclesiastici monitum cap. 11. v. 7. *Priusquam interroges, ne vituperes quempiam; & cum interrogaveris, corripe juste*. Nisi forte de crimine agatur, quod vel in grave vergat communitatis detrimentum, vel ipsi peccanti magnum aliquod illaturum sit periculum, vel damnum, quod ipse non animadvertit, tunc enim etiam in dubio, prudenti tamen & fundato, correctio est facienda, nam tunc locum habet Adriani regula in Jure Canonico relata: *Ex parte corripientis non currit solum obligatio præcepti cum certam habet cognitionem peccati, sed cum probabiliter dubitat. Sicut enim tenetur proximo ad eleemosynam, non solum cum scit ejus necessitatem, sed etiam cum verosimiliter scit, & de hoc dubium fuerit, & prohibere, ne occidatur, vel præceps in laqueum ruat, non solum quando hoc futurum sit, sed in discrimine & in dubio*.

IX. Tertia conditio est, ut adsit spes prudens, & probabilis emendationis, vel saltem alicujus profectus in eo qui corrigitur. Quandoquidem in hoc fraterna correctio a judiciali differt, quod hæc per quos pertinet non est omittenda, licet nulla adsit spes profectus, quippe cujus finis est non privata, sed publica utilitas, vel tranquillitas; illa vero, cujus finis (ut docet S. Thom. art. 6.) est emendatio delinquentis, non ha-

benz

bent correctionem, sed simplicem admonitionem; & ideo ubi probabiliter æstimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum: quia ea quæ sunt ad finem, debent regulari secundum quod exigit ratio finis. Hæc tamen spes emendationis necesse non est, ut sit omnino certa, & infallibilis, alioquin nunquam, aut raro admodum locum obtineret correctionis fraternæ præceptum, cum talis certitudo pendeat a cognitione voluntatis humanæ volentis se emendare & divinæ voluntatis gratiam conferentis, quæ duo profecto nobis sunt impervia: sufficiet itaque spes probabilis profectus. Sicut necesse non est, ut integra ex correctione speretur emendatio, sed satis est, si aliquis speretur profectus, puta ut qui cum aliorum scandalo peccabat, peccet in posterum occulte, vel peccandi frequentiam diminuat.

X. Quarta conditio est, ut sit opportuna correctio, & congruo tempore facta, & a persona idonea, & delinquentis spectetur conditio. Et quidem quoad tempus, tunc est corrigendus proximus, quando per eam fructus speratur. Sicut enim nocet, non prodest corporalis medicina, si nulla habita temporis ratione porrigatur, ita correctio, quæ medicina est animæ, nocere poterit, non prodesse, si intempestive fiat. Optime itaque S. Thom. art. 2. *Actus virtutum non qualibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc, quod sit actus virtuosus, ut scilicet fiat ubi debet, & quando debet, & secundum quod debet*. Differenda est igitur aliquando correctio, quando expensis circumstantiis alio tempore opportuna judicabitur. Quoad personam corrigentis sapienter animadvertit S. Thom. absolute necessarium non esse, ut qui corrigit immunis sit a peccato, quod in alio reprehendit, nam inquit art. 5. *Correctio pertinet ad aliquem, in quantum viget in eo rectum judicium rationis. Peccatum autem non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccatore aliquid de recto judicio rationis: & secundum hoc potest illi competere alterius delictum arguere*. Addit tamen correctionem a peccatore factam *impedimentum afferre correctioni*. Hinc Prælati, & Pastores, qui ex officio tenentur subditos corrigere, tenentur etiam se ipsos emendare de peccato, quod in aliis reprehendunt, si illis notum sit, ut officium suum juste possint implere. Qui vero solum ex caritate proximum corrigit, licet delinquenti notorium sit ejus delictum, adhuc tamen potest alterum corrigere, si id cum humilitate præstet, quasi alterum monens, ne suum imitetur exemplum, sed ab illo recedat. *Patet*, (inquit S. D.) *quod si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec sibi novam condemnationem acquirit, licet per hoc vel in conscientia fratris, vel saltem sua pro peccato præterito condemnabilem se esse ostendat*. Quod si delictum in corrigente ex officio, tum ex caritate occultum sit fratri corrigendo, patet, quod tunc correctio non impedit alterius profectum & emendationem, proinde per hoc non est omittenda. Quoad conditiones vero fratris peccantis servanda est, ut docet S. Bernardus serm. 11. de Tempore Paschali *modestia in increpando*. Alio enim modo corrigendi sunt inferiores, alio æquales, alio superiores, sicut & alio pacto seniores, alio juniores, aliter viri & feminæ, aliter verecundi, aliter procaces & dissoluti. Præ oculis propterea habendum Apostoli consilium ad Gal. 6. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris*. Et ad Timot. 1. c. 5. *Seniorem ne increpaveris; sed obsecra ut patrem; juvenes ut fratres; anus ut matres; juvenculas ut sorores*. Hæc omnia complectitur suavissime D. Bernardus,

dum.

dum laudato ſermone docet, correctionem comitari debere 1. compaſſionis affectum. *Oportet, ut ſibi vindicet* [fraterna correctio] *compaſſionis affectum, alioquin ſpiritu vehementi conterimus naves Tharſis, conterimus quaſſatum calamum, extinguimus lignum fumigans.* 2. Zelum juſtitiæ, *Nonne ſicut compatiendum fratri, ita ipſi juſtitiæ compatiendum eſt, quam videmus tam impudenter abjici, tam impudenter provocari? Scio, ſi quæ in nobis eſt caritas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non poſſumus. Hic eſt zelus juſtitiæ, quo adverſus delinquentes accendimur, tamquam pietatem erga eam, quam contemni videmus, juſtitiam Dei.* 3. Spiritum diſcretionis. *Habet itaque mens noſtra ſpiritum diſcretionis, ut miſcens apte tempora temporibus opportune æmulari, & nihilominus ignoſcere ſciet, Samaritanus ſit cuſtodiens, & obſervans quando oleum miſericordiæ, quando vinum ſervoris exhibeat.*

XI. Denique quinto loco ſervandus eſt ordo a Chriſto præſtitutus, nimirum ut primo correctio fiat inter corrigentem, & fratrem peccantem ſolum. Qui ordo, quando agitur de peccato occulto vergente in ſolum detrimentum peccantis, & ſpes adſit emendationis, non ex ſolo conſilio ſervandus præſcribitur, ſed ex præcepto. Ita aperte docet, & evincit S. Thom. hic art. 7. ſcribens: „ Quædam peccata ſunt, quæ ſolum ſunt in malum peccantis, & ejus, „ in quem peccatur, vel quia a peccante „ ſolum læditur, vel ſaltem ex ſola notitia; & tunc ad hoc ſolum tendendum eſt, „ ut fratri peccanti ſubveniatur ..... ita ille, „ qui ſtudet emendationi fratris, debet, ſi „ poteſt, ſic emendare fratrem, quantum „ ad conſcientiam, ut fama ejus conſervetur, quæ quidem eſt utilis. Primo quidem ipſi peccanti, non ſolum in temporalibus, ſed etiam quantum ad ſpiritualia, quia præ timore infamiæ multi a „ peccato retrahuntur. Unde quando ſe infamatos conſpiciunt, irrefrænate peccant. „ Unde Hieronymus dicit: *Corripiendus eſt ſeorſum frater, ne ſi ſemel pudorem, vel verecundiam amiſerit, permaneat in peccato.* „ Secundo debet conſervari fama fratris peccantis, tum quia, uno infamato, alii infamantur, ſecundum illud Auguſtini, *cum de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur*; tum etiam, quia ex „ peccato unius publicato alii provocantur „ ad peccandum. Sed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit Dominus, ut „ ſaltem cum diſpendio famæ fratris conſcientia per publicam denuntiationem a „ peccato liberetur. Unde patet *de neceſſitate præcepti eſſe*, ut ſecreta admonitio publicam denuntiationem præcedat.

XII. Sunt tamen juxta præfatum Doctorem Angelicum quædam peccata, quæ licet occulta ſint, tamen Superiori denuntianda ſunt non præmiſſa fraterna correctione, cujuſmodi ſunt hæreticæ doctrinæ diſſeminatio, in vitam Principis conjuratio, civitatis proditio, quæ in corporale vel ſpirituale damnum multitudinis vergunt. Sic enim docet S. Doctor: " Quædam peccata occulta ſunt, „ quæ ſunt in nocumentum proximorum „ vel corporale, vel ſpirituale; puta ſi aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus privatim „ homines a fide avertat. Et quia ille, qui „ ſic occulte peccat, non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim „ procedere ad denuntiationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur. " Et iterum in reſp. ad 3. reperit: " Quando imminet periculum multitudinis, non habent ibi locum hæc verba Domini: *Quia tunc frater peccans non peccat in te tantum.* Quæ verba etiam rationem continent non

ſer-

servandi ordinem correctionis, quia nimirum privatum bonum communi bono est præferendum, & extremis malis extrema sunt adhibenda remedia. Porro fidem hæresi corrumpere, civitatem prodere, Principum vitæ insidiari extrema sunt mala extremo remedio avertenda. Hinc jure meritoque Pontifices, & præsertim Alex. VI. peculiari Bulla data an. 1660. jussit hæreticorum denuntiationem non præmissa correctione fraterna. Et Alex. VII. hanc propositionem damnavit: *Quamvis tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis*. Et juste quidem, nam ut monet S. Leo serm. 15. de Jeju. decimi mensis: *Hæretici humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt*, ergo sine dilatione coercendi.

XIII. Nec ab hac sententia recessisse putandus est Doctor Angelicus, dum subdit, *nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem possit hujusmodi mala impedire*: nam hypothetice loquitur S. Doctor, quæ hypothesis nunquam recte experientia in praxi locum habet: quis enim firmiter sibi persuaderet, iniquum hominem hæresim spargentem contra doctrinam Ecclesiæ, & alium proditionem machinantem contra Patriam ab iniquo facinore recessurum verbis alicujus amici, quem a crimine non deterrebant supplicia & pœnæ in hujusmodi sceleftos viros a legibus & Principibus latæ? Accedit D. Thomam esse locutum spectato solum Evangelicæ caritatis præcepto, non autem Ecclesiæ mandato, ejus temporibus nondum lato. Proinde hæresis crimen, & similia sunt statim, prætermissa fraterna correctione, Superiori deferenda.

XIV. Licet quando fratris peccantis emendatio æqualiter obtineri potest & per fraternam correctionem, & per denuntiationem Superiori, non ut judici, sed ut patri, præmittenda sit fraterna correctio, non tamen contra hunc ordinem peccat, qui statim Superiori defert, cum speret efficacius profuturam fratri illius admonitionem. Prima pars manifesta est, quia nulla tunc occurrit ratio prætermittendi ordinem a Christo præstitutum, & honori proximi semper quantum fieri potest, est consulendum, qui profecto minuitur, quando ejus delictum pluribus innotescit. Altera vero pars ex eo patet, quod tunc melius consulitur bono spirituali fratris, cujus spiritualia mala melius efficaciusque medentur per Superiorum quam per æqualium correctionem; & hæc major spiritualis utilitas compensat illam qualemcumque honoris imminutionem, quæ ex manifestatione peccati facta Superiori redundat in peccantem, quam etiam statim resarcit sua emendatione. Utramque partem docet S. Thom. quodl. 11. art. 7. scribens: „ Utrum statim cum quis scis fratrem suum „ peccasse, debeat denuntiare Prælato, di„ co, quod in his distinguendum est de con„ ditionibus subditi, & Prælati. Nam si ego „ scio, quod frater per me corrigetur, tunc „ non debeo hoc denuntiare Prælato (*nec* „ *ut Patri*). Si autem videtur, quod hoc „ melius fiat per Prælatum, & Prælatus „ nihilominus sit pius, discretus, & spiri„ tualis, non habens rancorem, seu odium „ adversus illum subditum, tunc licite po„ test hoc denuntiare sibi: & tunc non „ dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Præ„ lato, sed sicut personæ proficienti ad cor„ rectionem proximi, & emendam. Sed „ quia propter conditiones diversas Prælato„ tum, & subditorum, non potest in hoc „ dari generale judicium: quia aliquando „ Prælatus vel movetur ad odium versus sub„ ditum: vel subditus non bene ferret ver„ ba Prælati: ideo tenendum est pro regula, „ quod in omnibus istis semper servanda est „ caritas, & quod melius & magis expedire „ videtur; etsi hoc intendat „ scilicet emendam

" dam proximi , & fervet quantum poteft
" bonum caritatis , tunc denuntiando non
" peccat ; fi vero denuntiet cuicumque per-
" fonæ hoc ex malitia , & ut proximus con-
" fundatur , vel deprimatur , tunc denun-
" tians, five accufans peccat mortaliter .

XV. Prælati præcipere non poffunt , ut occulta religioforum delicta fibi , prætermiffa correctione fraterna , denuntientur . Ita S. Thom. art. 7. ad 5. " Dicendum , quod
" Prælato non eft obediendum contra præ-
" ceptum Dei , fecundum illud Act. 5.
" *Obedire oportet Deo magis , quam homini-*
" *bus* . Et ideo quando Prælatus præcipit ,
" ut fibi dicatur quod quis fciverit corrigen-
" dum , intelligendum eft præceptum fane,
" falvo ordine correctionis fraternæ ; five
" præceptum fiat communiter ad omnes ,
" five ad aliquem fpecialiter . Sed fi Præla-
" tus expreffe præciperet contra hunc ordi-
" nem a Domino inftitutum , & ipfe pecca-
" ret præcipiens , & ei obediens , quafi con-
" tra præceptum Domini agens : unde non
" effet ei obediendum : quia Prælatus non eft
" judex occultorum , fed folus Deus : unde
" non habet poteftatem præcipiendi aliquid
" fuper occultis , nifi in quantum per ali-
" qua indicia manifeftantur , puta per infa-
" miam , vel per aliquas fufpiciones : in
" quibus cafibus Prælatus eodem modo, ficut
" & judex fecularis , vel Ecclefiafticus poteft
" exigere juramentum de veritate dicenda . "

CAPUT XVII.

Consectaria Doctrinæ .

I. *Peccat lethaliter qui fciens fe poffe fratrem a lethali peccato retrahere illum corrigendo , correctionem omittit .*

II. *Venialiter vero qui negligit, quia fructum ex pufillanimitate non fperat .*

III. *Prælatos & Superiores Ecclefiafticos magis urget præceptum correctionis fraternæ .*

IV. *Tenentur invigilare ut corrigant .*

V. *Verbi Dei præcones publica peccata debent corripere , licet fructum non fperent .*

VI. *Licite poffunt , & aliquando tenentur inferiores Superiores corripere .*

VII. *Non urget præceptum correctionis , fi non adfit fpes profectus , non tamen animo defpondendum , nec omittenda correctio , fæpius enim tali omiffione peccatur .*

VIII. *Nec omittenda , fi in fututum fperatur fructus , vel fi de eo dubitatur , & quandoque repetenda .*

IX. *Corrigenda omnia peccata five commiffa , five quæ committenda prævidentur , five ex malitia , five ex ignorantia prodeunt .*

X. *Frequentius carnalia Religioforum peccata ad Superiorem evangelica denuntiatione deferenda , non præmiffa correctione .*

XI. *Crimen publicum Superiori deferendum ; publicum tamen non eft , fi duobus vel tribus innotefcat .*

XII. *Crimina in damnum tertiæ privatæ perfonæ poffunt fraterna correctione reprehendi .*

XIII. *Antequam deferatur ad Superiorem crimen , adhibendi duo vel tres teftes .*

XIV. *Non omittenda fraterna correctio , quia ab alio facienda fperatur .*

Reflexio .

Consectarium primum.

I. PECCAT lethaliter contra præceptum correctionis fraternæ , qui fciens fe poffe fratrem a peccato lethali retrahere illum corrigendo , vel ob pufillanimitatem, vel ob aliquam cupiditatem non corrigit . Ita S. Thom. art. 2. ad 3. " Prætermittitur fra-
" terna correctio cum peccato lethali, quan-
" do fcilicet formidatur judicium vulgi , &
" carnis excruciatio , vel peremptio ; dum
" tamen hæc ita dominentur in animo ,
" quod fraternæ caritati præponantur: & hoc
" videtur contingere , quando aliquis proba-
" biliter præfumit de aliquo delinquente ,
quod

„ quod posset eum a peccato retrahere ; & „ tamen propter timorem , vel cupiditatem „ praetermittit .

CONSECTARIUM SECUNDUM .

II. Venialiter peccant, qui fratres suos corripere negligunt ex timore & cupiditate , cum facile credant se non profuturos , parati tamen ad corrigendum , si fructum certo sperarent . Ita S. Thom. l. c. " Hujusmodi „ omissio est peccatum veniale , quando ti„ mor , & cupiditas tardiorem faciunt ho„ minem ad corrripienda delicta fratris ; non „ tamen ita quod si ei constaret quod frater „ posset a peccato retrahere , propter timo„ rem , vel cupiditatem omitteret, quibus in „ animo suo praeponit caritatem fraternam . „ Et hoc modo quandoque viri Sancti negli„ gunt corrigere delinquentes .

CONSECTARIUM TERTIUM .

III. Praelatos & Superiores praesertim Ecclesiasticos magis urget praeceptum correctionis fraternae erga eorum subditos . Ita S. Thom. l. c. art. 3. ad 1. " In correctione „ fraterna , quae ad omnes pertinet , gra„ vior est cura Praelatorum. Sicut enim tem„ poralia beneficia potius debet aliquis ex„ hibere illis, quorum curam temporalem ha„ bet; ita etiam beneficia spiritualia , puta „ correctionem , doctrinam, & alia hujusmo„ di, magis debet exhibere illis , qui sunt „ suae spirituali curae commissi " . Ideo enim constituti sunt Pastores , ut ovium suarum saluti consulentes , & errantes oves ad ovile reducant, aegris medeantur , debiles foveant , benevalentes conservent . Hinc Episcopus , qui noverit beneficia in sua Dioecesi per Simoniam dari , contra hocce scelus fortiter declamare debet . Et Parochus , qui intra Paroeciam aliquem secreto concubinam tenentem novit , eum debet corripere , licet fortasse fructum non speret , muneri enim suo satisfacere tenetur , dicente Augustino Serm. 165. de Temp. cap. 9. *A nobis Pastoribus inquirit Deus oves suas , & de manibus eorum inquirit mortem earum , dicit enim per Prophetam* : Fili hominis , speculatorem dedi te domui Israel , audiens ex ore meo sermonem , & praemonstrabis eis ex me . In eo cum dixero peccatori morte morieris , & non fueris locutus , ut caveat impius a via sua, ille facinorosus in suo facinore morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram . Tu autem si praenunciaveris facinoroso viam ejus , ut avertatur ab ea , & non fuerit aversus a via sua , iste in facinore suo morietur & tu animam tuam liberabis . *Videtis, quam sit tacere periculosum . Moritur ille , & recte moritur in impietate sua , & peccato suo moritur . Negligentia enim ejus occidit eum . Nam Pastorem inveniret vivens , qui ait.* Vivo ego dicit Dominus , *sed cum fuerit negligens non admonente illo , qui ad hoc est praepositus , & speculator ut admoneat , & ille juste moritur, & iste juste damnatur .*

CONSECTARIUM QUARTUM

IV. Praelati & Pastores cum rationabiliter dubitant de aliquo scelere , vel commisso , vel committendo , debent & de illo inquirere , & subditum corripere . Ita docet S. Th. in resp. ad 4. " Illud , quod debetur alicui „ determinatae personae , sive sit bonum cor„ porale , sive spirituale , oportet quod ei „ impendamus , non exspectantes quod nobis „ occurrat , sed debitam sollicitudinem ha„ bentes , ut eum inquiramus . Unde sicut „ ille , qui debet pecuniam creditori , debet „ eum requirere , cum tempus fuerit ut ei „ debitum reddat , ita qui habet specialiter „ curam alicujus , debet eum quaerere , ad „ hoc quod eum corrigat de peccato " . Et Adrianus I.Papa in Jure Canonico relatus docet. *Ex parte corripientis non currit solum obliga-*

tio

tio præcepti cum certam habet cognitionem peccati, sed cum probabiliter dubitat. Sicut enim tenetur proximo ad eleemosynam non solum cum scit ejus necessitatem, sed etiam cum verisimiliter scit, & de hoc dubium fuerit, & prohibere ne occidatur, vel praeceps in laqueum ruat, non solum quando hoc futurum scit, sed in discrimine, & in dubio. Porro, hæc, quæ de Prælatis & Pastoribus dicta sunt, extenduntur etiam debita proportione servata, ad parentes respectu filiorum, ad maritos respectu uxorum, ad Confessarios respectu pœnitentium, ad dominos respectu famulorum, ad tutores, & curatores respectu pupillorum, & minorum. Hi enim omnes non solum ex caritate tenentur subditos corrigere, hæc enim cunctos fideles urget, sed etiam ex justitia ratione muneris quod obtinent.

Consectarium quintum.

V. Verbi Dei Præcones debent publica peccata intrepide corripere, licet fructum non sperent, nisi majus malum inde oriturum prudenter timeant. Ratio est, quia non privatæ personæ, sed publicæ personam gerunt, & ad hoc a Prælatis & Pastoribus mittuntur, ut contra populorum vitia insurgant, & declament, & præcipue ea, quæ naturalem legem violant, studeant averruncare, & inde contra impudicos seculares, pauperum oppressores, & festorum dierum profanatores debent declamare, scientes se non in vanum laboraturos, Dicente Domino Isaiæ 55. v. 11. *Quemadmodum descendit imber & nix de cælo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti; sic erit verbum meum, quod egredictur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

Consectarium Sextum.

VI. Licite possunt, & aliquando etiam tenentur inferiores suorum Superiorum errata corrigere, dummodo hoc cum debita reverentia, & humilitate præstent. Ita docet S. Thom. l. c. art. 4. „ Correctio illa, quæ „ est actus justitiæ, per coercitionem pœ„ næ non competit subdito respectu Prelati; „ sed correctio fraterna, quæ est actus cari„ tatis pertinet ad unumquemque respectu „ cujuslibet personæ, ad quam caritatem „ debet habere, si in ea aliquid corrigibile „ inveniatur .... Sed in correctione, qua sub„ diti corrigunt Prælatos, debet modus con„ gruus adhiberi, ut scilicet non cum pro„ tervia, & duritia, sed cum mansuetudi„ ne, & reverentia corripiantur. Unde Apo„ stolus dicit 1. ad Timoth. 5. *Seniorem ne* „ *increpaveris, sed obsecra ut patrem* " Quod vero etiam aliquando teneantur, nimirum cum grave aliquod damnum ex eorum crimine immineret, ostendit idem S. Thom. in resp. ad 3. *Sciendum, tamen, quod ubi immineret periculum fidei, etiam publicè essent Prælati a subditis arguendi. Unde & Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publice arguit; & sicut Glossa Augustini dicit ad Gal. 2.* Ipse Petrus exemplum majoribus præbuit, ut sicubi forte rectum tramitem reliquissent, non dedignentur etiam a posterioribus corripi.

Consectarium Septimum.

VII. Quamvis non urgeat correctionis præceptum, quando nullus speratur profectus, imo prudentis viri sit correctionem omittere, quando majus proximi malum timetur; non tamen facile est de cujusvis etiam obdurati, & obcæcati salute desperandum, proinde frequen-

quentius peccatur correctionem fraternam omittendo. Omnes hujus Consectarii partes de se claræ sunt, atque manifestæ. Nam quod ad primam & secundam attinet, aperte eas docet S. Thom. art. 6. scribens: „ Correctionis fraternæ finis est emendatio „ delinquentis, non habens coactionem, sed „ simplicem admonitionem: & ideo ubi probabiliter existimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora „ labatur, ab hujusmodi correctione desistendum est: quia ea, quæ sunt ad finem, „ debent regulari secundum quod exigit ratio „ finis". Tertiam vero partem suadet D. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 15. „ Quia corripiendo nihil aliud agere debemus, nisi ut ab ista pace, quæ est ad Deum, „ non recedatur, vel ad eam qui recesserat „ revertatur, nos agamus sine desperatione quod „ agimus. Si filius pacis est, quem corripimus, requiescet super eum pax nostra „ sin autem ad nos revertetur ..... Proinde „ ad nos pertinet, qui prædestinatos a non „ prædestinatis discernere non valemus, & „ ob hoc omnes salvos fieri velle debemus, „ omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, „ adhibenda est a nobis medicinalis severa „ correctio, Dei autem est illis eam facere „ utilem, quos ipse præscivit, & prædestinavit conformes imagini filii sui. Si enim aliquando timore non corripimus ne „ aliquis inde pereat, aut non etiam timore corripimus ne aliquis inde plus pereat"? Quarta vero pars ex eo patet, quia ex pusillanimitate sæpissime de aliorum emendatione desperamus, & ex philautia timemus corrigere, ne proximi indignationem incurramus, vel benevolentiam amittamus, ut optime notat D. August. de Civ. Dei cap. 9. scribens: *Plerumque ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis & corripiendis male dissimulatur, vel cum eos eorum coram verecundamur offendere, vel cum eorum inimicitias devitamus, ne impediant, & noceant in istis temporalibus rebus*. Et frequentius peccant parentes, qui nimio filiorum amore, ne eos turbent, eorum vitia, & peccata dissimulant: Parochi & Pastores, qui nobiles, & potentes timent, nec audent corripere: Cœnobiorum Superiores, qui sub obtentu pacis conservandæ, ne rigidi atque agrestes videantur, & a Præfecturis ideo arceantur, subditorum delicta, legum & regularis disciplinæ violationes dissimulant cum maximo suo, subditorum, & regularis observantiæ detrimento. *Sed nec ab ejusmodi culpa* (subdit August. l. c.) *penitus alienus est qui licet Præpositus non sit, in eis tamen, quibus vita hujus necessitate conjungitur, multa monenda, vel arguenda novit & negligit, devitans eorum offensiones propter illa, quibus in hac vita non ut debuit utitur, sed plusquam debuit delectatur*. Perpendant itaque fideles, ideo rarum esse correctionum fructum, & utilitatem, quia rari sunt, qui vel hoc onus velint subire, vel præceptum sciant cum discretione, & prudentia implere.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Non est omittenda fraterna correctio, etiamsi statim non appareat profectus, sed in futurum speretur, sicut etiamsi dubia sit spes profectus, dummodo non concipiatur nocitura correctio; quæ etiam pluries est repetenda quandiu affulget spes profectus. *Solet enim fieri* (scribit S. August. epist. 210.) *& frequenter accidit, ut ad horam contristetur cum reprehenditur frater, & resistat, & contendat, & postea secum consideret in silentio, ubi nemo est nisi Deus & ipse, nec timet displicere hominibus, quia corripitur, sed* ri-

timet displicere Deo, quia non corrigitur, & deinceps non faciet illud, in quo juste reprehensus est, & quantum odit peccatum suum, tantum diligat fratrem, quem sentit hostem peccati sui. Hinc optime præmiserat: *Dissensiones nunquam debent amari, sed aliquando tamen aut a caritate nascuntur, aut caritatem probant. Quis enim facile invenitur, qui velit reprehendi; ubi est ille sapiens, de quo dictum est, corripe sapientem & amabit te? Numquid tamen non debemus reprehendere, & corrigere fratrem, ne securus tendat in mortem?* Quando vero non timetur nocitura correctio, licet fructus spes dubia sit, non esse omittendam correctionem ex eo manifeste patet, quia tunc christiano fungitur officio, & nullus est Medicus, qui ægroto medicinam non applicet, quam certo non obfuturam novit, licet non certo profuturam sciat: præterea cum in dubiis tutior pars sit eligenda, facienda est correctio, quæ fortassis utilis erit, cum ejus omissio certo certius sit inutilis futura. Repetendam vero correctionem nonnulli putant Theologi usque ad tertiam, sed non ulterius progrediendum censent. Verum quoadusque spes probabilis emendationis affulgeat, non est deserendus frater infirmus, quemadmodum non deseritur a Medico corporalis ægrotus, donec eum sanare speret & medicinas, quas utiles agnoscit, iterare non cessat. Unde Apostolus Timotheum monet: *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia.* Et revera non raro contingit, peccatores per plures annos correctionibus surdos, tamen tandem aliquando, Deo eorum corda movente resipiscere; & caritas christiana, ut inquit Apostolus, *patiens est, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Consectarium nonum.

IX. Corrigenda sunt omnia peccata, sive præterita, sive quæ timentur futura, sive ex malitia procedant, sive etiam ex ignorantia contra jus Divinum, & naturæ: blasphemantes vero sunt rigida correctione coercendi, etsi fructus spes non affulgeat, dummodo tamen ne blasphemias iterent prudenter non dubitetur. Cum finis fraternæ correctionis, ut sæpe ex D. Thoma diximus, sit spiritualis proximi utilitas, hæc medicina est adhibenda ægroto, ut ab infirmitate liberatus, ad pristinam redeat sanitatem; unde Christus dicit: *Si peccaverit in te, vade, & corripe, lucratus es fratrem tuum.* Sunt igitur corrigenda peccata etiam præterita, si emendatione non sunt abolita. Quod si frater per pœnitentiam convaluit, jam patet, non amplius necessariam esse correctionem, sicut si noveris prudenter sponte sua emendandum. Sunt etiam corrigenda peccata, quæ prudenter futura prævidentur; quia sicut graviter peccaret, qui eleemosyna non subveniret proximo in gravem, vel extremum morbum mox lapsuro, ita qui non moneret lapsurum in gravem animæ morbum, contra caritatem peccaret, non enim proximum diligeret, sicut diligendus est. Cum vero ignorantia, quæ vel jus naturæ, vel jus divinum respicit, frequentissime culpabilis, & vincibilis sit, ac proinde a peccato non excuset; duplici idcirco spirituali morbo laborant fratres tali ignorantia detenti, nimirum & ignorantia ipsa culpabili, & prava actione, in quam ob ignorantiam misere labuntur; sunt igitur ex præcepto caritatis monendi & corrigendi, præcipue si spes fructus affulgeat, imo etsi nulla sit, monendi sunt a Superioribus,

Co

Confessarius, Magistris, cum illis ex officio incumbat docere ignorantes; unde ajebat Apostolus Act. 20. *Mundus sum a sanguine omnium, non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei*: proinde subdit S. Gregor. homil. 11. *Si non annunciasset, mundus a sanguine non esset*. Quando vero ignorantia versatur circa jus ecclesiasticum, vel positivum, si nihil occurrat vel timeatur, quod supervacaneam & frustraneam reddat correctionem, nec tunc est omittenda, cum ignoratia sit semper malum proximi ipsi nocivum, ex caritate fraterna correctione avertendum. Blasphemantes vero nomen Dei esse objurgandos jubet Leo X. in Conc. Later. *Quicumque blasphemantem audierit, eum acriter verbis objurgare tenetur, si citra periculum suum id fieri posse contingat*: Hæc vero objurgatio, si profectus spes adsit, est fraterna correctio, si vero absit, adhuc non omittenda, quia actus est religionis erga Deum, cujus honor eo meliori quo fieri potest modo reparatur, quæ reparatio est actu interno Deo offerenda, quotiescumque timetur ne reprehensus blasphemias iteret. Si vero blasphemiæ sunt hæreticales, non solum corrigendi sunt, sed & denunciandi blasphematores, ut suo loco dicemus.

Consectarium Decimum.

X. Frequentius carnalia Religiosorum delicta occulta cum complice, sive intra, sive extra Religionem patrata, melius efficaciusque corriguntur per denunciationem evangelicam Superiori ut Patri, quam per fraternam correctionem: illa proinde frequentius præferenda est. Quandoquidem hi Religiosi in hujusmodi peccata vel ex fragilitate labuntur, vel ex malitia. Si ex primo capite, emendatio vix potest sperari, nisi labendi auferatur occasio, sive domestica sit sive externa, quod profecto per solam corrigentis admonitionem non obtinetur; necesse igitur est, ut Superioris auctoritate complices separentur, & ejusdem vigilantia ab exteriori occasione removeantur. Hanc rationem innuit S. Thom. quodlib. 11. art. 13. ad 3. scribens: *Si quis referat Prælato culpam proximi, intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid hujusmodi, quod ad emendationem proximi videret expedire, non peccat*: Si vero ex malitia peccet, jam nulla est probabilis spes emendationis ex correctione fraterna, cum pateat, animam sacrilegiis saginatam libidine dominante, semper in pejus ruere, & probabile periculum sit, ut peccans simulet quidem emendationem ad fratris correctionem ut denunciationem vitet, sed interim cautus & solers factus, aliorum quidem effugere notitiam curet, at in peccato perseveret. Quod si huic malitiæ accedat consuetudo peccandi, tunc vix sufficit delatio ad Superiorem ut Patrem, sed necessaria erit severa punitio, & coercitio, cum in hoc crimine assueti raro corrigantur. His addendum, plerumque hoc criminis genus infamiam summam afferre Religioni, & grave dedecus illi inurere, proinde bono communi adversari; est itaque tale crimen, omissa fraterna correctione, statim Prælato evangelica, non juridica denunciatione deferendum. Hæc quidem communiter, & frequentissime vera sunt: nihilo tamen minus si forte Religiosus in itinere violenta tentatione pertractus misere cadat, socius, cui hoc innotescit, poterit ipsum secreta monitione corripere, præsertim si sciat, non amplius ad eum locum reversurum.

CON-

Consectarium Undecimum.

XI. Quando crimen est publicum, Superiori deferendum est; non censendum tamen publicum, si duobus tantum, vel tribus innotescat. Primam partem docet Apostolus 1. ad Timoth. cap. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.* Et S. August. ea explicans verba subdit: *Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius.* Rationem addit S. Thom. art. 7. *Quia tunc non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut rectior fiat, sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur.* Nec hujusmodi de læsa fama conqueri potest, qui eam jam criminis sui notitia amissam noverit. Secunda vero pars evincitur, quia delictum duobus, vel tribus notum potest quidem in judicio probari, sed nondum publicum dici potest: & certe Christus in Evangelio dum jubet, ut duo vel tres adhibeantur testes antequam ad Ecclesiam deferatur, supponit delictum adhuc esse secretum, & posse correctione fraterna emendari; hæc est igitur denuntiationi præmittenda. *Si vero* (docet S. Thom. in 4. dist. 19 q. 2. art. 3. ad 2.) *crimen nondum in publicum devenit, sed est in via deveniendi; tunc etiam denunciandum est, ut scandalo futuro occurratur.* Et hæc de peccatis dicta sint, quæ soli nocent peccanti.

Consectarium Duodecimum.

XII. Crimina, quæ in damnum tertiæ privatæ personæ cedunt, possunt, & debent fraterna correctione reprehendi, cum tamen non qualiscumque spes emendationis affulgeat, sed firmiora habeantur emendationis argumenta: & ratio est in promptu: quia cum agatur de proximi damno, innocens reo videtur preferendus, & ut famæ nocentis consulam, securus sim oportet de incolumitate innocentis. Hinc in dubio innocenti, favendum, & saltem monendus, ut sibi caveat reticito rei nomine, quod si nec hoc ad ejus indemnitatem sufficere arbitremur, etiam detegenda persona. Plerumque enim hujusmodi scelesti, qui aliorum vitæ, vel rei temporali, vel famæ insidiantur, secreta monitione non corriguntur, sed monitores suos eludunt, ut liberius pravum suum opus consumment, & finem iniquum assequantur.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Antequam crimen occultum fratris ad Superiorem deferatur, non proficiente fraterna correctione, adhibendi sunt unus vel duo testes. Sic aperte Christus in ordine faciendæ correctionis præstituit, jubens: *Si te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos testes.* Nam inquit S. Thom. art. 8. „In correctione fraterna Dominus voluit, „quod principium esset occultum, dum „frater corriperet fratrem inter se, & ip- „sum solum. Finem autem voluit esse pu- „blicum, ut scilicet Ecclesiæ denuntiaretur. „Et ideo convenienter in medio ponitur te- „stium inductio; ut primo paucis indicetur „peccatum fratris .... ut saltem sic fine mul- „titudinis infamia emendetur". Quomodo id autem prudenter fieri oporteat, docet S. August. in Regula: *Si autem post admonitionem iterum, vel alio quoque die idipsum eum facere videritis, jam velut vulneratum sanandum prodat quicumque hoc potuerit invenire. Prius autem alteri, vel tertio est de-* mon-

monstrandum, *ut duorum*, *vel trium testium possit ore convinci*.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Non est omittenda fraterna correctio ex eo, quod speret quis ab alio faciendam. Alioquin quilibet posset se ab onere correctionis fraternæ subtrahere hac spe, & delinquens inter tot speratos correctores interim periret. Oportet igitur, quod morali certitudine constet, delinquentem ab alio corrigendum, & quidem cum spe uberioris utilitatis, quia nimirum illum agnoscis prudentem, peritum, idoneum, amicum delinquentis, proinde magis aptum; quod si vero contrarium tibi constet, non est in alterum onus, & debitum correctionis transferendum, sed a te implendum.

R E F L E X I O.

I. Conqueritur Propheta, quod *maledictum*, *& mendacium*, *& omicidium*, *& furtum*, *& adulterium inundaverunt*, *& sanguis sanguinem tetigit*, & causam exponens, cur tanta abundent inter Christianos mala, & scelera, subdit: *Conticuit populus meus eo quod non habuerit scientiam*. Ita profecto: fideles enim nesciunt, vel potius novisse negligunt, quam necessarium sit, & quam gloriosum peccata salubri, & opportuna correctione cohibere, non surda aure, & ore tacito præterire. Nonne quandoque, ut observat Origenes, *Uno peccante*, *ira super omnem populum venit*? Quare turpiter percussi in expugnatione Hai fugere coacti sunt Israelitæ semper in præliis victores, deserente eos Deo, nisi ob unius Achaz noxam, qui de anathemate Jerico nonnulla surripuerat? *Non ero ultra vobiscum*, dixit Josue Dominus. cap. 7. v. 12. *nisi conteratis eum*, *qui hujus sceleris reus est*: adeo verum est, ut subdit Salvianus, quod *laditur scelere personali causa cunctorum*, *& crimen unius hominis plaga omnium fuit*. Oh utinam aliquis Propheta David compescuisset, cum enumeratum voluit populum suum! Profecto dira trium dierum pestilentia septuaginta hominum millia non consumpsisset. Quod factum voluit Deus, ut animadvertit Augustinus in Joan. *Ut non se solum quisque tueat in populo*, *sed invicem sibi adhibeant diligentiam*, *& tamquam unius corporis*, *& unius hominis alia præ aliis sint membra sollicita*. Necessaria est igitur fraterna correctio non solum ut proximis, sed ut & nobis ipsis consulamus; non itaque fratris solius solum agitur causa, sed communis, & nostra; sicut cum vicini flagrantem domum servare curamus, non tam illius, quam nostram liberare contendimus.

II. Gloriosum quoque est, & homine christiano dignum errantem fratrem corrigere, labantem sustinere. Nam, ut monet S. Gregorius, *Cui per gratiam Dei contigerit a peccatorum vinculis eripi*, *ipse ex zelo studeat ad spem veniæ delinquentes hortari*; *nullum quippe tam gratum Deo est sacrificium*, *quam zelus animarum*. Et jure meritoque, quandoquidem nihil pretiosius anima hominis, nihil Deo acceptius, quam hominum saluti, pro quibus ipse mortuus est, studere, & cooperari. Cedunt huic divino studio cetera omnia misericordiæ opera; vincit hoc divinum opus ceterarum exercitia virtutum. *Et si immensas* (ait Chrysostomus hom. 3. in epist. 1. ad Corinth.) *pecunias pauperibus eroges*, *plus tamen effeceris*, *si unam converteris animam*. *Nam* [subdit Orat. 3. adv. Jud.) *qui dederit pauperi*, *famem solvit*, *qui peccantem correxerit*, *impietatem extinxit*, *illa corpus liberavit a dolore*, *hac animam*

mam liberavit a gehenna. Quis igitur in tam præclaro munere segnis, & tardus esse voluerit?

III. Sed si segnitiem inducant philautia, & humani timores, eam excutiat caritas erga Deum, & proximum. *Etenim* [sic nos urget D. Bernardus serm. 44. in Cant] *si amas Dominum Jesum toto corde, tota anima, tota virtute tua, nunquid si videris ejus injurias contemptumque, ferre ullatenus æqua anima poteris? Minime, sed mox arreptus spiritu judicii, & spiritu ardoris, & tanquam potens crapulatus a vino, repletus zelo Phinees dices cum David*, Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei; *& cum Domino*, Zelus domus tuæ comedit me. *Vinum est fervidissimus zelus iste expressum de batro Cypri, & calix inebrians Christi amor ..... Habeas itaque ex fraterno oleum mansuetudinis, & ex divino amore vinum æmulationis, securus accede ad sananda vulnera illius, qui incidit in latrones, piissimi Samaritani optimus imitator.*

CAPUT XVIII.

De vitiis Caritati oppositis, Scandalo, & Cooperatione ad malum.

CUM omnia peccata caritati adversentur, quippe quia vel eam omnino tollunt a cordibus hominum si lethalia sint, vel ad eam amittendam disponunt si solum venialia: hinc omnia peccata dici possunt caritati adversa, atque inimica. Verum ea præcipue, & peculiari nomine alicui directe contrariari virtuti dicuntur, quæ specifico ejus objecto opponuntur. Deus vero, & proximus sunt caritatis objecta, ille quidem primarius, hic vero secundarius, quamobrem vitia, quæ directe Deum, vel proximum oppugnant sunt directe caritati contraria. Porro hæc sic enumerat S. D. 2. 2. quæst. 34. *Odium, quod opponitur ipsi dilectioni, accidia & invidia, quæ opponuntur gaudio caritatis, discordia & schisma, quæ opponuntur paci, offensio & scandalum, quæ opponuntur beneficentiæ & correctioni fraternæ.* Verum non de omnibus hoc loco, nam de invidia, accidia, & odio superius diximus, de discordia, & schismate fortasse inferius, hic itaque solum de scandalo disputandum sumimus, cui appendicis loco, & de cooperatione ad malum alterius tractationem adjungemus sequenti capite.

DE SCANDALO.

DOCTRINA.

I. *Scandali definitio.*
II. *Duplex scandalum activum & passivum.*
III. *Scandalum passivum non est speciale peccatum.*
IV. *Aliquando tamen est cum activo conjunctum.*
V. *Ex duplici capite oriri potest scandalum passivum.*
VI. *Quantæ gravitatis sit scandalum activum.*
VII. *Quid satis sit ad crimen scandali perpetrandum.*
VIII. *S. Thomæ doctrina explicatur.*
IX. *Qui occulte peccat, scandali non semper reus est, licet perpetratum crimen detegatur. Regulæ pro praxi.*
X. *Regula prima. Scandali rei sunt, qui actiones eliciunt, quæ speciem mali habent, unde proximi oritur ruina spiritualis.*
XI. *Secunda Regula. Præcepta negativa juris naturalis nunquam violare licet metu scandali passivi.*
XII. *Tertia Regula. Opera bona spiritua-*

lia non necessaria ad salutem, sicut & præcepta juris positivi affirmantia quandoque omitti possunt ad vitandum scandalum.

XIII. *Regula quarta. Ad pusillorum scandalum removendum veritas est quandoque reticenda.*

XIV. *Regula quinta. Justitiæ opera non sunt propter scandalum relinquenda, quando jus alterius violatur.*

XV. *Sexta Regula. Actiones indifferentes sunt omittendæ ad vitandum scandalum, tum pusillorum, tum pharisaicum.*

XVI. *Regula septima. Bona temporalia, quæ in nostro non sunt constituta dominio, non sunt propter scandalum dimittenda, quæ vero sunt in nostra potestate, sunt dimittenda propter scandalum pusillorum, non vero Pharisæorum.*

I. SCANDALUM, quod græcum vocabulum est, & idem sonat, ac latine offendiculum, optime a D. Thom. 2. 2. q. 43. definitur.

Dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ.

Priora verba *dictum*, vel *factum*, externam indicant actionem, sub qua tamen continetur etiam negatio, sive omissio dicti vel facti quæ spiritualis ruinæ proximo afferat occasionem, cum juxta D. Thom. affirmatio, & negatio ad idem genus reducantur. Additur *minus rectum*, ut quisque intelligat, scandalo esse posse non solum quod in se perversum, & malum est, sed etiam quod speciem, & apparentiam offerat mali: additur denique *occasionem præbens ruinæ*, ad indicandum, necesse non esse ad crimen scandali, ut proximi ruina sequatur, sed satis esse si eidem præbeatur occasio.

II. Duplex distinguitur scandalum, aliud activum, aliud passivum. Prius directum esse potest, & indirectum, vel formale & interpretativum. Scandalum directum, & formale in actione consistit, vel verbo, quo quis vel ipsam spiritualem proximi ruinam intendit, (quod profecto diabolicum est, & vix in perditissimis hominibus locum habet) vel proximum ad peccatum impellit, & pertrahit propter aliquam vel voluptatem, vel utilitatem inde percipiendam, ut cum quis virginem, vel honestam mulierem seducere tentat, ut suam expleat libidinem, vel filium familias ad aleam invitat, ut ejus pecuniam lucretur. Indirectum vero habetur, cum quis non animo proximo spiritualiter nocendi, aliquid tamen vel operatur, vel dicit, quod in spiritualem proximi ruinam cedit, sive illud sit de se malum, & aptum ad offensionem inducendam, sive tale tantum per accidens; & hoc scandalum *datum* etiam dicitur. Ita S. Thom. in resp. ad 4. „ Dupliciter potest quis esse alteri causa peccandi, uno modo per se . . . . . quando „ aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel „ etiam si ipse hoc non intendat, ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, „ quod sit inductivum ad peccandum; puta „ cum quis publice facit peccatum, vel „ quod habet similitudinem peccati; & tunc „ ille qui hujusmodi actum facit, proprie „ dat occasionem ruinæ, unde vocatur scandalum activum.

III. Scandalum vero passivum, quod & acceptum vocatur, est ipsum proximi spirituale malum, quod incurrit proximus arrepta occasione ex alterius vel dicto, vel facto, & hoc non est speciale peccatum distinctum ab eo, quod ex data occasione perpetratur, ut optime observat S. Thom. art. 3. scribens: " Passivum scandalum non potest esse „ speciale peccatum; quia ex dicto, vel „ facto alterius aliquem ruere contingit se„ cundum quodcumque genus peccati; nec hoc „ ipsum, quod est occasionem peccandi su-

„ mere ex dicto , vel facto alterius , spe-
„ cialem rationem peccati constituit , quia
„ non importat specialem deformitatem
„ speciali virtuti oppositam .

IV. Ex ipso S. Doctore aliquando passivum scandalum est cum activo conjunctum , ut cum quis alium ad malum pertrahit , & iste consentit , ut contigit in Eva & Adamo : aliquando vero est activum sine passivo , videlicet cum quis alterum se ad malum invitantem constanter repellit, ut videre est in S. Job respectu uxoris illum ad benedicendum Deo impellentis ; aliquando vero est solum passivum sine activo , ut contingebat Pharisæis , qui scandalum patiebantur , quia Christus ægrotos sanabat in die Sabbati . Ita S. Thom. art. 1. ad 4. " Per accidens quis
„ est alteri causa peccandi , quando & præ-
„ ter intentionem operantis , & præter con-
„ ditionem operis , aliquis male dispositus
„ ex hujusmodi opere inducitur ad peccan-
„ dum , puta cum aliquis invidet bonis
„ aliorum . Et tunc ille, qui facit hujusmo-
„ di actum rectum , non dat occasionem
„ (quantum in se est) sed alius sumit oc-
„ casionem ; & ideo hoc est scandalum passi-
„ vum sine activo : quia ille qui recte agit,
„ quantum est de se , non dat occasionem
„ ruinæ , quam alter patitur . Quandoque
„ ergo contingit, quod etiam fit simul scan-
„ dalum activum in uno , & passivum in al-
„ tero , puta cum ad inductionem unius al-
„ ter peccat . Quandoque vero est scanda-
„ lum activum sine passivo, puta cum aliquis
„ verbo , vel facto alium inducit ad peccan-
„ dum , & ille non consentit .

V. Hoc tamen passivum scandalum ex duplici capite oriri potest , nimirum ex ignorantia , & imbecillitate , vel ex malitia , & passione scandalum patientis : primum dicitur scandalum pusillorum , alterum vero Pharisæorum ; hoc secundum semper est scandalum acceptum , merito proinde contemnendum , dum primum potest esse etiam datum , ac proinde , ut infra dicemus , ab illo cavendum .

VI. Scandalum activum , sive directum , sive indirectum , sive per se , sive per accidens est peccatum tantæ gravitatis , quantæ est peccatum ad quod inducuntur scandalum patientes , sive consentiant , sive rejiciant : hinc si ad lethale peccatum inducit , est & ipsum scandalum peccatum lethale ; si ad veniale , venialem quoque culpam non excedit , nisi actio ipsa per se grave peccatum esset , licet nonnisi ad veniale induceret . Ita S. Thom. art. 4. " Si scandalum activum sit
„ per se , puta cum intendit inducere alium
„ ad peccandum ; siquidem intendit induce-
„ re ad peccandum mortaliter , est peccatum
„ mortale ; & similiter si intendat inducere
„ proximum ad peccandum venialiter per ac-
„ tum peccati mortalis : si vero intendat
„ inducere proximum ad peccandum veniali-
„ ter per actum peccati venialis , est pecca-
„ tum veniale . . . . Si vero sit per accidens
„ potest esse quidem quandoque peccatum ve-
„ niale ; puta cum aliquis vel actum pec-
„ cati venialis , vel actum , qui non est
„ secundum se peccatum , sed habet aliquam
„ speciem mali , cum aliqua levi indiscre-
„ tione committit . Quandoque vero est pec-
„ catum mortale , sive quia committit actum
„ peccati mortalis , sive quia contemnit sa-
„ lutem proximi , ut si pro ea conservanda
„ non prætermittat aliquid facere, quod sibi
„ libuerit " . Ceterum scandalum ex genere suo est inter lethalia peccata connumerandum , dicente Christo , *Væ mundo a scandalis*, & *Væ illi , per quem scandalum venit* : porro væ in Scripturis maledictionem significat , quæ nonnisi mortali culpæ datur . Et passim Patres contra scandala gravissime detonant .

Au-

Audiatur D. Bernardus serm. 1. in Convers. S. Pauli: *Non tibi videtur Christus graviorem sustinere persecutionem ab eo, qui suggestione mala, exemplo pernicioso, scandali occasione ab eo pervertit animas, quas redemit, quam a Judaeo, qui sanguinem illum fudit?*

VII. Ad scandali crimen perpetrandum non est necesse, ut quis spiritualem proximi ruinam intendat ob aliquam suam voluptatem, vel utilitatem, sed satis est, si actionem eliciat de se aptam & idoneam ad ruinam spiritualem alterius, licet eam non velit, nec intendat. Ita S. Thom. ad 4. *Quando aliquis suo malo facto, vel verbo intendit alium ad peccatum inducere; vel etiam si hoc non intendat, & ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccatum; puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati: tunc ille proprie dat occasionem ruinae, unde vocatur scandalum activum.* Ratioque est manifesta, quandoquidem scandalum ex actione, vel dicto exteriore oritur de se ipso ad ruinam spiritualem inducendam; parum itaque refert, sive intendas, & velis eamdem ruinam explicite, cum ex ipso opere constet, te eam velle saltem implicite, quippe quia ponis id, ex quo vel praevides, vel praevidere potes, & teneris secuturum spirituale damnum proximi. Sic qui rem sacram furatur, vel cum aliena conjuge peccat, licet non intendat nec Religioni, nec marito injuriam facere, non per hoc a sacrilegio excusatur, vel adulterio.

VIII. Nec adversatur D. Thom. quando art. 3. in corp. docet: " Scandalum per accidens, quando est praeter intentionem agentis; ut puta cum aliquis facto suo, vel verbo inordinato, non intendit alteri dare occasionem ruinae, sed solum suae satisfacere voluntati; & sic etiam scandalum activum non est speciale peccatum, quia quod est per accidens, non constituit speciem. Per se autem est activum scandalum, quando aliquis suo inordinato dicto, vel facto intendit alium trahere ad peccatum: & sic ex intentione specialis finis sortitur rationem peccati specialis. *Et in resp. ad 3.* Scandalum non habet rationem specialis peccati ex praedicta circumstantia (*nimirum quod sit coram aliis perpetratum*) sed ex intentione finis ". Nam hic supponit S. Doctor, quod una ex parte actio non sit de se apta ad pertrahendum ad peccatum, licet mala, & ex alia qui operatur, nec directe, nec indirecte velit ruinam proximi. Nam, ut supra ostendimus, S. Doct. peccatum scandali ex duplici capite desumit, nimirum ex prava intentione, *quando aliquis* [en ejus verba] *suo malo dicto, vel facto intendit alium ad peccandum inducere*, & ex ipso opere sive facto subdens: *Vel etiamsi hoc ipse non intendat, ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum.* Hic igitur supponit, factum illud non esse de se inductivum ad peccatum, nec operantem, spirituale malum proximi nec actualiter, nec virtualiter, nec interpretative velle.

IX. Si quis omnem adhiberet diligentiam, ne suum peccatum in aliorum notitiam veniret ad evitandum scandalum, licet postea detegeretur, non ipsi foret peccatum scandali adscribendum, nisi actio talis esset naturae, & indolis, quae occultari omnino non posset, sed in lucem venire oporteret, ut " contingit in virgine seducta, quae & crimen suum occulte perpetrat, & celare etiam tentat, sed ex partu postea emerger necesse est. Ratio est, quia scandalum tunc esset per accidens omnino, nec volitum ex parte operantis, crimen suum occultantis, nec ex parte ipsius operis, quae talis est, ut perpetuis tenebris potuerit celari. His positis, nonnullae statuuntur Regulae pro praxi.

Regula Prima.

X. Scandali rei sunt, qui actiones eliciunt, quæ speciem mali habent, unde proximi ruina spiritualis oritur. Ita insinuat S. Doctor, dum in scandali definitione posuit, dictum, vel factum *minus rectum* (non dixit aperte malum) quia cum scandalum ex exteriore opere, vel dicto oriatur, satis est si ista speciem mali præferant, quæ apta sit ad spiritualem proximi ruinam inducendam, ut docet in 4. dist. 38. q. 2. a. 2. quæstiuncula 3. *Actus, quo aliquis scandalizat, quandoque est veniale, quandoque mortale peccatum, nisi forte esset indifferens, habens similitudinem peccati mortalis, eum ex aliquibus circumstantiis concurrentibus existimari probabiliter posset, quod infirmi aspicientes peccarent mortaliter.* Jure itaque & merito Apostolus Corinthios reprehendebat, qui in Idolio recumbentes idolothyta comedebant, quod licet in se malum non esset, speciem mali præferebat, unde infirmi scandalum patiebantur, sic scribens cap. 8. v. 9. *Videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem; nonne conscientia ejus infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Et pari pacto Sanctus Senex Eleazarus, carnes quas comedere licebat, sumere noluit in ea circumstantia, in qua speciem mali præferebat, quia credi poterat, se suillas carnes vetitas manducasse, unde fortiter respondit Mach. l. 2. c. 6. v. 23. *Præmitti se velle in infernum: non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum.* Et hic locum habet præceptum Apostoli ad Thessal. 1. c. 5. v. 22. *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Regula Secunda.

XI. Præcepta negativa juris naturalis nunquam violare licet metu scandali passivi, sicut nec ab operibus ad salutem necessariis abstinere, aut peccato veniali illud impedire. Primam partem docet S. Th. hic q. 43. a. 7. ad 3. *Cum homo ex ordine caritatis se plusquam proximum in spiritualibus diligere teneatur, nullo modo aliquis peccare debet ut peccatum alterius vitet.* Porro qui negativa juris naturalis præcepta violat, peccat, cum illa obligent semper & pro semper; sicut & qui omittit necessaria ad æternam salutem, cum hæc quoque sint in præcepto; unde subdit D. Th. ibi: *Quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum.* Hine non licet mentiri, furari, innocentem opprimere ob quodcumque vitandum scandalum. Secundam vero partem docet, & probat in 4. dist. 38. q. 2. a. 4. quæstiuncula 3. ad 2. *Homo peccatum veniale committere, ne alius peccet mortaliter, non tenetur, nec bene facit committendo; quia ad vitandum aliquod peccatum non inclinamur principaliter ex damno proprio [quia hoc esset desistere a peccato timore pœnæ]; sed inclinamur ne Deum offendamus, cujus offensa est etiam veniale peccatum, quamvis non ita magna, sicut peccatum mortale. Nullus autem debet Deum offendere parum, ne alius offendat multum: Quia homo debet in infinitum plus diligere Deum, quam proximum: & ideo nullus debet facere peccatum veniale ad vitandum scandalum . . . Contingit tamen aliquem actum ex tali causa factum non esse peccatum veniale, quod alias veniale esset, sicut dicere verbum otiosum; jam enim non esset otiosum, cum non careret causa piæ utilitatis.*

RE-

REGULA TERTIA.

XII. Opera bona spiritualia, sicut & præcepta affirmantia juris positivi quandoque omitti possunt ad vitandum scandalum. Ratio est manifesta, quia cum præceptum de scandalo vitando sit juris naturalis, & negativum, præferri debet præceptis affirmativis, quæ non obligant semper, & in omni circumstantia. Sic omittere possum & debeo correctionem fraternam, quotiescumque probabiliter puto, fratrem peccantem ex correctione in pejora lapsurum, dummodo tamen hujusmodi scandalum non pharisaicum sit, sed pusillorum. Ita docet S. Thom. loc. mox cit. q. 2. a. 4. quæstiuncula 2. *Scandalum passivum quandoque oritur ex malitia odientium veritatem, qui turbantur, & alios turbant propter opera lucis, quasi filii tenebrarum; & hoc est scandalum Pharisæorum . . . . & propter hoc scandalum passivum nullo modo consilia sunt dimittenda; quia sic iniquis daretur locus impediendi opera perfectionis cum vellent. Unde Dominus dixit de Pharisæis*, Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. *Quandoque vero oritur ex ignorantia, & infirmitate; & hoc dicitur scandalum pusillorum, qui non cognoscunt veritatem, & propter hoc de operibus veritatis turbantur; & hoc scandalum cavit Dominus Matth. 17. ubi dixit Petro*; Ut autem non scandalizemus eos &c. *Et cavere docuit Matth. 18. Unde propter tale scandalum passivum consilia sunt ad tempus intermittenda, vel occulte agenda, non autem omnino dimittenda, quia homo plus sibi quam proximis in spiritualibus providere debet; & ignorantia si diu duret, in malitiam per obstinationem commutatur. Tamen attendenda est quantitas scandali, & boni quod contingit ex consilio servato; & secundum hoc aliquando consilia sunt prætermittenda propter scandalum pusillorum, vel scandalum contemnendum propter consilia.*

REGULA QUARTA.

XIII. Ad pusillorum removendum scandalum veritas est quandoque retinenda, dummodo tamen nullum ipsi veritati detrimentum inferatur. Cujus regulæ ratio est, quia cum ex una parte non semper urgeat præceptum de veritate dicenda, nec semper expediat eam dicere; unde & Christus dicebat Apostolis Joan. 16. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*: & docere veritatem sit opus misericordiæ spiritualis, & sicut aliquando licet non dare eleemosynam corporalem pauperi, quia sit abusurus, ita nec spiritualem hanc eleemosynam tribuere, quando ea vel inutilis prævidetur, vel noxia. Ex alia vero parte si ex silentio veritas ipsa detrimentum patiatur, quia error invalescit vel contra fidem, vel contra mores, tacere non licet propter scandalum pusillorum. Ita S. Thom. loc. cit. q. 2. a. 4. ad 3. "Duo sunt „ consideranda: actus scilicet docentis, & res „ quæ docetur. Actus autem docentis per„ tinet ad veritatem vitæ, sicut & alius „ actus misericordiæ: quia doctrina est eleemo„ syna spiritualis .. .. Unde de eo idem est „ judicium, ac de aliis actibus misericor„ diæ, qui aliquando propter scandalum „ differri possunt. Sed res ipsa quæ docetur, „ pertinet ad veritatem doctrinæ; nec ve„ ritas doctrinæ prætermittitur, quando „ aliqua res vera tacetur, sed quando illius „ rei veritati præjudicium generatur sive ex „ contraria doctrina, sive ex taciturnitate „ aliquorum: & sic propter nullum scanda„ lum est veritas relinquenda ". Hanc regulam didicerat Doctor Ang. ex S. Gregorio, Magno hom. 7. in Ezechiel. docente: " Ec„ ce magistra veritas, ne in quorundam cor„ dibus generetur scandalum, quod non de„ buit tributum dedit. Et rursum, quia „ scandalum in quorumdam cordibus generari „ contra veritatem vidit, in suo eos

d I2

„ dalo permanere permisit . Ex qua re nobis „ considerandum est, quia in quantum sine „ peccato possumus, vitare proximorum „ scandalum debemus. Si autem de veritate „ scandalum sumitur utilius nasci permitti- „ tur scandalum, quam quod veritas relin- „ quatur ".

REGULA QUINTA.

XIV. Justitiæ opera non sunt propter scandalum relinquenda, quando jus alterius „ violatur; omitti tamen possunt quæ in „ scandalum communitatis vergunt. Hanc re- „ gulam & docet, & explicat S. Thom. loc. cit. in resp. ad 5. " Justitiæ actus est redde- „ re unicuique quod suum est. Dupliciter „ autem redditur unicuique quod suum est. „ Uno modo quando datur ei quod sibi di- „ recte utile est, ut pecunia, vel argentum, „ vel aliquid hujusmodi, quod sibi sine pec- „ cato denegari non potest; Unde quantum- „ cumque scandalum debeat sequi, judex „ debet facere, quod jus suum isti reddatur. „ Alio modo quando opus justitiæ . . . . non „ directe cadit in bonum petentis, sed ma- „ gis in bonum Reipublicæ, sicut patet in „ illatione pœnarum, quibus pax in Repu- „ blica conservatur malefactoribus repressis: „ Unde si judex, qui curam Reipublicæ ge- „ rit, videat ex inflictione pœnæ majus in- „ commodum Reipublicæ provenire, potest „ pœnam vel prætermittere, vel mittigare: „ Nec alicui in hoc facit injuriam; quia ip- „ se Reipublicæ personam gerit; Et hoc etiam „ facere debet, quia ex officio tenetur uti- „ litati publicæ providere. Hoc autem con- „ tingit præcipue, quando Princeps, vel „ aliqua multitudo est in causa, aut aliquis, „ de cujus pœna timetur ne schisma sequa- „ tur; & ideo dicit Augustinus, quod cum „ multitudine peccantium agendum est po- „ tius monendo quam minando: sed seve- „ ritas exercenda est in peccata paucorum. „ Sed hoc intelligendum est, quando ex „ dissimulatione peccati Principis, vel etiam „ multitudinis majus periculum non time- „ tur quam ex pœna. Unde si ex impuri- „ tate Principis, aut multitudinis, fides, & „ doctrinæ veritas, & boni mores corrum- „ pantur, non parcendum est Principi, nec „ multitudini; quod contingit præcipue, „ quando peccantes peccatum suum auctorita- „ te, aut potestate defendere moliuntur.

REGULA SEXTA.

XV. Actiones indifferentes sunt omittendæ ad vitandum scandalum tam pusillorum quam Pharisæorum, quando sine gravi incommodo queunt omitti. Ratio hujus regulæ est manifesta, quandoquidem scandalum passivum est semper peccatum proximi, sive ex ignorantia, sive ex malitia sequatur. Caritas ergo jubet, ut hocce peccatum, quantum in nobis est, a proximo avertamus; avertere autem possumus, & quidem facile ab illa actione indifferenti, quæ nec nostram, nec aliorum spectat utilitatem abstinendo, & quam cum levissimo damno omittere possumus. Sic mulier tenetur vel non exire domo, vel ad fenestram non accedere, si noverit adesse in via, qui ex ejus aspectu in turpem amorem exarsurus sit, præcipue quando nulla urget necessitas, nec extat justa causa domo exeundi, vel per fenestram prospiciendi. Sic qui noverit alium consuevisse vel in maledictiones, vel in blasphemias prorumpere, si quædam sibi molesta audiat, ab illis proferendis sub lethali peccato abstinendum est. Si vero gravis & justa urgeat causa etiam quæ indifferentia sunt agendi, tunc contemnendum est scandalum Pharisæorum, cum illud ex ejus sola malitia proficiscatur; avertendum vero scandalum pusillorum, rationem reddendo suæ actionis, cui

cui si acquiescat, tollitur scandalum, si non acquiescat, jam in scandalum degenerat pharisaicum: & ratio est, quia præceptum de avertendo malum a proximo est affirmativum, quod non semper obligat, sed pro loco, tempore, & circumstantiis; si ergo justa, & urgens causa adsit agendi & operandi etiam quæ mihi libera sunt, & indifferentia, possum mea uti libertate, de proximi passivo scandalo nihil sollicitus, sic necessitate pressus possum mutuum petere ab illo, quem scio nonnisi sub usura daturum. At caritas christiana postulat, ut major habeatur & urgentior causa ad scandalum pusillorum contemnendum, quam Pharisæorum.

REGULA SEPTIMA.

XVI. Bona temporalia, quæ in nostro non sunt constituta dominio, non sunt propter scandalum dimittenda, quæ vero in nostra sunt potestate, dimittenda sunt propter scandalum pusillorum, non autem Pharisæorum. Hanc regulam & statuit, & declarat S. Th. hic q. 43. a. 8. docens: " Temporalia bona aut sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro aliis commissa; sicut bona Ecclesiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuscumque Reipublicæ rectoribus: & talium conservatio, sicut & depositorum, imminet his quibus sunt commissa ex necessitate: & ideo non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec alia, quæ sunt de necessitate salutis. Temporalia autem bona, quorum nos sumus domini, dimittere, ea tribuendo, si penes nos ea habeamus, vel non repetendo, si apud alios sint, propter scandalum, quandoque quidem debemus, quandoque autem non. Si enim scandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod, ut supra diximus, est scandalum pusillorum, tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter est sedandum scandalum, scilicet per aliquam admonitionem . . . Aliquando vero scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Pharisæorum, & propter eos, qui sic scandalum concitant, non sunt temporalia dimittenda; quia hoc & noceret bono communi (daretur enim malis rapiendi occasio) & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent ". Hanc regulam suo firmavit exemplo Gentium Doctor, qui licet, ut ipse scribit 1. ad Corinth. 9. Christus ordinaverit, qui *Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere, & qui spiritualia seminant, carnalia metant*; ipse nihilominus *non est usus hac potestate, ne quod offendiculum daret Evangelio Christi*, sed cum apud Corinthios esset, ut subdit Epist. 2. ca. 11. *& egeret, nulli onerosus fuit, & in omnibus sine onere se illis servavit*.

CAPUT XIX.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Scandalum & quidem gravissimum inferunt, qui nudas feminas, vel turpes actus, & congressus pingunt, & qui hasce picturas etiam tectas domi servant*.

II. *Peccat peccato scandali Pictor, qui concubinæ imaginem pingit amasio*.

III. *Peccant peccato scandali activi Religiosi præsertim Regulares, qui jocosa & æquivoca verba coram mulieribus ac puellis proferunt*.

IV. *Peccant scandali peccato qui paratum ad gravius scelus committendum ad minus hortantur*.

V. *Non licet determinato ad furandum pauperi suadere, ut furetur diviti*.

VI. *Immo nec paratum ad duo perpetranda scelera alterum altero gravius hortari & mo-*

monere ad minus grave committendum .

VII. *Non raro Superiores & Prælati peccant , qui Religiosos alicujus dignitatis vel gradus non corrigunt , aut reprehendunt ob metum scandali .*

VIII. *Scandali peccato polluuntur juvenes , qui cum puellis frequenter seorsum & clanculum alloquuntur , rident , ludunt .*

IX. *Sicut & scandali peccato maculantur Clerici & Religiosi , qui contubernales habent mulieres adolescentulas , vel qui illarum domos frequentant , munuscula mittunt & recipiunt , & similia præstant .*

X. *Uxor jejunium ab Ecclesia præceptum violare non debet ob mariti scandalum , potest tamen , & quandoque debet quod ex devotione assumpsit .*

XI. *Licet Missam in die festo omittere , si sciat graves discordias & rixas in familia ex tua absentia exorituras , vel aliud grave scandalum velis præcavere .*

XII. *Non tenetur , nec debet mulier abstinere ab audiendo Sacro in die festo , quia noverit ab impudico viro inhoneste aspiciendam , & turpi affectu concupiscendam .*

XIII. *Peccat peccato scandali mulier , quæ se turpiter amandam novit ab aliquo , si extra domum exeat , nisi justa illi sit vel necessitatis vel utilitatis causa exeundi .*

XIV. *Scandali peccatum perpetrant mulieres , quæ conviviis , choreis , publicis spectaculis , vel conversationibus intersunt , in quibus probe sciunt ab aliquibus inhoneste amandas , & turpiter delectandas , quando ab illis se abstinere queunt sine nota & graviinco modo .*

XV. *Qui furatur alio inspectante , a quo se prævidet imitandum in furto , non solum scandali reus est , sed ad restitutionem tenetur .*

XVI. *Peccat peccato scandali maritus , qui uxori occasionem præbet adulterandi , ut eam in crimine deprehendat , sicut Domini & Parentes , qui servis & filiis ansam furandi præbent , ut in delicto deprehensos coerceant & emendant .*

XVII. *Sicut & Superiores , & Procuratores Ecclesiastici , si suos debitores præsertim pauperes ad solvendos census , reditus , debita nimium urgent , & vexant .*

XVIII. *Ad peccati scandalum vitandum tenentur Superiores Ecclesiastici abrenunciare hæreditati Ecclesiæ suæ vel Monasterio relictæ cum detrimento uxorum , filiorum , aliorumque consanguineorum pauperum , & egentium .*

XIX. *Scandali rei non sunt , qui peccant coram illis , quos prævident scandalum non passuros .*

XX. *Peccant lethaliter , qui aliquos deliros vel semifatuos conviciis , scommatibus , aliisque vexationibus ita fatigant , ut eos ad blasphemias , imprecationes , gravesque contumelias provocent .*

XXI. *Sive scandalum directum fuerit , sive indirectum , tenetur qui scandalum dedit in confessione aperire tum peccati speciem , tum personarum qualitatem & numerum .*

PLURIBUS hic locus esset consectariis de vestitu , ornatu , nuditate mulierum , de sermonibus , colloquiis obscœnis , de vestitu muliebri ab hominibus , & virili a feminis assumpto , nec non de mimis & histrionibus . Sed vide quæ diximus in dissert. 4. de Virtutibus Moralibus capitibus 6. & 7. Proinde hæc addimus .

Consectarium Primum .

I. Scandalum activum , & quidem gravissimum inferunt , qui nudas feminas , vel turpes actus & congressus pingunt , & qui hasce picturas etiam tectas domi servant . Prima pars hujus assertionis satis est manifesta : hujusmodi enim obscœnæ imagines quam maxime ad libidinem excitant , & impellunt ,

pro-

proinde eas pingentes gravissimam præparant animabus ruinam. Nec audiendi sunt recentiores Theologi & Casuistæ Tamburinus, Sporerius, aliique, qui docent Pictoribus aliquando licere, semel scilicet aut iterum, hæc obscœna pingere, ut sibi necessaria ad victum & vestitum lucrentur. Quod enim de se malum est, & scandali plenum, nulla potest necessitate excusari: &, ut optime docet S. Th. 2. 2. q. 169. a. 2. ad 4. *Si quæ ars est ad facienda aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote directe præbentes aliis occasionem peccandi*. Sicut & Salmanticensium rejicienda opinio, qua docent, quod *si non sint totaliter nudæ, & aliæ pudenda occultentur, non erit lethale ad artis ostensionem eas pingere, aut sculpere, & ad ostentationem, & ornatum conservare*; quia, ut optime observat Clarif. Vir Daniel Concina dissert 9. de scandalo: *Non raro plus movet imago tectis, quam retectis pudendis, nam nuditas illa stomachum commovere solet, & indignationem, utpote pudori naturali adversa. Dum enim cetera membra nuda sunt, & exquisito artificio expressa, indeque spectatores alliciuntur, oculorum aciem attente defigunt, per universum corpus discurrunt, usque dum ad pudenda perveniunt: tunc enim in tegumento illo oculorum cursum sistunt, & quod arcanum est, mente scrutantur*. At hæc, inquies, malitia est aspicientis, non picturæ. Verum amabo. Nonne hæc finguntur, ut in ipsis artificis peritia, penicilli mirabiles ductus, nativa membrorum forma admirationem excitent, artis virtutem & excellentiam ostendent? Porro hæc sine attenta contemplatione non percipiuntur, attenta autem contemplatio in homine fragili, & ad concupiscentiam prono quid excitare potest? Eliminandæ igitur hujusmodi picturæ, & licet pretiosissimæ vel igne comburendæ, vel ita tegendæ etiam cum maximo suæ pretiositatis detrimento, ut omnis penitus tollatur impudicitia, nam eas tectas conservare non tollit, licet fortassis minuat periculum; & plus ratio habenda est unius animæ Christi sanguine redemptæ, quam pretiosæ cujusve imaginis vel figuræ. Nullam ergo, rogabis, in imaginibus nuditatem permittes? Non aliam profecto, nisi quam in pudicis feminis vivis honesta & christiana consuetudo permittit.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Peccat peccato scandali Pictor, qui concubinæ imaginem pingit amasio, a quo scit turpiter contemplandam, licet nulla sit in ea immodesta nuditas. Ratio est manifesta, quia materiam suppeditat fovendæ libidinis, & in turpes delectationes prolabendi, ad hoc enim imaginem illam peti certo novit, quod profecto de se malum est; & licet feminam pingere de se indifferens sit, in iis tamen circumstantiis adeo malum evadit, ut nullo modo liceat etiam cum gravissimo damno.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Peccant peccato scandali activi Religiosi, præsertim Regulares, qui jocosa & æquivoca verba coram mulieribus & puellis proferunt, licet fortassis in se nonnisi venialia sint; quia hujusmodi facile occasionem accipiunt ruinæ spiritualis audientes Religiosos castitatem profitentes ab istis non abhorrere: unde hæc sibi licita putant, & præterea quo major est personæ dignitas, & erga illos reverentia, tanto efficacius moventur ad eorum imitationem, &, ut verbis utar D. Cypriani epist. 2. ad Donatum: *Fiunt miseris religiosa delicta*. Optime itaque monet S. Bernardus, quod *Nugæ in ore secularium nugæ sunt, in ore Sacerdotum blasphemiæ*.

Consectarium quartum.

IV. Peccant peccato scandali activi, qui paratum ad gravius scelus committendum ad minus hortatur, ut si quis fratri adulterium, vel stuprum meditanti, & jam ad committendum firmiter parato, potius simplicem suadeat fornicationem. Nam hæc suasio pro objecto suo habet quod de se malum est, & sine peccato perpetrari non potest; causa est igitur qui suadet hujus perpetrati facinoris. Nec excusat quod majus malum avertas, quandoquidem non sunt facienda mala, ut eveniant bona, sicut mentiri non licet ad avertendam totius mundi damnationem æternam; ergo nec minus malum suadere, ut majus impedias.

Consectarium quintum.

V. Pari ratione non licet determinato ad furandum Petro pauperi suadere, ut furetur Paulo diviti, quia & vere quod peccatum est suades, & innocenti injuriam infers: proinde si tuo acquiescat consilio, nedum peccas, sed & ad restitutionem teneris.

Consectarium Sextum.

VI. Immo nec paratum ad duo perpetranda scelera, alterum altero gravius, puta ad furtum, & homicidium, horrari & movere potest ad solum furtum committendum, quia licer hujus hortationis objectum non videatur malum, scilicet furtum, ad quod jam paratum, & determinatum hominem supponimus, sed bonum, idest privationem majoris mali, nihilominus semper quod suades, quod hortaris est malum, & jam dispositum ad illud perpetrandum in sua opinione confirmas saltem, & roboras. Nec dicas ex duobus malis, quod minus est eligendum, videlicet cum furtum &. homicidium simul impedire non valeam, licet perpetranti quidem liberum sit ab utroque abstinere, mihi tamen, qui utramque non valeo impedire, necessarium evadit, ut unum suadeam, ut ab alio pejore, & deteriore removeam. Non, inquam, hoc dicas, quia mera est hallucinatio. Sicut enim illi liberum est ab utroque abstinere, ita liberum tibi ad alterum horrari, & ab altero absterrere; debes itaque ita ab homicidio deterrere precibus, hortationibus, argumentis, ut nullo tamen modo furtum vel consulas, vel suadeas, sed ad illum ita negative te habeas, ut tantummodo impedire non valens ægre feras, & permittas.

Consectarium Septimum.

VII. Non raro Superiores, & Prælati peccant, qui Religiosos alicujus gradus, & dignitatis non corrigunt nec reprehendunt ob timorem scandali. Nam frequenter hujusmodi timor effectus est pusillanimitatis in Superioribus, qui peccata quidem, quæ in solius peccantis detrimentum cedunt, dissimulare quandoque possunt, at quæ in detrimentum redundant Communitatis, & regularis disciplinæ, nequeunt præterire, memores divini consilii Eccles. 7. v. 6. *Noli fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere in iniquitatem*: proinde si quod inde sequatur scandalum, contemnendum est. Nec dignitatis & gradus Religiosi peccantis habenda ratio, nam quanto majore præstant gradu, & dignitate, tanto majorem adjiciunt vitiis, & defectibus pondus, & auctoritatem, & inferioribus ad delinquendum operibus factisque animum adjiciunt. Sunt igitur hujusmodi publici ecclesiasticæ disciplinæ, & regularium legum violatores fortiter coercendi.

Consectarium Octavum.

VIII. Scandali peccato polluuntur juvenes, qui cum puellis frequenter seorsum, & clanculum

culum colloquuntur, rident, ludunt, licet nulla sit prava intentio, nec actio intercedat criminosa. Quamobrem iste agendi modus gravem ingerit, nec improbabilem, de inhonesto, & illicito amore suspicionem, aliosque ad hujusmodi alliciunt, & pertrahunt, unde maxima oritur animarum spiritualis ruina.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Multoque magis scandali peccato maculantur Clerici, & Religiosi, qui contubernales habent mulieres adolescentulas nullo sibi vel consanguinitatis, vel affinitatis nomine junctas, vel illorum domos frequentant, munuscula mittunt, & recipiunt, & similia praestant; quippe quia haec religiosum, & clericalem statum dedecentia inhonestae consuetudinis, & illiciti amoris non levem ingerunt suspicionem. Nec sibi blandiantur de recta intentione, & de conscientia non remordente, sed Hieronymum audiant sic eos redarguentem epist. de suspecto vitando contubernio. *Quod si dixeris, mihi sufficit conscientia mea, habeo Dominum judicem, qui meae vitae testis est, non curo quid loquuntur homines, audi Apostolum scribentem*: Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Legant D. Basilii epistolam 55. ad Paregorium Presbyterum scribentis: *Vita caelebs in eo honestatem habet, ut a convictu mulieris separetur .... Neque virum septuaginta annos natum existimo libidinose habitare cum muliere: nec quod turpe aliquod facinus fuisset admissum .... sed quod ab Apostolo didicimus, offendiculum fratri non ponere ad scandalum. Scimus autem quod a nonnullis recte geritur, aliis occasionem esse peccandi.*

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Mulier jejunium ab Ecclesia praeceptum violare non debet ob mariti scandalum, potest tamen, imo & quandoque debet, quod ex devotione assumpsit, omittere. Primae partis ratio est manifesta, quia mariti scandalum, qui graviter offenditur, & rixas ac discordias excitat ob servatum ecclesiasticum jejunium, plene pharisaicum est, & ex pura progrediens malitia, contemnendum proinde. Quod si etiam pusillorum scandalum supponere velis, & ex infirmitate ortum, illud est reddita ratione tollendum, cui si acquiescat maritus, cessabit profecto, ni acquiescat in pharisaicum vertetur; proinde D. Thom. doctrina servanda docentis q. 43. art. 7. *Si reddita ratione hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse; & sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera* (licet non sint de necessitate salutis) *omittenda*. Ratio vero secundae partis ex eo elucet, quia cum jejunare liberum sit, ut supponimus, & proximi offensionem, & scandalum avertere sit in praecepto, hoc est illi praeferendum, praesertim cum vir caput sit mulieris, & mulier illi tenetur parere in iis, quae ad communem convictum, & contubernium pertinent. Excipiendus tamen casus non infrequens, quod mulier vel praegnans, vel lactans cum gravi suo, & prolis detrimento integrum quadragesimale jejunium servare extremo scrupulo velit, quod detrimentum optime advertens prudens maritus, & avertere volens cum uxore conqueritur, & rixatur, tunc enim conjux non scandalum patitur, sed prudenter postulat quod ab uxore jam a jejunii lege justa causa soluta praestandum est, illi proinde uxor acquiescere, & parere debet, maxime si virum sciat esse conscientiae Deum, & Ecclesiam reverentis.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Licet mulieri abstinere ab audiendo Sacro in die festo, si praesciat graves discor-

dias, & rixas in familia ex sua absentia exorituras, vel grave alicujus damnum, quod inferendum prudenter existimat, velit præcavere. Ratio ea est, quia præceptum de scandalo avertendo, & de gravi proximi damno impediendo cum juris sit naturalis, præcedere debet præcepto positivo, quod in his casibus urgere non supponitur. Dummodo tamen rixæ non in eum finem excitatæ credantur, ut Sacri auditio, impediatur: tunc enim scandalum plane pharisaicum est, contemnendum, & Ecclesiæ præcepto parendum.

Consectarium Duodecimum.

XII. Non tenetur, nec debet mulier abstinere ab audiendo Sacro in die festo, & domi se continere, quia noverit se ab impudico viro inhoneste aspiciendam, & turpi affectu concupiscendam. Hoc enim scandalum plane est pharisaicum; unde enim novisse potest hæc mulier se turpiter amari, & concupisci a perdito isto viro? Profecto non aliunde, nisi quia inhonestum suum amorem, & turpem concupiscentiam aliquo modo manifestavit; obstinatam igitur in ipso agnoscit malitiam, & pravitatem, non ignorantiam, & infirmitatem; scandalum ergo ejus novit non esse pusillorum, & infirmorum, sed fore pharisaicum, propterea contemnendum.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Peccat peccato scandali, & quidem lethali mulier, quæ se turpiter amandam novit ab aliquo juvene, si extra domum exeat, nisi justa illi adsit vel necessitatis, vel utilitatis causa exeundi. Ita docet S. Antoninus part. 2. tit. 7. q. 4. *Mortale autem* [scandali peccatum perpetrat) *cum committit actum peccati mortalis aliis manifestum, sive etiam quia contemnit salutem proximi, ut pro ea conservanda non prætermittat aliquid facere, quod sibi libuerit, quantumcumque quis scandalizetur . . . . Sicut si mulier perpendens, vel timens ex signis aliquem trahi ad concupiscentiam sui extra matrimonium, offerat se indifferenter aspectui illius, non intendens ex hoc illum inducere ad concupiscentiam suam, sed nec etiam de hoc curans, sed volens satisfacere voluntati suæ, seu levitati discurrendi per loca, vel morandi ad ostium domus, vel ad fenestras ex quadam vanitate, vel curiositate, ut laudetur de pulchritudine, mortale esset. Secus autem si hoc non æstimaret, vel non bene posset illa dimittere, ut quia oportet ire ad Ecclesiam, vel ad alia loca, & aliquando cum vicinis morari in via, ne reddat se aliis onerosam, & de ea displicentiam habeant.* In hac S. Archipræsulis doctrina, continetur ratio positi corollarii, quia nimirum tenemur impedire ex caritate malum spirituale proximi, licet ex ejus malitia proveniens, quando id possumus sine ullo, vel solum cum levi nostro incommodo. Habetur etiam quod justa ratio contemnendi salutem proximi esse non potest solus usus nostræ libertatis, & ut nostræ obsecundemus voluntati, voluntas siquidem nostra subjici debet & dirigi a lege caritatis. Rejicienda igitur tanquam falsa & laxa doctrina Dianæ, aliorumque recentium Casuistarum, quos citant Salmanticenses, quæ docet: *Ut licite mulier possit se hominum conspectui offerre, necesse est aliquam intervenire utilitatem, saltem se non privandi propria libertate, & jure exeundi domo, vel standi ad fenestram; semper enim et erit licitum offerre se decenter ornatam hominum conspectui. Immo addunt citati Auctores, quod si ornatus esset superfluus, non peccaret mortaliter, sed venialiter; quia tot sunt mulieres superflue se ornantes, ut vix de ulla possit affirmari, occasionem peccandi hominibus tribuere.* Profecto nihil adversum magis doctrinæ traditæ in Sacra Scriptura Eccl.

9. v.

9. v. 8. *Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam, propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.*

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Scandali peccatum perpetrant mulieres, quæ conviviis, choreis, publicis spectaculis, ac conversationibus intersunt, in quibus probe sciunt ab aliquibus inhoneste amandas, & turpiter desiderandas, licet nullum in particulari valeant designare, quando ab illis se abstinere sine nota, & gravi incommodo possunt. Ratio est, quia cum scandalum istud sit pusillorum, & infirmorum, qui facile a concupiscentia pertrahuntur, caritas christiana urget, ut lethalis peccati periculum proximum ab illis avertat. Si enim, ut etiam benigniores docent Theologi, mulier tenetur se subducere aspectui determinati viri, si noverit se ab illo perverse amari, cum tamen illud scandalum jam ipsi constet esse pharisaicum, utpote procedens a malitia ipsi jam manifestata, quanto magis conspectui illorum virorum, quos noverit non ex præmeditata malitia, sed ex fragilitate, & infirmitate in turpem sui amorem exarsuros? Præsertim cum, ut diximus, ab istis spectaculis, conviviis, & choreis se facile valeat subducere, nec ad illa accedat nisi amore libertatis, & solius vanitatis gratia. Verum quando id dignoscere poterit mulier? Profecto ex circumstantiis, nimirum si adfuturos prænoverit juvenes, vel homines deditos voluptatibus, lingua falaces, oculis protervos, amoribus irretitos; tunc enim, nisi congrua, & honesta adsit causa, ab hujusmodi frequentia, conviviis, & choreis se debet subducere; alioquin juxta S. Antoninum *committit actum peccati mortalis, quia contemnit salutem proximi dum pro ea conservanda non prætermittit facere quod sibi libuerit.*

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Qui furatur alio inspectante, a quo se prævidet imitandum in furto, non solum scandali reus est, sed & ad restitutionem tenetur. Dissentit quidem ab hac opinione Cl. Vir Daniel Concina quoad eam partem, quæ illum obnoxium restitutioni reddit [de peccato enim scandali quis ambigit?] & cum illo sentiunt plurimi Theologi, inter quos & Doctor Gallus Volpelerius; verum eorum argumenta non tanta mihi videntur, ut animum movere possint ad assensum, dum e contra quæ pro posito corollario militant, mihi invicta apparent. Tota Concinæ ratio in eo sita est, quod scandalum occasio sit, non causa furti. Verum hic merus est lusus verborum. Nam S. Th. in scandalo activo causam non distinguit ab occasione, dum 2. 2. q. 43. art. 1. ad 4. scribit: *Dictum, vel factum alterius potest esse dupliciter alteri CAUSA peccandi.* Et paulo post: *Ille, qui hujusmodi actum facit, proprie dat OCCASIONEM ruinæ, unde vocatur scandalum activum.* Deinde licet revera etiam in moralibus aliquod intercedat discrimen causam inter, & occasionem, ut patet in Cristo, qui die sabbati sanabat infirmos; unde Pharisæi scandalum patiebantur quasi violati sabbati; hujus scandali nec Christus, nec ejus miracula veræ erant causæ, sed meræ occasiones, cum tota scandali esset Pharisæorum malitia, in quam nihil omnino Christus suis miraculis influebat; nihilominus in nostro casu furtum illud coram alio patratum veram habet rationem causæ, & influit in effectum, nihil enim magis aptum est animum movere, quam exemplum, & si ad furtum verbis, & adhortationibus impulisset, nullus profecto illum ab onere restitutionis eximeret, ut quanto fortius, & efficacius non movent exempla quam verba? Præterea

rea qui furatur alio cernente, & quem probabiliter putat pravum imitaturum exemplum, nonne est vere causa peccati, non mera occasio? Proculdubio. At amabo, cujusnam peccati? non utique alicujus abstracte sumpti, sed hujus determinati, nempe furti est, est ergo causa furti; porro qui causa furti est, contra justitiam peccat, & ad restitutionem tenetur. Innoc. XI. hanc damnavit propositionem num. 39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati*. Sed qui coram alio furatur, suo exemplo vere movet, & inducit videntem ad inferendum damnum tertio, ergo ad restitutionem tenebitur. Doctor vero Gallus hanc solam affert rationem, quæ & aliis Canonistis communis est, nimirum scandalum ex indole sua non justitiæ, sed caritati adversari. Annuo. Sed quid vetat, unum actum de se uni virtuti contrarium ratione vel subjecti, vel materiæ, vel alicujus circumstantiæ etiam alteri adversari virtuti? Sit exemplum in furto: hoc profecto ex indole sua justitiæ tantum adversatur, verum si furtum fit rei sacræ, & Religioni inimicum evadit, eritque sacrilegium. Ita, & de scandalo dicendum: opponitur quidem ex specie sua soli caritati, verum ratione objecti, vel materiæ, quam respicit, alteri quoque virtuti adversabitur, ut contingit in casu nostro, ubi scandalum non solum est occasio ruinæ spiritualis proximi furtum imitantis, sed & damni, quod tertio inde resultat, & sic justitiæ adversatur, & ad restitutionem adstringit. Hanc opinionem propugnant etiam Doctor Patavinus, Angelus Franzoja in suis in Busembaum animadversionibus, Ethica Amoris To. 2. lib. 9. P. Antoine in Tract. de justit. aliique.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Peccat peccato scandali maritus, qui uxori occasionem præbet adulterandi, ut eam in crimine deprehendat, & divortium obtineat. Et domini, vel parentes, qui servis, & filiis ansam furandi præbent, ut eos in delicto deprehensos coerceant, & emendent. Nam hoc est vere alteri occasionem præbere ruinæ spiritualis, nec ratio honesti finis excusat, cum non sint facienda mala, ut eveniant bona. Item temersi liceat aliquando aliorum peccata non impedire ob aliquam inde obventuram utilitatem, nunquam tamen licet vel peccare, vel alium ad peccandum inducere. Hinc maritus, domini, parentes possunt quidem non impediendo permittere vel adulterium, vel furtum, ut deprehensi resipiscant, & corrigantur, at illis ansam, vel occasionem peccandi præbere omnino non possunt. Non licet propterea nec ad fidem servorum, vel ancillarum probandam pecunias de industria spergere ad experiendum num inventas restituant; hoc enim est revera illos ad furtum movere, & occasionem furandi præbere, cum facile sit infirmis, & ignorantibus in similibus occurrentibus casibus labi in peccatum.

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Peccant quandoque peccato scandali Superiores, & Procuratores Ecclesiastici, si suos debitores præsertim pauperes ad solvendos census, reditus, debita nimium urgent, & vexant. Ratio est, quia inde facile pusilli, & ignorantes, ut plerumque sunt rustici, & infimæ plebis homines offensionem patiuntur, tantam videntes in Religiosis temporalium rerum curam, & sollicitudinem, quam ex avaritia nasci arbitrantur; debent igitur patienter exactionem differre

ferre ; quod si post diuturnam expectationem, vel reditibus vere egeant loca pia, vel eos patientia abuti videant, eos urgere possunt, & divexare, sed reddita ratione justæ vexationis inferendæ ex necessitate ; quod si non acquiescant, scandalum evadit pharisaicum, ac proinde contemnendum juxta S. Thomæ doctrinam positam regula septima.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Ut scandali peccatum evitent, tenentur Superiores Ecclesiastici abrenunciare hæreditati Ecclesiæ suæ, vel Monasterio relictæ cum detrimento uxorum, filiorum, aliorumque consanguineorum, præcipue pauperum, & egentium. Hocce quoque corollarium ; & superius ex laudata D. Thom. doctrina sponte fluit, quia hujusmodi hæreditatis acceptatio magnam secum afferret pusillorum offensionem, qui non injuste turbarentur se privatos videntes bonis sibi quodammodo jure naturali debitis, & quibus fortassis egent, translatis ad Ecclesiam, vel Monasterium, quæ jam sufficientibus abundant reditibus. Hanc regulam præ oculis habens dicebat S. Augustinus serm. 355. *Quicumque vult exhæredato filio heredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, immo Deo propitio neminem inveniat. Quam laudabile factum sancti & venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis quomodo implevit omnibus qui sciunt os laudibus Dei? Quidam cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes retento sibi usufructu donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, & reddidit Episcopus nec opinanti, quæ illi donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non poli* ..... Nec solum in damnum filiorum collatam hæreditatem respuit Augustinus, sed etiam quæ nepotibus, cognatis, aliisque consanguineis damno erant ; unde scribit Possidius in ejus vita cap. 24. plures recusasse hæreditates, *non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quia justum, & æquum esse videbat, ut a mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus, ab eis deficientes dimittere noluerunt*.

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM.

XIX. Scandali rei non sunt, qui peccant coram iis, quos prævident scandalum non passuros, ut qui blasphemant audientibus Religiosis ; at ab hoc crimine non liberantur peccantes coram hominibus etiam scelestis, & perditis. Ratio primæ partis est, quia ut docet S. Thom. art. 5. *Perfecti scandalum non patiuntur*, qui, ut ait Regius Psaltes, *vident prævaricantes, & tabescunt, sed est pax multa diligentibus legem, & non est illis scandalum*. Alterius vero partis ratio est, quia improbi, & scelesti proniores sunt ad peccandum, unde vehementius vel moventur ad peccatum aliorum exemplo, vel magis in peccato obfirmantur.

CONSECTARIUM VICESIMUM.

XX. Peccant peccato scandali, & quidem lethaliter, qui aliquos deliros, vel semifatuos conviciis, scommatibus, aliisque vexationibus ita fatigant, ut eos ad blasphemias, imprecationes, maledictiones, gravesque contumelias provocent, licet hoc ludendi, & jocandi animo faciant. Quia cum hæc sint in se vere lethalia peccata, ipsi in causa sunt ut committantur ; & licet fortasse qui proferunt ob infirmitatem, vel fatuitatem vel non peccent, vel venialiter peccent, qui tamen eos provocant, mortalis peccati rei sunt, cum sciant hæc, quæ natura sua gravia peccata sunt, & in Deum offensæ, ab illis committenda.

CON-

Consectarium Vigesimumprimum.

XXI. Sive ſcandalum directum fuerit, ſive indirectum, qui ſcandalum dedit tenetur in confeſſione aperire tum peccati ſpeciem, ad quod ſuo ſcandalo induxit, tum perſonarum qualitatem, & numerum. Quia hæc omnia ad integram peccati notitiam a Confeſſario habendam neceſſaria ſunt, & quia qui alium ſcandalo ſuo ad peccatum pertraxit, reus eſt & ruinæ ſpiritualis proximi, & peccati ab alio commiſſi: cum vero hoc peccatum, & ratione numeri perſonarum creſcat, & ſpecialem turpitudinem induat, hæc omnia ſunt in confeſſione pandenda. Sic qui uxorem in adulterium pertraxit, & ſcandalum ſuum, & adulterii crimen patefaciat oportet; & cum gravius ſit virginem Deo ſacram, quam meretricem ad crimen carnis pertrahere, conditio quoque perſonarum eſt manifeſtanda.

CAPUT XX.

De Cooperatione ad malum.

Doctrina.

I. *Cooperatio ad malum ſpecies ſcandali, cur ſeorſum de ea tractetur.*

II. *Propoſitio ab Innocent. XI. damnata baſis totius doctrinæ.*

III. *Falſæ ejus nonnullorum interpretationes exploduntur.*

IV. *Indifferentia actionum in cooperatione unde deſumenda.*

V. *Regula prima explicatur.*

VI. *Regula ſecunda exponitur,*

VII. *Regula tertia quid ſtatuat.*

VIII. *Regula quarta. Cooperatio ad malum a cooperatione ad actionem diſtinguenda.*

IX. *Regula quinta. Qui non cenſeatur alterius actioni ut malæ cooperari.*

X. *Quid in iſtis regulis attendendum.*

XI. *Aliorum Theologorum Regulæ exponuntur.*

XII. *Nonnullæ in eos animadverſiones.*

XIII. *Proſequitur idem argumentum.*

I. LICET alterius peccato cooperari ſpecies ſit ſcandali paſſivi, atque hinc omnes ad hanc rem quæſtiones communiter Teologi ad diſputationem de ſcandalo revocent, exemplo tamen nonnullorum Theologorum hanc ſpartam ſeorſum tractare operæ pretium duxi ob peculiares, quas ſecum affert difficultates, & quidem adeo graves, & urgentes, ut juxta Danielem Concinam *argumentum adeo implicatum reddant, ut certæ immobileſque regulæ præſcribi nequeant, & materiam reſpiciant*, ut ſubdit Turnelius in Tract. de Carit. ſect. 7. punct. 1. §. 3. *arduam & tractari difficilem, in qua multa hinc, & inde ſtabiliantur principia, quæ admodum non cohærent*. Quod quam verum ſit in hujus diſputationis progreſſu apparebit. Nihilominus animo non deſpondens quæ mihi coram Deo vera apparebunt aperte proferam, ſapientiorum judicio libentiſſime ea ſubmittens.

II. Pro baſi itaque hujus diſputationis pono propoſitionem ab Innoc. XI. damnatam in ordine 51. quæ ajebat: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.*

III. Secundo perverſæ nonnullorum Caſuiſtarum hujus propoſitionis interpretationes ſunt explodendæ. La Croix putat, hæc opera in propoſitione damnata expreſſa ideo mala declarari, & prava, quia per ſe, & proxime ad peccatum concurrunt, ac ſi docere vellet, remotas cooperationes non eſſe in

in damnatione propositionis contentas. Quæ profecto aperta hallucinatio est: nam & præfatæ actiones nonnullæ quoad stuprum remotæ sunt, ut delati o scalæ, quæ proxime non stuprum virginis respicit, sed ascensum ad fenestram. Præterea quid interest utrum proximæ sint an remotæ, dummodo veræ cooperationes sint? Non enim malæ sunt quia proximæ, sed quia cooperationes ad malum. Major vel minor proximitas ad actionem turpem, malitiam minuere quidem potest, tollere omnino non potest. Nonnulli dicunt, eas actiones esse de se, & respectu famuli indifferentes, sed ideo prohiberi, quia non subest justa causa eas ponendi, & malitiæ domini etiam per actiones indifferentes cooperandi, nam mala, quæ timet famulus, nimis levia sunt, nimirum quod torvis oculis aspiciatur, quod vapulet, quod domo expellatur. At si damnum, quod timeretur, esset gravissimum, e. c. mors, vel mutilatio, tunc illas ponere utpote indifferentes non vetari famulo. Verum hanc interpretationem & ipsi Salmanticenses, qui antea probaverant, postea aperte rejecerunt scribentes To. 3. tr. 21. cap. 8. punct. 5. §. 2. num. 7. *Sed nunc ex professo rem examinantes asserimus, hæc omnia illicita esse, etiam urgente periculo mutilationis, aut mortis. Et ratio est, quia quod est intrinsece malum nullo modo honestari potest, etiamsi adsit periculum mortis. Sed adjuvare dominum humeros supponendo, vel deferendo scalam ad virginem stuprandam &c. hic & nunc est intrinsece malum, & nullo modo indifferens. Sicut comitari latronem ut eum defendat, vel ad furandum aliquis adjuvet, esse intrinsece malum docuimus ..... ergo non licet etiam metu mortis hujusmodi actiones exercere.*

IV. Et revera indifferentia actionum non est desumenda ex ipsis actionibus objective, & abstracte consideratis, sed consideranda est actio cum omnibus suis circumstantiis, & adjunctis, & prout hic, & nunc est exercenda; alioquin nulla pene esset actio, quæ dici non posset indifferens, quæ tamen in se considerata deprehenditur intrinsece mala; sic dare gladium amico, subministrare ignem petenti, indifferens de se apparet; at præbere gladium volenti uxorem interficere, & ignem petenti ad incendendam domum inimici, quis non videt ita esse de se intrinsece malum, ut nulla possit ratione excusari? Quod autem semel evadit intrinsece malum, fieri non potest amplius indifferens, ex eo quod maximum inde detrimentum proveniat agenti, vel quod ad illam prestandam actionem invitus feratur, & metu mortis, vel mutilationis coactus. Alioquin liceret & thus idolis offerre, nam thus in ignem projicere de se indifferens est, & hic & nunc coram idolo cremare invitus facio nolens omnino, & detestans, coactus metu mortis, & quidem sevissimæ. His prænotatis has statuo Regulas.

Regula Prima.

V. Actio, quæ de se, & objective spectata, indifferens est, si alterius peccato cooperetur, & peccantem adjuvet, ac influat in actionem ut malam, perversa evadit, & intrinsece mala. Hanc regulam statuit Apostolus ad Ephes. 5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Porro qui cooperatur operibus tenebrarum, eisdem communicat, quod ab Apostolo prohibetur. Confirmat Apostolica Sedes in damnatione tum propositionis 51. superius relatæ nu. 2., tum in 39. quæ dicebat: *Qui movet, & inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem.* Porro qui adjuvat, & cooperatur alterius damno, non minus reus apparet illati damni, quam qui movet, & inducit, vel si lubet etiam minorem culpam agnoscere in cooperante, & adjuvante quam in movente, & inducente, cum hic validius in

in furtum influat, nullam tamen in illo culpam fateri quis audebit? Certe Apostolus hoc damnat ad Rom. 1. v. 32. ubi enumeratis hisce criminibus *fornicatione*, *avaritia*, *nequitia*, *invidia*, *homicidio*, *contentione*, *dolo*, *malignitate*, *susurratione*, *detractione*, subdit, *qui talia agunt digni sunt morte*, & *non solum qui ea faciunt*, *sed etiam qui consentiunt facientibus*. Porro qui peccanti cooperatur, & qui illum adjuvat, consentit malefactori. Ratio ipsa naturalis ostendit. Quis enim inficiabitur, ducere meretricem in cubiculum fornicarii, dare ignem petenti ad comburendam domum, clavem arcæ furi suppeditare non esse eorum iniquitati cooperari, communicare, & participare, ac proinde esse de se, & intrinsece malum? Optime itaque docet S. Raymundus lib. 2. de negot. secul. §. 6. *Ille peccat*, *quando ex qualitate personæ*, *vel temporis cognoscit*, *vel probabiliter dictat conscientia*, *quod ille non quærit rem nisi ad malum perpetrandum*. *Tunc enim non deberet illi vendere contra talem conscientiam*.

Regula Secunda.

VI. Quotiescumque aliqua actio in individuo, quia peccato alterius cooperatur, jam evasit in se mala, & perversa, nequit amplius velut indifferens haberi, vel ab aliquo poni, & præstari ratione alicujus gravissimi detrimenti, quod illi proveniat nisi actum ponat. Ratio est manifesta: nam quod est per se malum, jam nunquam bonum, vel indifferens evadere potest, & detrimentum operanti proveniens actionem non exuit malitia sua. Fieri proinde non potest, ut eadem actio præstari nequeat, si leve sit damnum inde proveniens, quia malo cooperatur, si vero grave detrimentum subire cogatur qui non ponat, ponere possit quia indifferens. Id patet in exemplo propositionis damnatæ: quia herum juvare ascendentem per fenestram ad stuprandam virginem, est de se intrinsece malum, nunquam licet nec ob grave, nec ob leve inde proveniens detrimentum. Eapropter Salmanticenses, qui primo docuerant, non licere servo hujusmodi servitium domino præstare si leve timeret damnum, licere vero si immineret periculum mutilationis, vel mortis; hujus doctrinæ incongruentiam, & falsitatem agnoscentes eam retractarunt, ut diximus n. 3.

Regula Tertia.

VII. Aliud est peccatum non impedire, aliud peccato alterius cooperari. Primum quandoque licet, alterum omnino non licet. Sic potest dominus permittere servum furari, ut deprehensum in furto corrigat, vel domo pellat, at non potest pecuniam de industria spargere, vel clavem in arca relinquere, ut ejus experiatur fidelitatem. Primum enim est, vel servi utilitati, vel suæ indemnitati prospicere; alterum vero offendiculum ponere, & ad peccatum allicere. Hæc licet de se aperta sint, & evidentia, frequentissime tamen, ut patebit in Consectariis, Theologi unum cum alio confundunt.

Regula Quarta.

VIII. Potest quis actioni alterius cooperari, quin & ejus malitiæ cooperetur, & particeps fit. Hoc autem contingit, ut docent cum S. Thom. graviores Theologi, quotiescumque principalis agens potest æque bene ac male uti cooperantis actione, ita ut malus usus ex sola ipsius plane malitia proficiscatur. Id patet in petente mutuum a fœneratore, & juramentum ab Infideli. Qui petunt id, quod & fœnerator, & infidelis absque culpa præstare queunt; potest siquidem ille & sine usura mutuari, & iste per verum Deum jurare; proinde quod ille non

nisi

nit sub usuris mutuetur, ille per falsos Deos juret, ex eorum prorsus proficiscitur malitia, cui qui petit non cooperatur, licet actioni vel fœneris vel juramenti per falsos Deos cooperetur. Ratio est manifesta, nam & ille qui petit, quod legitimum est petit, & qui præstat quod legitimum est, præstare potest; nihil ergo malitiæ actioni cooperatur, quæ solum ex operantis pravitate resultat, & in eum est refundenda. *Ille, qui accipit* [verba sunt S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4. ad 2.] *pecuniam mutuo sub usuris, non dat occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui, Unde scandalum passivum ex parte sua est, non autem activum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter hujusmodi scandalum passivum debet alius a mutuo petendo desistere, si indigeat, quia hujusmodi passivum scandalum non provenit ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia.*

Regula Quinta.

IX. Cum quis ab alio actionem, vel materiam aliquam postulat, qua licet & bene uti possit, & male, certo tamen constat nonnisi ad malum usum peti, qui concedit, vel assentitur, ejus pravitati, non solæ actioni consentit. Nam tunc, ut manifeste patet, prave actioni cooperatur, & quidem non ut actio est, sed ut perversa est, cum noverit nonnisi ad pravum usum peti. Sic qui ensem postulat ad interficiendum hominem, ignem ad incendendam domum, cubiculum ad fornicandum, certum est nonnisi ad pravum usum postulare, licet & gladio, & igne, & cubiculo de se & absolute bene uti possit, ergo qui paret, & assentitur, ejus nedum actioni, sed & pravitati assentitur. Quod verum puto, licet actionem, vel materiam præstare ex justitia debeat. Ut patet in illo, qui pecuniam, vel gladium depositum postulat ad interficiendum hominem, vel ad proditionem patriæ. Tunc enim in iis circumstantiis depositarius licite depositum negare potest, & debet. Hujus Regulæ veritatem ea omnia confirmant argumenta, quæ in prima Regula attulimus.

X. Hæ sunt regulæ, quas ego attento studio, & seria meditatione in re adeo difficili præstituendas statui. Quas tamen & ego fateor, & agnosco nec omnes complecti casus, nec omnes ad earum amussim posse clare, dilucide, & sine ambiguitate aptari, & dirimi. Propterea ne quid Lectoribus ad eorum doctrinam, & instructionem desit, quid Theologi etiam sanioris doctrinæ doceant, & quas præstituant regulas, subjicere operæ pretium duco, quibus meas addo animadversiones.

XI. Doctor Parisiensis Volpelierus in sua Morali Theologia tom. 7. tract. 2. de cooperatione sic docet: " Licet aliquibus in casibus materialiter alterius peccato cooperari, materiam, occasionem, modum, & objectum peccati subministrando. Verum ut hujusmodi cooperatio licita sit, tres secum afferat conditiones oportet. 1. Quod actio cooperantis ad peccatum bona sit, aut saltem indifferens. 2. Quod recti fiat intentione abhorrente omnem ad peccatum cooperationem. 3. Quod peccatum a cooperante aut impediri omnino non possit, vel saltem non impediendi justa adsit causa, & urgens motivum. Sed quænam erit justa hæc causa, quodnam urgens motivum? Hoc est quod certe, & ad amussim decerni non potest, quilibet pro regula sibi præstituat rectum animi sensum, rationem omni passione solutam, aut quod prudentia christiana in difficili negotio, in quo de Dei offensa, & spirituali animæ ruina agitur, potest

,, ſuggerere. Hoc generale ſtatuo conſilium. ,, Eo validior eſſet debet, & urgentior cauſa ad alterius peccatum cooperandi, quo ,, gravius & majus eſt crimen, aut quo proximius peccato quis cooperatur, aut deſique quo magis probabile eſt, non committendum peccatum, ſi cooperatio deſit." Huic Theologo fere alii omnes conſentiunt, etiam qui a laxitatibus abhorrent.

XII. At nonnulla ſunt in hac doctrina animadvertenda. 1. Dicit Gallus Auctor, & cum eo cæteri Theologi, licere aliquibus in caſibus *materialiter* cooperari peccato alterius, at quid ſibi velit *materialiter* cooperari non exponit. Numquid, ut poſtea ſubdit, id fit ſuppeditando materiam, occaſionem, modum, objectum peccandi? At quid amplius preſtabit, qui ſo maliter cooperetur? Animum dices, & affectum ad culpam? Admitto. Verum (præterquam quod qui animum, & affectum ad peccatum adjicit, jam non alieni ſolum eſt conſors criminis, ſed proprii ſceleris cauſa præcipua) hujus pravi affectus carentia a culpa non liberat cooperationis ad peccatum, licet liberet ab ipſa peccati approbatione. Sic famulus, qui herum adjuvat humeris, qui ſcalam apponit, ut ad virginem ſtuprandam aſcendat, qui excubat & vigilat ad heri cuſtodiam, fortaſſis in corde ſuo ſcelus domini ſui deteſtatur, cujus ipſe voluptatem non ſentit, ſed ſolum laborem, atque moleſtiam experitur, & tamen reus eſt ejuſdem ſceleris cui cooperatur; quod ſi huic cooperationi animum, & affectum ad ſtuprum adjiciat, longe gravius evadit crimen illius, & jam proprio inquinabitur ſcelere, & polluetur alieno.

XIII. Secundo ſubdit, oportere ut actio, qua quis peccato cooperatur, ſit bona, aut ſaltem indifferens. Verum de qua indifferentia, & bonitate loquitur? num de illa, quæ actioni competit in abſtracto, & ex natura ſua? At hæc fere ſemper ex circumſtantiis loci, temporis, perſonæ determinatur ut bona ſit, vel mala. Aperire januam ex ſe indifferens eſt, ſed aperire januam furi, adultero, ſtupratori malum eſt. Ignem dare petenti indifferens eſt, verum agrorum incenſori ſuppeditare ſceleſtiſſimum. Oportet igitur ut actio etiam in individuo, & in ſingulari ſuam ſervet indifferentiam ut bona ſit, adeo ut vere dici poſſit agentem actioni cooperari, malitiæ vero non cooperari; quemadmodum contingit in petitione mutui a fœneratore, & juramenti ab infideli, in utroque enim mea petitio vel indifferens eſt, vel bona ob neceſſitatem privatam, vel utilitatem publicam: & ſic malitia fœnoris addita mutuo, & falſi *Numinis* interpoſitio in juramento tota in principalis agentis malitiam refunditur, qui poteſt quod juſtum eſt præſtare, & non vult.

XIV. Tertio denique tot appoſitæ circumſpectiones de gravitate ſceleris, de proxima cooperatione, de majore, vel minore probabilitate impediendi peccatum, manifeſte indicant eos agnoſcere in ipſam cooperantis actionem malitiam redundare. Si enim actio cooperantis bona ſupponitur, vel ſaltem indifferens, ſi tota malitia in principali ſemper reſidet agente, cur tot neceſſariæ cautelæ, ut cooperans ſit a culpa immunis? Sit exemplum in famulo ſcalam apponente, adjuvante, humeris fulciente herum aſcendentem ad ſtuprandam virginem, ſi cauſa ſit urgens, puta metus mortis, vel mutilationis, licebit. Si vero non ſit tam urgens, ut metus vapulationis, expulſionis a domo, non licebit, numquid hæc urgens cauſa tollit ab actione malitiam? Utique reponunt, nam ad permittendum, ſeu non impediendum peccatum alterius ſemper aliqua urgens cauſa requiritur, & eo major quo gravius eſt

est crimen quod impedire possum, & quo facilius a me potest impediri. Assentior. At hic non agitur de alieno peccato non impediendo, seu permittendo, sed de eidem cooperando; porro cooperandi actioni pravæ nulla poterit esse urgens causa quæ excuset, & tamdiu furto, homicidio, fornicationi cooperari malum erit: quamdiu furtum homicidium, fornicatio scelera erunt & crimina; & tamen ista permittere, seu non impedire quandoque licebit. Mutuum igitur (urgebunt) & juramentum etiam sine rationabili causa & a fœneratore, & ab infideli petere licebit. Absit. Nam licet petens mutuum, & juramentum non cooperetur malitiæ, sed tantum actioni, scit tamen peccatum ex alterius malitia addendum; ut igitur hoc peccatum permittat, & non impediat, justa requiritur causa, sicut superius diximus de virgine, vel honesta muliere, quæ si domo exeat, vel ad fenestram accedat, noverit a pravo viro turpiter concupiscendam, nisi justa urgeat causa exeundi, vel ad fenestram accedendi, tenetur domi se continere, ne videatur, ut inquit S. Th. *non curare salutem proximi*; & si justa urgeat causa, & potest domo exire, & ad fenestram accedere contempto pharisaico scandalo. Hæc omnia sapientum virorum examinanda judicio libenter propono, ut si quæ sint reprehensione digna reprehendant, si quæ vero veraciter dicta reperient, sua auctoritate confirment, & saltem illud intelligant, quantum christiana morum doctrina in hoc argumento illustratione indigeat, & accuratius sit expendenda. Interim ego saltem

fungar vice cotis, acutum
reddere quæ ferrum valet exors ipsa secandi.

CAPUT XXI.

Consectaria Doctrinæ.

I. *Non licet Gentilibus nec idola vendere, nec thus ad suffitum, vel vinum ad libamina ministrare, nec Hebræorum synagogas extruere, vel sarcire.*

II. *Quando captivis Christianis apud Turcas liceat pro illis contra Christianos remigare.*

III. *Licet mutuum petere a fœneratore justa interveniente causa.*

IV. *Illicitum non est apud fœneratorem pecuniam deponere, nisi alius adsit, apud quem secure queat deponi.*

V. *Quando illicitum non sit œnopolæ vinum vendere, qui venditurus aqua mixtum præscitur.*

VI. *Sponsa non censetur cooperari peccato sponsi cum ipsa matrimonium celebrantis in peccato lethali.*

VII. *Peccat sponsus matrimonium celebrans cum sponsa voto castitatis obstricta.*

VIII. *Peccat sponsa, quæ voto castitatis obstricta matrimonium contraxit, si debitum petat, & ejus peccato cooperatur sponsus debitum reddens.*

IX. *Peccant, & alterius iniquitati cooperantur, qui litteras amatorias, & munuscula impudicitiæ irritamenta deferunt.*

X. *Non licet cubiculum amico commodare ad fornicandum.*

XI. *Non licet aurigis, vel nautis curru, vel cymba meretricem ad amasium adducere.*

XII. *Licet famulis ea obsequia, & officia præstare suis dominis, quibus illi licite uti possunt, licet præsciant ad malum usum ab ipsis aliquando adhiberi.*

XIII. *Non licet meretricibus, vel fœneratoribus domos locare.*

XIV. *In statu peccati lethalis versantur, qui meretricibus, vel concubinariis simul cum concubina conviventibus inserviunt.*

XV. *Peccant, & in pessimo versantur statu, qui fœneratoribus in ordine ad fœnus inserviunt.*

XVI. *Non licet Principis, vel Judicis, vel alterius Magnatis concubinæ munera largiri ad aliquam obtinendam gratiam.*

XVII.

XVII. *Caupones rei sunt violati jejunii, si in diebus esurialibus vel carnem sanis, vel cœnam non indigentibus ministrent.*

XVIII. *Peccant parentes, vel domini, qui in diebus abstinentiæ, & jejunii filiis, vel servis carnem, vel cœnam indifferenter administrari sinunt.*

XIX. *Peccant tabernarii, & caupones, qui vinum iis suppeditant, quos certe sciunt inebriandos.*

XX. *Non peccat Sacerdos, qui peccatori occulto Sacramenta publice petenti ministrat, vel Confessarius si peccatum sola noverit confessione, licet occulte petat.*

XXI. *Non licet Sacramenta petere a Sacerdote concubinario, vel in peccato lethali existente, nisi in gravi necessitate. Si vero Parochus sit, licet ab eo Sacramenta recipere ex justa causa, in extrema vero necessitate licet a quocumque etiam hæretico, & schismatico petere, & recipere Sacramenta summæ necessitatis.*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. NON licet nec idola Gentilibus vendere, nec Judæorum Synagogas extruere, vel farcire, immo nec thura Ethnico ad idolorum suffitum, aut vinum ad libamina suppeditare. Et quidem de prioribus nulla est difficultas, cum idoli constructio, Synagogæ ædificatio, utpote ad superstitiosum impiumque cultum determinata natura sua prava sint, & mala, ac proinde nullo modo iis licet cooperari, juxta S. Th. superius citatam doctrinam 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. *Si qua ars est ad faciendu aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occasionem peccandi; ut qui fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia.* Et quod de idololatria docet S Thom. ad quemcumque alium superstitiosum cultum est extendendum. Rejicienda itaque opinio Castropalai, Mendozæ, Tamburini, aliorumque Casuistarum, qui licet fateantur, *ea opera cum ordinata sint ad idololatriam, non posse ex se licite præstari in gratiam ejus, qui ad hunc finem ea velit*, tamen concedunt posse sine peccato fieri, si vel gravissimus impellat metus, vel urgentissima adsit causa, nimirum artificis magna paupertas. Quæ enim mala sunt suapte natura, nullo valent metu, nulla ratione excusari. De posterioribus vero major videtur esse difficultas, cum thus, & vinum ad licitos usus adhibere valeat infidelis, proinde ex ejus sola malitia ad superstitiosum cultum detorqueantur. Ita quidem si res absolute spectetur; verum si sermo sit de thure, & vino ad hoc determinate requisito, ut idolorum cultui inserviat, manifestum est vendi non posse, nec concedi, quia illa tunc determinate ex petentis conditione agnoscitur ad superstitionem ordinata. Optime propterea docet Tertul. lib. de Idololat. cap. 11. " De negotiationibus cætera delictorum recogitemus, in
" primis cupiditatem radicem omnium malorum.... Viderint, si eædem merces,
" thura dico, & cetera peregrinitatis ad
" sacrificium idolorum, etiam hominibus ad
" pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia, sepulturæ usui sunt. Certe cum pompæ, cum sacerdotia, cum sacrificia idolorum de periculis, de damnis,
" de incommodis, de cogitationibus, de
" discursibus, negotiationibusque instruuntur, quid aliud quam procurator idolorum demonstraris? Nemo contendat posse
" hoc modo omnibus negotiationibus controversiam fieri. Graviora delicta quæque
" pro magnitudine periculi diligentiam extendunt observationis, ut non ab his
" tantum abscedamus, sed & ab iis per quæ fiunt

„ fiunt . Licet enim ab aliis fiat , non in-
„ teresti si per me . In nullo necessarius esse
„ debeo alii , cum facit quod mihi non li-
„ cet . Ex hoc quod vetor facere , intelli-
„ gere debeo , curandum mihi esse ne fiat
„ per me . . . . In aliis causa non levioris
„ reatus præjudicium istud observo . Nam
„ quod mihi de stupro interdictum sit , aliis
„ ad eam rem nihil aut operæ , aut con-
„ scientiæ exhibeo . Nam quod ipsam car-
„ nem meam a lupanaribus segregavi , agno-
„ sco me neque lenocinium , neque id ge-
„ nus lucrum , alterius causa exercere pos-
„ se . . . . Ecce magis proximum præjudi-
„ cium . Si publicarum victimarum redemp-
„ tor ad fidem accedat , permittes ei in eo
„ negotio permanere ? Aut si jam fidelis id
„ agere susceperit , retinendum in Ecclesia
„ putabis ? Non opinor , nisi si quis & de
„ thurario dissimulabit . . . . . Nulla igitur
„ ars , nulla professio , nulla negotiatio ,
„ quæ quid aut instruendis , aut formandis
„ idolis administrat , carere poterit titulo
„ idololatriæ " . Hinc merito S. Vigilius in
sua ad S. Joan. Chrysost. epist. S. Sisinium ,
aliosque laudat , qui crudele subjere marty-
rium, quia fideles ab animalium retrahebant
venditione , quæ ab Ethnicis in sacrificium
idolorum emi sciebant .

CONSECTARIUM SECUNDUM .

II. Captivis christianis apud Turcas adver-
sus fideles in triremibus remigare quandoque
licet , quandoque non licet . Tria distinguit
tempora remigandi Cl. P. Daniel Concina .
Primum (scribit Diss. 9. de Scand. n. 11.)
*remigii justi Deoque accepti , quod tunc con-
tingit , cum exploratum captivis remigibus est,
in pugna committenda christianos fore victores
adversus Turcas* . Hæc doctrina meo judicio
explicatione indiget . Non enim semper cum
christiani victores Turcarum sunt , dicendum
est remigium captivorum christianorum esse
justum , Deoque acceptum . Nam finge in
summa pace inter Turcas & Principes chri-
stianos , istorum triremium Duces , Turca-
rum videre triremem sub umbra pacis non
caute a Turcis custoditam , sed securam in
aliquo vel litore, vel portu cum paucis mi-
litibus , iisque incuriosis quiescere , ea prop-
ter christiani de victoria certi , de præda cu-
pidi eam aggrediuntur , vincunt , diripiunt,
milites captivos faciunt , vel enecant , chri-
stianos vero vinculis solvunt; hæc ne certa
victoria justa erit , Deoque grata ? Hinc cap-
tivi christiani remiges juste remigabunt ut
promptiorem christianorum victoriam faciant,
& bella Domini prælientur ? Non puto dici
posse , nisi ab iis , qui fidem infidelibus nun-
quam servandam doceant , quod profecto
nullus christianus Theologus unquam affir-
mare audebit . Non ergo ex certa victoria
dijudicanda justitia belli , sed ex justis causis,
a quibus enascitur . Hinc in casu proposito,
si christiani remiges in Turcarum triremi eo
fine remigent , ut injustæ faveant christia-
norum aggressioni , & horum sceleris coo-
peratores erunt , & necis , ac spoliationis in-
nocentium rei evadent . Remigabunt itaque
si a Dominis jubeantur , qui in ea remiga-
tione per fugam , vel obsistentiam sui exi-
tium ac perditionem evitare posse arbitren-
tur , sic enim & innocentum saluti consu-
lunt , & aliorum sceleri non cooperantur ,
licet videant inutilem futuram eorum ope-
ram. Si vero a Dominis remigare prohibean-
tur , parere debent , ne aliorum iniquitati
cooperentur , & ne innocentum necis in cau-
sa sint . Si vero bellum Christianorum con-
tra Turcas sit justum , & captivi certi de
victoria , profecto juste remigabunt, & victo-
ria in gloriam Dei redundabit . Et hoc for-
tasse docuit Concina , licet non se satis ex-
plicaverit . Secundum remigii tempus (quod
tamen Concina tertio loco ponit) *est , cum
aliri-*

christianis, in quos cursus navigii dirigitur, nihil aliud imminet præter bonorum externorum jacturam, remigibus vero vitæ amissio, aut membrorum mutilatio impendent, nisi in christianos triremes impellant. De hoc remigandi tempore nullum dissidium est. Quippe, si ut vitam Petri a nece servem, jure possum ad illius externa bona prædanda latrones inducere, paratos alioquin eumdem de medio tollere: impendio magis licitum mihi erit ad vitam tuendam meam, proximi bona negligere. Non est ergo vetita remigatio, quæ mihi mortem, alteri tantum bonorum jacturam minatur. In hac doctrina P. Concinæ duo sunt, quæ mihi omnino liquida non videntur. Primo quidem exemplum illud de inducendis latronibus alioquin paratis ad necem Petri, ut loco vitæ illius externa bona prædentur; quod certe non cohæret iis, quæ paulo post fuse docet num. 25., ubi contra communem sententiam pugnat, quæ docet licere parato ad duo crimina, alterum altero scelestius, perpetranda suadere, ut minore contentus sit, late ostendens, illud quod suadetur, licet minus, semper tamen malum ex se esse, & tale semper manere sub quocumque respectu, & ratione; proinde nunquam permissum illud consulere, multoque minus, ut hic dicit, ad illud inducere. Præterea comparationem instituit inter damnum captivorum remigantium cum damno christianorum, illudque longe gravius illo supponit, cum ibi de morte, & mutilatione agatur, hic vero de sola bonorum amissione, proinde deducit posse captivos christianorum jacturam negligere, ut vitam suam servent. Bene optime, si de solo temporali damno inter homines ageretur, sed ulterius hic agitur & de injuria Creatoris, & de offensa Dei. Nam illi captivi sua remigatione cooperantur injustitiæ, furto, deprædationi Turcarum, qui bonis christianorum inhiant. Justum quidem video, ut vitæ suæ conservationem bonorum amissioni præferant, at non video justam vitæ conservationem cum injuria, & offensa Creatoris, quæ inseparabilis est a cooperatione ad furtum, ad deprædationem Turcarum. Et hoc mihi videntur non satis attendere Theologi, cum agunt de cooperatione ad damnum alterius, oculos unice figunt ad malum quod timet cooperans, at ad malum quod sua cooperatione inducit, si illud majus videant, huic præferendum docent, ac proinde cooperationem licitam pronunciant, & interim ad Dei offensam, & injuriam non respiciunt, quæ tamen intima est, & inseparabilis a cooperatione ad furtum, latrocinium, deprædationem, quæ, ut diximus, tamdiu mala est, quamdiu hæc crimina erunt & scelera. Vim hujus animadversionis persensit Daniel Concina sanioris doctrinæ propugnator acerrimus, ac proinde Millante refellit cap. 12. num. 5. qui docet, adjuvantem furem ad latrocinium metu mortis excusari a peccato, quia in eo casu domini, & creditores qui damnum patiuntur, aut omnino non sunt, aut irrationabiliter inviti sunt. Tertium tempus [quod secundo loco ponitur a P. Concina] est *belli injusti, ex quo christianis vita, bonorum, & libertatis jactura imminet*; & tunc non licere captivis Turcarum remigare palam est, quia eorum iniquitati cooperarentur, & comparticipes essent criminum deprædationis, plagii, & necis christianorum. Ita censent sanioris doctrinæ Theologi cum Henrico a S. Ignatio lib. 4. cap. 1. Eapropter multo minus licebit hisce captivis, vel tormenta in christianos explodere, vel ignem ad navium, sive triremium conbustionem subministrare; quod & ipsi Probabilistæ concedunt, quippe qui arbitrantur tunc magis directe, & proxime, quam per meram remigationem christianorum damno cooperari,

CON-

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Licet mutuum petere ab eo, qui præscitur non sine fœnore daturus, dummodo justa sit causa petendi. Ita S. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4. *Inducere hominem* (scribit) *ad peccandum nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est; quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum, ut dicitur Enchiridii cap. 11. Et ideo Augustinus Publicolæ quærenti utrum liceret uti juramento ejus, qui per falsos Deos jurat, in quo manifeste peccat, eis divinam reverentiam adhibens, respondet, quod qui utitur fide illius, qui per falsos Deos jurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per Dæmonia juravit, sed pacto ejus bono, quo fidem servavit. Si tamen eum induceret ad jurandum per falsos Deos, peccaret. Ita etiam in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris, licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius.* Quomodo autem, qui mutuum petit, & accipit a fœneratore sub usuris, ejus peccato nequaquam cooperetur, explicat S. Doctor ibi verbis superius recitatis Disp. præced. num. 8. Sed in his luculentioribus diutius non est immorandum. Illud duntaxat animadverto, non licere sine necessitate, vel justa causa mutuum a fœneratore petere, vel accipere, quia hoc esset, vel illum ad peccandum inducere, vel non curare de salute animi proximi, cujus peccatum non impedit cum facile possit impedire. Peccant proinde, & lethaliter qui pecunias mutuas sub usuris petunt ad ludum, ad voluptatem, ad aliaque illicita, vel plane superflua opera.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Illicitum non est pecunias apud fœneratorem deponere qui prævidetur abusurus ad fœnus exercendum, si nullus alius sit, apud quem secure pecuniam deponere valeas. Ratio est, quia una ex parte quod tu præstas, nimirum depositum, plane licitum, & honestum est, qui accipit potest depositum custodire, nec eo ad usuras abuti, proinde fœnus, quod addit, totum ex ejus proficiscitur malitia, cui non cooperaris, licet actione depositi cooperaris. Et hac ratione plerique Probabilistæ docent, absolute licere pecuniam apud fœneratorem deponere, licet certus sit abusus illius depositi, quod tamen falsum est, & improbabile, tum quia ex caritate teneris impedire peccatum proximi cum facile possis, nimirum pecuniam tuam apud alium deponendo, tum quia cum prævidetur alicujus mercis malus usus, non licet venditori eam dare nulla cogente necessitate; ideo addita limitatio, si nullus alius sit, apud quem secure possis pecuniam deponere.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Absolute illicitum non est œnopolæ vinum vendere, licet scias ab eo iterum vendendum aqua mixtum, dummodo & justo vendas pretio, & alter cui vendas non adsit. Eadem est ratio ac superioris Consectarii: nam mixtio aquæ plane extranea est tuæ venditioni, & ex sola œnopolæ malitia proveniens, qui potest ab hac fraude abstinere. Addidi tamen, si justo vendas pretio; si enim ut carius vendas, huic œnopolæ potius quam alteri vendas, jam patet te lucrum ex ejus malitia quærere, ac proinde illi cooperari. Similiter si alteri pos-

fis vendere, ostendis te non curare de salute proximi, cujus peccatum non impedis, cum queas facile impedire.

Consectarium Sextum.

VI. Sponsa, quæ matrimonium celebrat cum sponso, quem noverit peccato lethali coinquinatum accedere ad Sacramentum, ejus malitiæ non cooperatur, præsertim si ante monuerit. Ratio est, quia quod efficit sponsa sanctum est, scilicet matrimonium, quod præstat sponsus, præstare potest, si velit, absque ulla culpa; quod vero addat malitiam sacrilegii, hoc ex sola ejus prava voluntate procedit, cui nullo modo cooperatur Sponsa, licet actioni Matrimonii cooperetur. Addidi, præsertim si ante monuerit, quia conari debet ex caritate quantum potest, ut peccatum impediat.

Consectarium Septimum.

VII. Peccat sponsa, & sacrilegio cooperatur, si matrimonium celebret cum viro voto castitatis obstricto. Validum quidem agnosco hoc matrimonium, at illicitum nemo negaverit, & quidem eo nomine, quia ejus materia illicita est, nimirum corpus sponsi, quod ratione voti Deo dicatum est, & factum quodammodo illius juris; hoc autem jus divinum & violat sponsus, dum juratam fidelitatem infringit, & sponsa, quæ ejus actioni cooperando & malitiæ cooperatur, tentans sibi jus usurpare in rem Deo dicatam; proinde a peccato minime excusatur. Addendum, sponsum matrimonium non posse contrahere nisi illicite, & actionem matrimonii nonnisi peccando elici posse, cum se non possit a voto castitatis dispensare, crimen vero vitare non valet nisi a matrimonio abstinendo. Porro huic actioni de se malæ sponsa probe sciens, & volens cooperatur; ergo consors est & particeps sacrilegii a sponso perpetrati.

Consectarium Octavum.

VIII. Sponsa, quæ matrimonium contraxit voto castitatis obstricta, peccat petendo debitum, cui peccato cooperatur sponsus si debitum reddat. Huic Consectario nonnullos habeo adversantes Theologos, inter quos & Volpelerium, & Doctorem Franzoja, & P. Concina Tom. 10. num. 2. pag. 369. Verum si principiis, quæ & ipsi statuunt, & approbant, inhærere velint, legitimum hocce Consectarium agnoscant oportet. Quandoquidem tunc licet cooperari alicujus actioni malæ, quotiescumque principalis agens actionem suam licite potest ponere, & quod illicite ponat, solum ejus malitia est in causa, ut patet in fœneratore, qui mutuum gratis dare potest, quod autem mutuo fœnus addat, hoc ex ejus malitia proficiscitur; at qui voto castitatis obstrictus debitum petit, nonnisi illicite petere potest, & ejus petitio ratione personæ, facta est intrinsece sacrilega, & illicita; quod scelus vitare non potest nisi a petitione debiti & a copula abstinendo. Porro huic actioni de se & ratione subjecti petentis intrinsece malæ cooperatur sponsus debitum reddens, ergo criminis particeps evadit, & sacrilegio cooperatur. Argumenta vero Theologorum aliter sentientium mihi non omnino valida videntur. Ajunt siquidem, quod ex matrimonio etiam cum voto castitatis celebrato jus validum sponsa acquisivit ad conjugalem copulam, quod jus violare non potest sponsus. At jus ortum ex matrimonio valido hoc solum efficit, ut petitio & copula adulterium non sit, utpote cum proprio viro, non cum alieno; proinde sicut sponsa petens quamvis sacrilege petat,

non

non tamen adulterium committit, quia validum est matrimonium, ita sponsus reddens debitum adulterio non cooperatur. Verum ex opposito, sicuti sponsa sacrilege petit, quia voto castitatis obstricta, nec copulam nisi sacrilege exercere potest, ita sponsus reddens debitum sacrilegio cooperatur, & actioni adeo intrinsece malæ ratione subjecti, ut aliter esse non valeat, consentit, proinde peccare convincitur. Quod vero addit Franzoja, *si reddendo peccaret, esset perplexus, hoc est in peccati necessitate constitutus, quia tum reddendo, tum non reddendo peccaret*, ineptum est. Unde nam ista perplexitas atque necessitas? Nonne certum atque evidens est, nunquam jus humanum reddendum cum offensa Dei, & injuria Creatoris? Quid sanctius, quid justius quam reddere depositum deponenti? Et tamen gladius non est reddendus depositori, si petat ad interficiendum hominem. Vendidit Pharmacopola venenum accepto pretio, quia putavit petitum ad rectum usum, deprehendit postea ordinari a marito ad interfectionem uxoris, debebit ne adhuc dare, quia per solutam pecuniam alius jus acquisivit ad mercem? Absit. Eritne perplexus & in necessitate peccandi, adeo ut si tradat, cooperetur uxoricidio, si deneget, violet justitiam in contractu venditionis? Juste itaque & denegabit venenum, & denegare tenetur, quin violatæ justitiæ reus evadat. Ita plane denegabit debitum vir, ne sacrilegio cooperetur, & denegando nequaquam justitiam violabit.

Consectarium Nonum.

IX. Peccant, & alterius crimini cooperantur, qui literas amatorias & munuscula impudicitiæ irritamenta ad amasiam, vel amasium deferviunt. Hocce Consectarium evidens est, cum hujusmodi actiones sint intrinsece malæ, nec nullo pacto licitæ evadere possunt, utpote cum peccato conjunctæ, & peccato subservientes. Rejicienda itaque tamquam laxa, & damnatæ propositioni admodum affinis doctrina Tamburini docentis, quod si ex horum officiorum denegatione *amicitiam, quæ sibi magni esset, timeret amittere, excusari posset, quia tunc notabilis justus nocumenti metus accederet*. Ita ne humana amicitia divinæ amicitiæ comparata adhuc pretiosior æstimabiliorque est, ut ne illam amittam, liceat divinæ offensæ cooperari?

Consectarium Decimum.

X. Non licet amico cubiculum commodare, quo novi eum ad fornicationem abuti, & multo magis si noverim tale cubiculum exposcere, ut securius & confidentius peccet. Nemo est, qui non videat quantum hæc cum peccato conjuncta sint, proinde qui illa præstat, peccato & sceleri cooperari. Falsa proinde & laxa Tamburini sententia, & damnata deterior, dum docet: *Si a te amicus petat, ut cubiculum ei accomodes, in quo scis eum fornicaturum, nisi enim notabilis necessitas te excuset, peccabis, si illi morem geras, ita Sanchez; at notabiliorem posco, si in tuo cubiculo securius & confidentius sit amicus peccaturus ob rationem modo dictam de associatione, atque eodem modo philosophare in ceteris similibus.* Quænam enim esse potest notabilis necessitas tanto sceleri cooperandi?

Consectarium Undecimum.

XI. Non licet aurigis, vel nautis cymba, vel rheda meretricem, sive aliam mulierem ad amasium adducere ad peccandum. Hoc patet ex ratione toties adducta, quia pravæ actioni, & facinori operam suam locando eidem quam maxime cooperantur.

Detestanda itaque Tamburini animadversio, dum scribit lib. 5. in Decal. cap. 1. §. 4. nu. 30. *Si hi vectores seu bajuli adeo sint religiosi, ut nolint se suasque operas locare in ejusmodi vectationibus, facile in suo lucro notabiliter lædentur*. Quorsum hæc animadversio? Num ad removendum ad hujusmodi vectoribus scrupulum, ne lucrum perdant?

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Licet famulis ea obsequia & officia dominis suis præstare, quibus illi licite uti possint, quamvis præsciant ad malum usum ab ipsis aliquando adhiberi. Sic licet eos vestibus induere, rhedam vel cymbam præparare, in via comitari, in aliquo loco expectare, demum ornare, cibos & alimenta præparare, licet in aliquibus casibus præsciant eos aliquando hisce servitiis abuti; puta quia induitur pretiosioribus vestibus, ut ad amasiam pergat, quia aliquando in domo concubinam excipit, ad eam invisendam in itinere declinat, ad mensam invitat. Ratio est, quia cum hujusmodi ministeria talia sint, ut licite ipsis uti domini possint, & si ad pravum finem ordinentur, ex eorum profluit malitia, justa de causa possunt ea a famulis exhiberi, nimirum ut muneri suo satisfaciant, & ipsi habeant unde vivant. Sic Tertullianus servis Christianis concedebat, ut dominos ubique comitarentur, etiam illos, dum ad Templa Idolorum diverterent, associarent, cum officium associationis sit tale, ut non solum in abstracto, sed etiam in individuo sit indifferens, & solum ex domini pravitate descendat, ut hunc potius locum, quam alium determinet. Et quod de associatione dixi, potest etiam aliis officiis & muneribus aptari. Sed videatur sequens

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Non licet servis ea officia & munia præstare, quæ sciunt determinate ad pravum opus a domino postulari. Sic non licet eis litteras amatorias, aut invitatorias ad peccandum deferre concubinæ vel amasiæ, illam ad domum heri ducere, lectum sternere, dum cum ea impudice conversatur custodire, vel ad duellum comitari, vel in ebrietatibus ministrare, & his similia. Quippe quia talia sunt hæc officia, & ministeria, ut nonnisi eis domini abuti possint ad scelus committendum, cujus proinde servi & participes sunt, & cooperatores: eos proinde optime monet Eccles. cap. 7. *Discede ab iniquo & deficient mala abs te*. Et S. Joan. Apocal. *Exite populus meus, ut ne sitis participes delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis*. Cavendum a laxioribus hac de re doctrinis Tamburini, Sporeri, Sanchezii, Caramuelis, & aliorum.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Non licet meretricibus nec fœneratoribus domos locare. Nam licet domus de se ordinata sit ad inhabitandum, & solum videatur ex malitia conducentis ad pravum usum determinari; nihilominus si res ut est in se ac individuo spectatur, ab his non tam ut domus ad habitandum, quam ut officina ad turpe lucrum petitur, & ordinatur; non potest igitur eis concedi, quin absolute ejus pravitati cooperemur, & tunc si non licet famulo meretricem ad domum heri deducere, quanto minus licebit meretrici domum concedere? Idem plane dicendum & de fœneratore; cum non minus divinæ adversetur legi fornicatio, quam furtum, nec minus utrique crimini cooperemur domus locatione. Sunt qui domos meretricibus loca-

locari posse conceduntur in locis a supremo Principe pro eorum inhabitatione designatis, & seorsum in angulis civitatis collocatis, ut censet Sylvius 2. 2. q. 77.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. In statu lethalis peccati versatur, qui vel meretricibus, vel concubinariis simul cum concubina conviventibus inserviunt. Nam ferme impossibile est, ut cum illis viventes plura non præstent, quæ libidinibus eorum inserviunt, præter continuum quod patiuntur peccandi offendiculum, & contra præceptum Domini jubentis fecedendum a tabernaculis impiorum, & fugiendi peccandi occasionem, & periculum. Non sine causa addidi, si concubinarius simul cum concubina in eadem domo versetur, nam si extra domum detineat, fieri potest, ut nec scandalum patiatur, nec ulla præstet domino officia, vel ministeria ejus libidini quoquo modo inservientia.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Peccant, & in pessimo statu versantur, qui fœneratoribus in ordine ad fœnus inserviunt, & ministrant, pecunias excipiendo, vel solvendo, rationes tenendo, pignora custodiendo, & vendendo in fœneratoris utilitatem; hoc enim est eorum crimini participare. Sunt tamen in aliqua urbe deputati a supremo Magistratu, ut Hebræis fœnus exercentibus adsint, ut supra usurarios contractus invigilent, syngraphas etiam, signando; at isti eorum fœnori minime consentire censendi sunt, quippe qui eo tantum fine præsident, intersunt, signant, ne Hebræi ultra id quod illis concessum est, a Christianis extorqueant, vel pauperes vexent, vel alio modo nocumentum inferant.

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Non licet Principis, vel Judicis, vel alterius Magnatis concubinæ munera elargiri ad aliquam obtinendam gratiam, vel protectionem. Nam hoc pacto donator impudicum amorem fovet, dum illa gratiam petit, iste concedit, dum ex infami commercio utilitatem illa reportat, & iste de reportato lucro gaudet, præter scandali periculum, ne in congressu & allocutione in favorem donatoris in crimen labantur.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Caupones rei sunt violati jejunii, si in diebus esurialibus vel carnes fanis, vel cœnam non indigentibus ad eorum petitionem subministrant, cum peccato proxime cooperentur, & materiam exhibeant actionis, quæ ex circumstantia temporis nonnisi mala esse potest. Nec excusantur, quod essent alio ituri, & cœnaturi, nam hoc esset velle peccare, quia alii jam sunt ad peccandum dispositi; multo minus excusandi ob lucri amissionem, quia non licet ob temporale aliquod emolumentum alterum peccato cooperari. Peregrinis vero & viatoribus, qui in Quadragesima vespere advenientes cœnam petunt, suppeditare licite queunt, quotiescumque probabiliter censent eos vel impransos, vel a jejunio dispensatos.

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM.

XIX. Peccant parentes & domini, qui in diebus abstinentiæ & jejunii filiis, vel servis carnes, vel cœnam indifferenter administrari sinunt. Ipsis enim invigilare incumbit, ne Ecclesiæ præcepta a sibi subjectis violentur, quod si negligant, eorum incuriæ ac desidiæ adscribitur, si præcepta violentur.

tur, eorumque peccatorum comparticipes & cooperatores inveniuntur.

CONSECTARIUM VICESIMUM.

XX. Peccant tabernarii & caupones, qui vinum iis suppeditant, quos certo sciunt inebriandos; & quidem quando id faciunt causa lucri, vel alterius temporalis emolumenti, nullus est, qui ambigat: at si vinum suppeditent metu mortis vel mutilationis, excusant plures Theologi, etiam sanioris doctrinæ, inter quos & P. Concina, & Tournelius. Verum quæ afferuntur momenta rem non evincunt. Nam inquit P. Concina: *Tam venditio, quam potus vini sunt actiones indifferentes, & ex sola malitia bibentium intemperanter ebrietas accidit.* At hic videtur suæ doctrinæ oblitus celeberrimus Vir; nam paulo superius dum de locatione domus meretricibus disputat, ostendit locationem domus licet de se indifferentem, factam nihilominus meretrici evadere omnino de se & ex natura sua illicitam & malam; cur igitur & eodem insistens principio non docet venditionem quidem vini esse de se indifferentem, sicut & ejus potationem, verum sicut vini potatio hic & nunc facta ab ebrietatem volente mala est, cur non & propinatio vini a sciente certo ad ebrietatem ordinati mala non erit, sed indifferens? Præterea Tom. 5. ubi disputat, num liceat in die jejunii cœnam subministrare frangentibus jejunium cap. 21. n. 5. sic Cajetanum refellit dicentem, ministrantes cibos non cooperari peccato, sed comestioni, scribens: *Si hæc Cajetani ratio consisteret, nullus foret actus malus, cui cooperari non posset homo .... nam licet comestio absolute sit actus indifferens, in eo tamen, qui jejunii præcepto obnoxius est, actus malus evadit.* Ita pari plane pacto potatio vini est quidem ex se indifferens, sed ad ebrietatem ordinata mala evadit. Subdit Concina: *Neque præcisiones metaphysicæ potissimum sine urgenti necessitate in morum controversiis transigendis admittendæ facile sunt.* Cum urgenti igitur necessitate licebit metaphysicas præcisiones admittere, ac propterea dicere, non esse illicitum tabernariis & cauponibus vina propinare ebriosis metu urgente mortis, vel mutilationis? At cur hæc eadem metaphysica præcisio locum non habet in favorem servi scalam apponentis, dominum humeris suffulcientis ad ingrediendam fenestram? Nonne hæ actiones de se & secundum metaphysicas præcisiones indifferentes sunt? & tamen eas illicitas ita pronunciat P. Concina, ut nullo metu vel mortis, vel mutilationis excusatas velit; ergo a pari nec ob similem metum excusabitur vini propinatio facta volentibus ebrietatem: nam & æque peccatum lethale est voluntaria ebrietas ac luxuria & æque, immo magis cooperatur ebrietati, qui vina ministrat, quam qui scalam apponit, vel dominum humeris suffulcit ingredientem ad stuprum. Discrimen utriusque actionis libenter audirem, unde altera indifferens evadat, altera mala persistat, si idem urgeat metus mortis vel mutilationis, ipse certe reperire non valeo. Respondit Tournelius de Carit. art. 3. *Si dicas cauponem, qui militibus vinum præbet, velle interpretative ebrietatem; dicam eum, si vinum denegat, velle interpretative vel mortem suam, vel familiæ suæ, vel excidium domus, aut blasphemias, & execrationes ipsa ebrietate pejores.* Inepta profecto retorsio. Unde enim interpretativa ista voluerit? Quia nequitias, hæc scelera milites ob denegatum vinum patrabunt? At hæc crimina ex eorum malitia proficiscentur, cum non alia adsit connexio inter denegatum vinum, & stragem, & excidium domus, & execrationes, ac blasphemias nisi quam inducit malitia, non quam po-

stu-

stulat rei natura, alioqu n Christus interpretative voluisset omnes blasphemias Judæorum, sive dum dicebant *in Beelzebub principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia*, sive dum in Cruce pendenti dicebant, *vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus readificas, salvum fac temetipsum descendens de Cruce. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Christus rex Israel descendat nunc de Cruce, ut videamus, & credamus*; cum hæc omnia ex ejus miraculis & morte ob Judæorum malitiam sequerentur. At non ita est in vini propinatione, quæ de se materia est ebrietatis, & ad ebrietatem ordinatur, & poscitur a milite ebrioso. Iterum reponit Turnelius: *Dicam secundo, non censeri quempiam velle interpretative, quod contra intentionem suam justa & gravi de causa fieri permittit*. Verum hic non de permissione ebrietatis disputatur, sed de influxu & cooperatione ad ebrietatem per vini ministrationem. Fateor, & perspicio non censeri velle ebrietatem, qui eam non impedit, quando vel non potest, vel non tenetur; ac non video, nec intelligo, quamobrem non censeatur velle ebrietatem interpretative, qui ebrietatis materiam ministrat, & quando, & illi, qui ad eam vinum ordinat & poscit. Hæc dicta sint, ut doctiores ad rem maturius examinandam impellam. Videantur dicta Tract. 3. cap. 4. Consect. 15.

CONSECTARIUM VIGESIMUMPRIMUM.

XXI. Non peccat Sacerdos, qui peccatori occulto Sacramenta publice petenti ministrat, vel Confessarius, si peccatum ex sola noverit Confessione, licet occulte petat. Manifesta est hujus Consectarii veritas, tum quia Sacramenta ex eorum genere sunt, quæ possunt in quacumque occasione licite & illicite sumi, quod autem indigne suscipiantur, ex sola suscipientis proficiscitur malitia. Deinde optime docet S. Th. 3. p. q. 80. art. 6. ad 2. *Licet pejus sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo Corpus Christi, quam infamari; tamen Sacerdoti ministranti Corpus Christi pejus est peccare mortaliter infamando injuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet; quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato*. Præterea exemplum habemus Christi Domini, qui Judæ Eucharistiam, cum aliis distribueret, non denegavit. Confessarius vero nec occulte petenti denegare potest, si crimen ex sola noverit confessione, cum scientia confessionis extra Sacramentum uti non debeat, licet non violetur sigillum; eapropter hanc propositionem damnavit Innoc. XI. *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur*. Et merito reprobavit, quia & injuria irrogatur sigillo, & gravis atque odiosa redditur pœnitenti confessio, quoties noverit usum aliquem fieri posse notitiæ per confessionem habitæ.

CONSECTARIUM VIGESIMUMSECUNDUM.

XXII. Non licet Sacramenta petere a Sacerdote concubinario, vel in lethali peccato existente, nisi in gravi necessitate. Si vero Parochus sit, licet ab eo Sacramenta recipere ex justa causa, in extrema vero necessitate licet a quocumque etiam hæretico & schismatico petere, & recipere Sacramenta summæ necessitatis, Baptismum scilicet & Pœnitentiam. Ratio primæ partis est, quia non solum alieno cooperaretur sacrilegio, qui ab indigno Ministro petetet.

ret Sacramenta, sed etiam illi offensionis, & scandali causa foret, & occasio. Si vero gravis urgeret necessitas, posset petere, quia ille posset licite conferre si vellet. Licet vero a Parocho accipere justa urgente causa, puta præcepto Paschalis Communionis, nam una ex parte & Parochus ex officio hoc Sacramentum administrare tenetur, proinde esse debet semper bene dispositus ad ea ministranda, quod vero talis non sit, hoc ex ejus sola profluit malitia; ex altera præceptum urgens justam mihi præbet & petendi & accipiendi causam. Tertiam denique partem evincit & perpetua Ecclesiæ praxis, *qua* (ut inquit Concil. Trident. sess. 14. cap. 7.) *semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibusvis casibus & censuris absolvere possint*. Et doctrina Augustini lib. 2. de Bapt. cap. 11. scribentis: *Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace catholica custodita, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, unde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime, verissimeque laudamus, quia præsentem Deum credidit cordi suo, ubi unitatem servabat, & sine sancti Baptismi Sacramento, quod ubicumque invenit, non hominum, sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare*. In omnibus tamen hisce casibus caritas postulat christiana, ut si alius adsit Minister probus & dignus, ab eo Sacramenta, & petantur, & accipiantur, ut quantum per nos licet, & Dei offensa, & proximi avertatur spiritualis ruina.

REFLEXIO.

Væ mundo a scandalis, vociferatur Christus, ut terrorem incutiat horribili maledictione, & terribili comminatione; plerique enim Christianorum scandalosum causa in sempiternam ruunt perditionem, mutuo enim se homines in peccata & pertrahunt, & pertrahuntur. Scelera jam non amplius clanculum perpetrantur, sed omni pudore discusso, palam in ipso solis conspectu impudentissime ostentantur. Nullus fere in urbe locus, ubi sedens non conspiciatur vel Thamar, vel Dalila *ornatu meretricio præparata ad capiendas animas, garrula & vaga*. In theatris, in scenis ars amandi edisciitur, & docetur. Pendent in aulis obscœnæ imagines libidinis irritamenta; carmina leguntur, cantica resonant animos emollientia, intimosque sensus pervadentia. Libri exundant Romanensibus [ut vocant] fabulis referti, in quibus nonnisi amores leguntur, & sub obtentu narrationis jucundæ, artes exponuntur, modi, fraudes, quibus vel a conjuge decipiatur maritus, vel a filia matris vigilantia eludatur, vel seligatur amasius, vel fuga & raptu, stupro, matrimonio, vel impudicissimo concubitui sternatur via. In mulierum & virorum conventibus turpia miscentur ad hilaritatem colloquia. In ipsis Ecclesiis vel dum sacrificium Altaris offertur, vel dum sacratissimum Christi Corpus publico cultui ac venerationi proponitur, annuunt oculis, pede vel cubitu impingitur, ore subridetur, eaque libertate miscentur colloquia, qua in foro, in triviis, in plateis. Fœnebres contractus passim celebrantur. Patent aleatoriæ officinæ, cubicula in omne ludi genus parata. Vindictæ, odia, dissensiones in propatulo sunt. Dei nomen ubique juramentis, blasphemiis

is, dejerationibus laceratur, ut Christus videatur, quemadmodum olim Hierosolymis, per vicos, per plateas, per compita ad ludibrium, ad contemptum, ad dehonestationem rapi & abduci. Quid quod ipsi lapides Sanctuarii dispersi sunt in angulis platearum, auri mutatus est color optimus. & fidelium condiendis mentibus electum sal adeo est infatuatum, ut & ab ipsis seculi hominibus proculcetur? Simonia, avaritia, libido, invidia Sanctuarium ingressæ sacrorum Ministrorum animos & mores corrumpunt, inficiunt, detupant. Laxiores inventæ in moribus doctrinæ Evangelica præcepta, vel tollunt, vel eludunt, vitia & peccata vel excusant, vel approbant, vel permittunt, Sacramenta indignis administrantur, & Sanctum datur canibus, & projiciuntur divinorum munerum margaritæ ante porcos, qui eas pedibus proculcant, atque profanant. Ipsa fidei sacrosancta dogmata novis interpretationibus, exoticis explicationibus corrumpuntur. O tempora, o mores! Quis in tanta scelerum & flagitiorum colluvie germanam Christianæ Religionis faciem agnoscat? Nonne versari videmur inter barbaros omni virtutis, Religionis, pietatis, fidei idea orbatos penitusque destitutos?

At væ, subdit Christus, *homini illi, per quem scandalum venit: omnis enim plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum, arbores infructuosæ, bis mortuæ*, & propter propria, quæ committunt scelera, & propter aliena, quæ scandalis suis pariunt crimina, *quibus procella tenebrarum servata est in æternum*. His merito dici potest: *vos ex patre Diabolo estis* [ut scribit S, Augustinus lib. 2. adv. epist. Petiliani) *Diaboli filii, sunt, qui homines ab Ecclesia seducendo interficiunt, qui alios ad peccandum inducunt, qui fratres scandalizant ... A quibus* (subdit Bernardus) *videtur Christus graviorem sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione ab eo pervertunt animas, quos redemit quam a Judæo, qui sanguinem suum fudit*. Et merito quidem, *nam* Judæorum manus (verba sunt S. Leonis) *dum incumbunt sceleri, famulatæ sunt Redemptori*; at iniquorum scandala Redemptoris opera mortem, Crucem, & Sanguinem inutilia reddunt & infructuosa. *Expediret utique illi, ut suspenderetur mola asinaria in collo ejus, & demergeretur in profundum maris*. Veniet siquidem illa dies vindictæ, furoris, & indignationis, qua impiis istis exprobabit Christus: *Adversus filium matris tuæ ponebas scandalum, hæc fecisti, & tacui; existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam*. *Minæ illæ* (sic exponit Chrysost. hom. 7. in Genes.) *austeræ sunt, & magnam secum condemnationem afferunt*. *Væ enim, hoc est quasi lamentantis, supplicium illud non evasuros*. *Alii siquidem pro peccatis suis pertulerunt vindictam, mediocrius tamen, & parcius. Hi vero, qui eis fuerunt causa peccandi, multo vehementiori subjacent ultioni; nam longe gravius est, aliis causam præbere peccati, quam ipsum unumquemque peccare; quare datur vindicta multo gravior in eos, qui scandalizaverunt, quam in eos, qui peccaverunt*.

Necessitatem vero maximam scandala declinandi præ oculis ponit cælestis Magister, dum subdit Matth. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te .... & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*. Quæ verba sic exponit Chrysost. hom. 59. in Matthæum: *Viam monstrat*, qua

scandala possimus effugere. Quænam illa est? Imperabat, inquit, quamvis admodum tibi sint amici, ab amicitia tua abscinde, insolubile-que tibi affert ratiocinium. Nam si amici tui maneant, neque illos lucraberis, & te ipsum perdes; si abscindas, tu saltem salutem consequeris. Quamobrem, si cujuspiam te amicitia lædat, exscinde illum abs te. Nam si membra nostra aliquando abscindimus cum insanabilia sunt, ceterisque membris nocent, multo magis amicos removere oportet .... Nihil quippe ita noxium ut consuetudo pravorum. Nam quæ necessitas non potest, sæpe amicitia potest, tum ad damnum, tum ad utilitatem. Ideoque eos, qui nobis noxii sunt, cum multa vehementia abscindere jubet, hos subindicans, qui scandala afferunt. Non loquitur de manibus, & oculis materialibus (subdit Euthymius) *sed de iis, quæ sunt occasioni, scandalo, offendiculo in via virtutis. Non dixit percute, sed amputa, manifestans omnimodam separationem. Dicens quoque amputa, non ibi permansit, sed ulterius sermonem extendit, addens* projice abs te, *ne in proximo remanens fiat rursus familiaris. Præcidamus ergo a nobis* (scribit Origen. tract. 15. in Matth.) *quasi manum, & pedem, vel oculum patrem, vel matrem volentes nos agere contraria pietati; vel filium, vel filiam, qui quantum ad se faciunt eos recedere ab Ecclesia Dei, & Christi dilectione. Sed etsi uxor gremii nostri, vel amici unanimes, facti fuerint scandala nobis, præcidamus eos ab anima nostra quasi non amicos, sed adversarios salutis nostræ.* Et sane præceperat Deus in veteri Lege Deut. 13. v. 6. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: eamus, & serviamus diis alienis ... non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis & occultes eum, sed statim interficies.* Et in novo Testamento Doctor Gentium ad Corinthios scribens 1. cap. 5. v. 9. sic eos instruit: *Scripsi vobis in epistola: ne commisceamini fornicariis. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum hujusmodi nec cibum sumere.* Tanta est scandali declinandi necessitas, quanta peste infectos devitandi, nec minor esse nobis debet æternæ cura salutis, quam temporalis aliquando perituræ. *Quo ordine vero declinare scandala possimus, ita Christus insinuat, nimirum si nos ipsos ne quem lædamus attendimus, si peccantem zelo justitiæ corripimus, si ex corde pœnitenti misericordiæ pietatisque viscera prodimus.* Sic docet Beda.

ETHI-

ETHICÆ CHRISTIANÆ, SIVE THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS QUINTUS

DE DECALOGI PRÆCEPTIS.

CAPUT I.

DOCTRINA.

I. *Decalogi praecepta theologicas subsequuntur virtutes.*
II. *Decalogi definitio explicatur.*
III. *Quomodo omnia praecepta in Decalogo contineantur.*
IV. *Etiam illa, quae ipsi Decalogo superaddita videntur.*
V. *Quam convenienter posita sint decem Decalogi praecepta.*
VI. *Quomodo dividantur in duas tabulas.*
VII. *De immutabilitate praeceptorum.*
VIII. *Primum Decalogi praeceptum quid jubeat.*

I. DECALOGI praecepta ad theologicas subsequi virtutes clare ostendit S. Thom. 2. 2. q. 16. art. 1. de fide sic scribens: *Lex non imponitur ab aliquo Domino nisi suis subditis: & ideo praecepta legis praesupponunt subjectionem cujuslibet recipientis legem ad eum qui dat legem. Prima autem subjectio hominis ad Deum est per fidem, secundum illud ad* Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere quia est: *& ideo fides praesupponitur ad legis praecepta.* Quod & de spe, quae fidem subsequitur, idem dicendum nemo ambigit. De caritate vero tum Dei, tum proximi docet Angel. Praeceptor, eatenus ad Decalogum pertinere, quia duo ejus praecepta sunt veluti principia, ad quae omnia revocantur praecepta, ad quae proinde praesupponuntur: sic itaque docet 1. 2. q. 100. a. 3. 1. *Dicendum, quod illa duo praecepta* (diliges Deum tuum, & diliges proximum tuum) *sunt prima & communia praecepta legis naturae, quae sunt per se nota rationi humanae vel per naturam, vel per fidem; & ideo omnia praecepta Decalogi ad illa duo referuntur, sicut conclusiones ad principia communia.* Recte itaque methodo a theologicis virtutibus ad Decalogi explicanda praecepta progredimur.

II. Decalogus recte ex S. Thom. definiri potest: *Lex divina naturalis decem complectens praecepta, & tabulis lapideis Dei digito insculpta, ac populo Judaeorum data.* Dicitur *Lex divina*, quia inquit S. Thom. 1. 2.

q. 100. art. 3. *precepta Decalogi Deus per se ipsum dicitur populo propofuisse, alia vero præcepta propofuit populo per Moysem*. Additur *naturalis*, quia omnia naturæ præcepta complectitur, quæ in triplici sunt differentia; alia siquidem quæ per se nota sunt, & sunt prima universalissima illa principia: *Bonum est faciendum, & malum fugiendum*: alia vero quæ ex his proxime deducuntur, & solo sunt nota lumine rationali, ut *honora patrem, & matrem*. Tertio denique loco illa collocantur, quæ ex ipsis primis principiis, licet longius, profluere sapientum animadversio nos edocet, cujusmodi esset, honora personam senis.

III. Quomodo autem hæc omnia præcepta in Decalogo contineantur, explicat S. Thom. l. c scribens: *Illa præcepta ad Decalogum pertinent, quorum notitiam homo habet a Deo per seipsum. Hujusmodi vero sunt illa, quæ statim ex principiis communibus primis cognosci possunt modica consideratione; & iterum illa, quæ statim ex fide divinitus infusa innotescunt. Inter præcepta ergo Decalogi non computantur duo genera præceptorum: illa scilicet quæ sunt prima, & communia, quorum non oportet aliquam editionem esse, nisi quod sunt scripta in ratione naturali, quasi per se nota, sicut quod homo nulli debet molefacere, & alia hujusmodi, & iterum illa, quæ per diligentem inquisitionem sapientum inveniuntur rationi convenire: hæc enim proveniunt a Deo ad populum mediante disciplina sapientum. Utraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, sed diversimode. Nam illa, quæ sunt prima, & communia, continentur in eis, sicut principia in conclusionibus proximis; Illa vero, quæ per sapientes cognoscuntur, continentur in eis e converso, sicut conclusiones in principiis.*

IV. Disertissime etiam ostendit D. Angel. quomodo omnia moralia præcepta ad Decalogum pertineant, quæque illis superaddita in Scripturis leguntur. Sic itaque docet l. c. art. 11. *Alia præcepta moralia superaddita Decalogo reducuntur ad præcepta Decalogi per modum cujusdam additionis ad ipsa. Nam in primo præcepto Decalogi prohibetur cultus alienorum Deorum, cui superadduntur alia præcepta prohibitiva eorum, quæ ordinantur in cultum idolorum; sicut habetur Deuteron.* 18. Non inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem, nec sit maleficus, nec incantator: nec Pythones consultat, neque divinos, & quærat a mortuis veritatem. *Secundum autem præceptum prohibet perjurium: superadditur autem ei prohibitio blasphemiæ Lev.* 24. *& prohibitio falsæ doctrinæ Deut.* 13. *Tertio vero præcepto superadduntur omnia cæremonialia. Quarto autem præcepto de honore parentum superadditur præceptum de honoratione senum, secundum illud Levit.* 19. Coram cano capite consurge, & honora personam senis: *& universaliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam majoribus, vel ad beneficia exhibenda vel æqualibus, vel minoribus. Quinto autem præcepto, quod est de prohibitione homicidii, additur prohibitio odii, & cujuslibet molitionis contra proximum sicut illud Levit.* 19. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. *Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterii, superadditur præceptum de prohibitione meretricii, secundum illud Deuter.* 23. Non erit meretrix de filiabus Israel, neque fornicator de filiis Israel: *& iterum prohibitio vitii contra naturam secundum illud Levit.* 18. Cum masculo non commisceberis, cum omni pecore non coibis. *Septimo autem præcepto de prohibitione furti adjungitur præceptum de prohibitione usuræ, secundum illud Deut.* 23. Non fœneraberis fratri tuo ad usuram: *& prohibitio fraudis secundum illud*

lud Deut. 25. Non habebis in facculo diverfa pondera : *& universaliter omnia, quæ ad prohibitionem calumniæ, & rapinæ pertinent*. *Octavo vero præcepto, quod est de prohibitione falsi testimonii, additur prohibitio falsi judicii, secundum illud Exod.* 23. Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a veritate devies : *& prohibitio mendacii, sicut ibi subditur*: Mendacium fugies : *& prohibitio detractionis, secundum illud Lev.* 19. Non eris criminator, & sufurro in populis. *Aliis autem duobus præceptis nulla adjunguntur, quia per ea universaliter omnis mala concupiscentia prohibetur.*

V. Decalogus decem numero præcepta completitur, quorum priora tria ad primam Tabulam spectare, posteriora septem ad secundam agnoscit S. Thom. eorumque convenientiam sic sapientissime ostendit ibid. art. 5 *Sicut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad quamdam communitatem humanam; ita præcepta legis divinæ ordinant hominem ad quamdam communitatem, seu rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem, quod aliquis in aliqua communitate bene commoretur, duo requiruntur: quorum primum est, ut bene se habeat ad eum, qui præest communitati; aliud autem est, ut homo bene se habeat ad alios communitatis consocios. Oportet igitur, quod in lege divina primo ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum, & inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos simul convenientes sub Deo. Principi autem communitatis tria debet homo, primo fidelitatem secundo reverentiam, tertio famulatum. Fidelitas quidem ad Dominum in hoc consistit, ut honorem principatus ad alium non deferat: & quantum ad hoc accipitur primum præceptum cum dicitur*, Non habebis Deos alienos. *Reverentia autem ad Dominum requirit, ut nihil injuriosum in eum committatur: & quantum ad hoc accipitur secundum præceptum*, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Famulatus autem debetur Domino in recompensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi: & ad hoc pertinet tertium præceptum de sanctificatione sabbati in memoriam creationis mundi. Ad proximos autem aliquis bene se habet & specialiter, & generaliter. Specialiter quidem quantum ad illos, quorum est debitor, ut eis debitum reddat: & quantum ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum. Generaliter autem quantum ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo quandoque quidem in propriam personam, quantum ad consistentiam personæ; & hoc prohibetur per hoc quod dicitur*, Non occides : *quandoque autem in personam conjunctam, quantum ad propagationem prolis; & hoc prohibetur cum dicitur*, Non mœchaberis : *quandoque autem in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque; & quantum ad hoc dicitur*, Non furtum facies. *Nocumentum autem oris prohibetur, cum dicitur*, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *Nocumentum autem cordis prohibetur, cum dicitur*, Non concupisces.

VI. At decem horum præceptorum partitionem non unam esse agnoscit S. Doctor scribens art. 4. *Præcepta Decalogi diversimode a diversis distinguuntur*. Et primo Hesychii distinctionem affert, qui dicebat, *præceptum de observatione sabbati non esse de decem præceptis, quia non est observandum secundum litteram secundum omne tempus*: quam opinionem refellit subdens : *Sed hoc videtur inconveniens, quod præceptum de observatione sabbati præceptis Decalogi interponatur, si nullo modo ad Decalogum pertineat.*

De-

Deinde cum Hesychius duo in primo mandato distingueret præcepta pertinentia ad Deum, ut primum sit, *Ego sum Dominus Deus tuus*, secundum sit, *Non habebis Deos alienos*, pariter illum refutat subdens: *Cum scriptum sit Matth. 6.* Nemo potest duobus Dominis servire, *ejusdem rationis esse videtur, & sub eodem præcepto cadere.* Ego sum Dominus Deus tuus, & Non habebis Deos alienos. In cujus veritatis confirmationem auctoritatem affert Origenis illa duo pro uno præcepto constituentis; a cujus tamen opinione, dum quatuor præcepta ad Deum ordinata distinguit, & sex ad proximum, recedit, ut Augustini sequatur doctrinam, *qui* [scribit S. Doctor] *convenientius ponit sub uno præcepto*, Non habebis Deos alienos, & non facies sculptile, *ac similiter etiam concupiscentia uxoris alienæ ad eamdem rationem pertinet ad concupiscentiam carnis. Concupiscentiæ autem aliarum rerum, quæ desiderantur ad possidendum, pertinent ad concupiscentiam oculorum. Unde Augustinus ponit duo præcepta de* non concupiscendo rem alienam, & uxorem alienam: *& sic ponit tria præcepta in ordine ad Deum, & septem in ordine ad proximum. Et hoc melius est.* Hanc autem doctrinam tradit Augustinus quæst. 71. in Exodum scribens: *Quæritur, decem præcepta legis quomodo dividenda sint, utrum quatuor sint usque ad præceptum de sabbato, quæ ad ipsum Deum pertinent, sex autem reliqua, quorum primum est, honora patrem, & matrem, quæ ad hominem pertinent, an potius illa tria, & ista septem. Qui enim dicunt, illa quatuor esse, separant quod dictum est*, Non erunt tibi alii Dii præter me, *ut aliud præceptum sit*, Non facies tibi idolum .... *Unum autem volunt esse*, Non concupisces uxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui, *& omnia usque ad finem. Qui vero illa tria esse dicunt, & ista septem, unum volunt esse quidquid de Deo colendo præcipitur, ne aliquid præter illum pro Deo colatur; hæc autem extrema in duo dividunt, ut aliud sit*, Non concupisces uxorem proximi tui, *aliud*, Non concupisces domum proximi tui. *Decem autem esse præcepta nemo ambigit, quoniam hoc Scriptura testatur .... Mihi autem videtur congruentius accipi tria illa, & ista septem.*

VII. De immutabilitate horum præceptorum tractat S. Thom. hic art. 8. Verum cum de hoc late disputaverimus in Tract. de Legibus cap. 10. nihil hic addendum censemus.

VIII. Primum Decalogi præceptum licet negative efferatur, continet tamen etiam præceptum de uno vero Deo colendo; ut enim optime explicat Tridentini Concilii Catechismus n. 3. *Quod dicitur*, Non habebis Deos alienos coram me, *eam habet sententiam conjunctam*, Me verum Deum coles, alienis Diis cultum non adhibebis. Duo igitur designantur præcepta, alterum negativum, quod falsorum Numinum vetat adorationem, alterum affirmativum in eo inclusum, mandans verum Deum adorari & coli. Violant ergo hoc primum præceptum, qui a veri Dei cultu quoquo modo recedunt, sive per atheismum, sive per polytheismum, sive per hæresim, vel alio quocumque superstitioso cultu, de quibus plura diximus in Tract. de Fide, & nonnulla alia inferius addemus. Implet vero virtus Religionis, quæ Dei cultum respicit, regit, atque ordinat, & de hac virtute tractabimus, ut & quæ sint a Christifidelibus in Dei cultum præstanda, & quæ vitanda ceu illi contraria designentur. Pluribus Dissertationibus rem totam complectimur, in quibus de virtute Religionis, ejus objecto, natura, perfectione, actibusque tractabimus, deinde vero vitia illi opposita expendemus.

CA.

CAPUT II.

Præcedentis Doctrinæ Consectaria.

I. *Ad observantiam præceptorum Decalogi omnes homines tenentur, sed præcipue fideles.*

II. *Præter præcepta Decalogi Christus in Evangelio alia adjecit præcepta.*

III. *Præcepta Dei observatu impossibilia non sunt.*

IV. *Sunt quidem carni & Sanguini difficilia.*

V. *Qui Decalogum saltem quoad substantiam memoria non tenent, lethali peccato excusari non possunt.*

VI. *Decalogi præcepta alia affirmativa, alia negativa.*

Reflexio.

Consectarium Primum.

I. AD observantiam præceptorum Decalogi omnes homines tenentur, & præcipue Fideles. Cum Decalogus explicatio sit legis naturæ, nullus est inter homines, qui a legis naturalis custodia eximatur. Christus vero in Evangelio legem Decalogi confirmavit, & ad salutem consequendam ejusdem observantiam necessariam esse denuntiavit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Dicit ille, *Quæ?* Jesus autem dixit: *Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Hinc velut impia & hæretica habenda Lutheri doctrina docentis in ser. de Moyse: *Decem præcepta ad nos non pertinere, sed ad solos Judæos:* quam proinde merito damnavit Tridentina Synodus sess. 6. cap. 16. can. 19. definiens: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.*

Consectarium secundum.

II. Præter præcepta Decalogi Christus in Evangelio alia adjecit præcepta disponentia ad id, quod est in lege nostra præcipuum, scilicet gratiam Spiritus Sancti, & etiam consilia ad perfectionem christianæ vitæ. Primam hujus Consectarii partem fuse satis ostendimus, & explicavimus Tract. 1. de Legibus Diss. 2. cap. 7. & seq. Alteram vero de consiliis hic addimus, ut errorem Melancthonis fugiendum indigitemus, qui lib. de Loc. com. Theologiæ tit. de discrimine præceptorum & consiliorum scribit: *Quidam fingunt in Evangelio consilia esse de non vindicando, de paupertate, de virginitate, & quidam putant in Evangelio doceri hoc fine, quod hæc opera magis mereantur reconciliationem aut salutem, quam alia opera. Deinde fingunt hæc opera perfectionem esse. Sed hæc sunt plena errorum & superstitionum. Una est lex Dei, quæ nihil nisi præcepta continet.* Perverso huic errori veram opponimus Angelici Patris catholicam doctrinam, qui sic scribit 1. 2. q. 108. art. 4. „ Hæc est differentia inter consilium, & præceptum, quod præceptum „ importat necessitatem, consilium autem „ in optione ponitur ejus, cui datur; & ideo „ convenienter in nova lege, quæ est lex libertatis, supra præcepta sunt addita consilia, non autem in veteri lege, quæ erat lex servitutis. Oportet igitur, quod „ præcepta novæ legis intelligantur esse data de his, quæ sunt necessaria ad consequendum finem æternæ beatitudinis, in „ quem lex nova immediate introducit. „ Consilia vero oportet esse de illis, per quæ „ melius & expeditius potest homo consequi „ finem prædictum. Est autem homo constitutus inter res mundi hujus, & spiritualia bona, in quibus æterna beatitudo con-

„ consistit ; ita ut quanto plus inhæret uni „ eorum , tanto plus recedat ab altero , & „ e converso . Qui ergo totaliter inhæret „ rebus hujus Mundi , ut in his finem con„ stituat , habens eas quasi rationes & regu„ las suorum operum , totaliter excidit a „ spiritualibus bonis ; ideo hujusmodi inor„ dinatio tollitur per præcepta . Sed quod „ homo totaliter ea , quæ sunt mundi , ab„ jiciat , non est necessarium ad pervenien„ dum in finem prædictum , quia potest „ homo utens rebus hujus Mundi , dummo„ do in eis finem non constituat , ad bea„ titudinem æternam pervenire , sed expedi„ tius perveniet totaliter bona hujus mundi „ abdicando ; & ideo de hoc dantur consilia „ Evangelica " . Quod vero Dominus consilia evangelica proponens vim præcepti in eis non designaverit , probat S. Thom. in resp. ad 1. subdens : „ Dans consilium perpetuæ paupertatis Matth. 19. præmittit , „ *Si vis perfectus esse* , & postea subdit, *Vade , & vende omnia , quæ habes* . Similiter dans consilium perpetuæ castitatis cum „ dixit *Sunt eunuchi , qui castraverunt seipsos* „ *propter regnum cælorum* , statim subdit , „ *Qui potest capere capiat* . Et similiter „ Apostolus 1. ad Corinth. 7. præmisso con„ silio virginitatis dicit : *Porro hoc ad utilitatem vestram dico , non ut laqueum vobis* „ *injiciam* " .

CONSECTARIUM TERTIUM .

III. Præcepta Dei observatu impossibilia non sunt . Oppositum olim Calvinus docuit , & propugnavit Jansenius in prima sua propositione ab Ecclesia merito improbata , qua dicebat , Dei mandata justis volentibus, & conantibus esse impossibilia , & gratiam illis deesse , qua possibilia fiant . Nihil profecto magis Sacræ Scripturæ adversum , & rationi contrarium . Nam in Scriptura legibus Deut. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie , non supra te est, neque procul positum , nec in cælo situm , ut possis dicere : Quis nostrum valet cælum ascendere , ut deferat illud ad nos , & audiamus , atque opere compleamus ? Neque trans mare positum , ut causeris , & dicas : Quis ex nobis poterit transfretare mare , & illud ad nos usque deferre , ut possimus audire , & facere quod præceptum est ? Sed juxta te est sermo valde in ore tuo , & in corde tuo , ut facias illum* . Et revera quid Deo magis indignum , suæque bonitati ac justitiæ contrarium , quam impossibilia præcepta hominibus ponere , & postea ob illorum violationem eos sempiterna pœna punire ?

CONSECTARIUM QUARTUM .

IV. Præcepta Dei carni & sanguini difficilia sunt , at amantibus per gratiam Dei & caritatis fervorem suavia efficiuntur , & facillima . Ita passim Patres omnes . Audiatur D. Hieronymus lib. 2. adv. Pelag. „ Duas conversationis vias , & distincta in „ diversum itinera vivendi Salvator in E„ vangelio ostendit : *Quam* , inquit *spatiosa* „ *via est , quæ ducit ad mortem , & multi sunt* „ *qui intrant per eam* ; & rursum: *Quam arcta* „ *via , & angusta est , quæ ducit ad vitam,* „ *& pauci sunt qui inveniunt eam* . Vide quan„ ta inter has vias separatio sit , quantumque „ discrimen , illa ad mortem , hæc tendit ad „ vitam , illa celebratur & teritur a multis , „ hæc vix invenitur a paucis . Illa enim „ vitiis per consuetudinem quasi declivior ac „ melior , & veluti quibusdam amœna floribus voluptatum facile ad se rapit com„ meantium multitudinem ; hæc vero in„ sueto calle virtutum tristior atque horri„ dior ab iis tantum eligitur , quibus non „ tam delectatio itineris cordi est , quam „ utilitas mansionis . Asperam enim no„ bis

„ & insuavem virtutum viam nimia facit vi-
„ tiorum consuetudo, quæ si in partem alte-
„ ram trasferatur, invenitur, sicut Scriptu-
„ ra dicit, semita justitiæ levis". Et S. Au-
„ gustinus ser. 70. de Verb. Dom. cap. 11.
„ Omnia sæva & immania prorsus facilia, &
„ prope nulla efficit amor. Quanto ergo cer-
„ tius ac facilius ad veram beatitudinem ca-
„ ritas facit, quod ad miseriam quan-
„ tum potuit cupiditas fecit. Quam fa-
„ cile toleratur quælibet adversitas tempora-
„ lis, ut æterna pœna vitetur, & æterna
„ requies comparetur? Non immerito ille
„ Vas electionis cum ingenti lætitia dixit:
„ *Non sunt condignæ passiones hujus temporis*
„ *ad superventuram gloriam, quæ revelabitur*
„ *in nobis*. Ecce unde illud *jugum suave est*,
„ *& sarcina levis*; et si angusta est paucis eligen-
„ tibus, facilis tamen omnibus diligentibus
„ Dicit Psalmista: *Propter verba labiorum*
„ *tuorum ego custodivi vias duras*. Sed quæ
„ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitef-
„ cunt amantibus".

Consectarium Quintum.

V. Qui Decalogum saltem quoad substantiam memoria non tenent, a lethali peccato excusari non possunt. Nam quilibet fidelis sicut ea novisse tenetur, quæ sunt necessario credenda, ita illa ignorare non debet, quæ observare tenetur, & quæ sæpe urgent, cujusmodi sunt Decalogi præcepta, ut meminisse possit quid sibi divina lege præceptum sit, quidve prohibitum. Dixi tamen quoad substantiam: si enim quis ob ingenii hebetudinem verba, & ordinem præceptorum recitare nesciret a lethali culpa excusaretur, nisi forte vel ex contemptu ea addiscere recusaret, vel ex verborum ignorantia ipsorum præceptorum ignorantia sequeretur.

Consectarium Sextum.

VI. Decalogi præcepta alia affirmativa sunt, alia negativa. Priora aliquid faciendum jubent, ut sunt illa duo, *Memento diem sabbati sanctifices*, & *Honora patrem & matrem tuam*. Posteriora vero aliquid fieri vetant, ut sunt cetera omnia. Hoc maximum est inter affirmantium præceptorum, & negantium discrimen, quod hæc obligant *semper & pro semper*, idest omni loco, & tempore, ac quibusvis positis circumstantiis. Affirmantia vero obligant quidem *semper at non pro semper*, sed solo debito tempore, opportunisque circumstantiis; sic filius non tenetur semper in omni loco & tempore parentes honorare, sed solum quotiescumque cum illis tractare debet. In præceptis affirmativis, quæ actionem aliquam bonam imperant, præceptum includitur negativum, quo mala opposita operatio prohibetur; unde in præcepto honorationis parentum includitur præceptum vetans eos vel contemnere, vel inhonorare; & pari passu in præceptis negativis præceptum includitur positivum de bono opposito exequendo; sic cum vetamur Deos falsos colere, verum Deum venerari præcipimur; & cum interdicitur proximi occisio, præcipitur ut ei, cum possumus, benefaciamus.

R E F L E X I O.

I. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, canebat exultans spiritu Regius Psaltes. Non ignorabat siquidem, sed suo edoctus experimento probe noverat, dilatato per caritatem corde, viam divinorum mandatorum non amplius impeditam, salebrosam, asperam esse, sed planam suavem, facilem, quam quilibet posset sine difficultate currere, perseveranter tenere, in-

flam-

stanter custodire. Amor solus est, qui leve efficit quod onerosum, amabile quod molestum, delectabile quod asperum. *Secari* (scribit S. August. ser. de Verb. Dom. cap. 11.) *& uri se homines patiuntur, ut dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur. In languida & incerta vacationis brevissima atque ultima vita immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quam in otio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quam horribili & tremenda sævitia cæli & maris importuni sunt mercatores, ut divitias ventosas acquirant, majoribus, quam quibus acquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, a fossis, a præcipitiis, a fluminibus, a feris perferunt venatores, quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas vilissimi & sordidissimi cibi & potus angustias, ut bestiam capiant, & interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, sunt epulis necessariæ? Quamvis etsi aper, cervusque capiatur, magis suave sit venantis animo, quia captus est, quam comedentis palato, quia coctus est. Quantis etiam cruciatibus prope quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam in scholis vigiliarum & abstinentiæ molestiis exercentur non propter discendam sapientiam, sed propter opes honoresque vanitatis, ut numeros & literas, & disertas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus, qui hæc non amant, eadem gravia patiuntur, qui vero amant, eadem quidem, sed non gravia pati videntur. Omnia enim sæva & amara prorsus facilia, & prope nulla efficit amor.* Dilata igitur, Domine Jesu diffusa per Spiritum Sanctum caritate, cor meum, tunc profecto amabo quod jubes, non erit asperum, non erit onerosum, dum sub hoc uno tuo dulci & suavissimo jugo, quanto minus tumida, tanto magis libera cervice deserviam.

II. Impellere etiam nos debet, & quam maxime urgere ad implenda mandata Decalogi illa, quæ repromissa est, *in custodiendis illis retributio multa. Pax enim multa diligentibus legem* in hac vita, ubi tot concutimur bellis, *est enim nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* In altera vero reservata copiosa merces, & *mensura bona, conferta, & coagitata, & supereffluens, quæ dabitur in sinu nostro, ubi electi Dei, sancti & dilecti inebriabuntur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis potabit eos, quoniam apud ipsum est fons vitæ, & in lumine suo videbimus lumen,* & tunc sciemus, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se,* & quod *in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna.* Merces siquidem parata custodientibus legem Dei non erit illa olim Patribus repromissa de rore cæli, & de pinguedine terræ, quæ ad terrenam felicitatem spectare proxime videbantur, sed Regnum illud cæleste *ab origine mundi* electis *præparatum*, perenne illud *gaudium Domini, in quod intrare servi fideles & boni* jubentur. Denique visio illa beata, qua fiemus Deo similes, *quia videbimus eum sicuti est, videbimus & habebimus in nobis, habebimus & amabimus, amabimus & laudabimus.* Hinc spiritu exultans in psalterio decem chordarum modulabatur Regius Psaltes: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.*

TRA-

TRACTATUS
DE DECALOGI PRÆCEPTIS
PARS PRIMA
DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.
DISSERTATIO I.
DE VIRTUTE RELIGIONIS.

CAPUT I.

De natura, objecto, & præstantia Virtutis Religionis.

DOCTRINA.

I. *Religionis definitio.*
II. *Objectum Religionis Deus.*
III. *Qua ratione Deus sit finis, & objectum Religionis.*
IV. *Dei cultus quomodo ad Religionem pertineat.*
V. *Religio ceterarum virtutum moralium præstantissima.*

I. RELIGIO juxta D. Thom. sic definitur:

Religio est virtus moralis, qua Deo tanquam primo rerum omnium principio, & supremo Domino debitus cultus exhibetur.

Virtus est, & quidem ad justitiam pertinens, cujus est pars potentialis, quippe quæ rigorosum quidem debitum respicit, sed ad æqualitatem non solvit, & mores recte disponit: quis enim neget, honestissimo officio eos defungi, qui honorando Deo præbent operam? Quis non ut probos & summa laude dignos amplectitur homines illos, qui tam præclaro studio addicti sunt; e contra vero detestatur ut implos, & summe implos, qui ab eodem abhorrent?

II. Ad objectum Religionis pertinent & persona quam colit, & cultus, qui defertur personæ. Hinc objectum Religionis est Deus, non tamen directum & propinquum, sed indirectum & remotum; quia id omne, circa quod virtus versatur, & ad quod tendit, pertinet ad objectum ejus; constat autem virtutem Religionis ad Deum ordinari, immo circa illum solum aliquo modo versari, quatenus solius Dei cultum & honorem procurat; non est vero objectum directum, & propinquum, quia Religio non attingit Deum immediate, sed mediate, cultu videlicet, quem illa intendit, qui cultus per alios virtutum actus exercetur, ab intentione colendi Deum plane distinctos. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 5. „Duo „ in Religione considerantur. Unum qui„ dem, quod Religio Deo affert, scilicet cul„ tus: & hoc se habet per modum mate„ riæ,

„ riæ, & objecti ad Religionem. Aliud au- „ tem est id, cui affertur, scilicet Deus, „ cui cultus exhibetur, non quod actus, „ quibus Deus colitur, ipsum Deum attin- „ gant; sicut cum credimus Deo, creden- „ do Deum attingimus... Affertur autem „ Deo debitus cultus, in quantum actus „ quidam, quibus Deus colitur, in Dei re- „ verentiam fiunt, puta sacrificiorum obla- „ tiones, & alia hujusmodi. Unde manife- „ stum est, quod Deus non comparatur ad „ virtutem Religionis sicut materia, vel o- „ bjectum, sed sicut finis ".

III. Porro Deus objectum est & finis Religionis, quatenus spectatur ut primum rerum omnium principium, sive ut supremus illorum conditor, & gubernator. Ita docet S. Th. art. 3. „ Ad Religionem autem pertinet „ exhibere reverentiam uni Deo, inquantum „ scilicet est principium creationis, & gu- „ bernationis rerum ". Et jure merito, quia licet plura attributa, puta excellentia & perfectio divina secundum se, tum ejus operatio & beneficentia, nec non supremum in res omnes dominium, etiam divisim considerata, omni sint digna veneratione, nullum tamen illorum singillatim sumptum exprimit adæquatum religionis nostræ motivum, & integram radicem, ut ita dicam, illius subjectionis atque servitutis, quæ in cultu a nobis præstito elucere debet; at in ratione primi principii omnia cultus argumenta comprehenduntur, quia omnes divinæ perfectiones ad constituendum tale primum principium confluunt, atque desiderantur, unde optime subdit ibid. S. Doctor in resp. ad 1. „ Diversæ rationes attributorum con- „ currunt ad rationem primi principii, quia „ Deus producit omnia, & gubernat sapien- „ tia, voluntate, & potentia bonitatis suæ„.

IV. Additus denique in definitione, *quo Deo debitus cultus exhibetur* ut Religio sic a Dulia distinguatur. Illa siquidem spectat excellentiam increatam, & propter eam cultum defert, ista vero Sanctos homines vel Angelos Deo fruentes colit, & veneratur propter intrinsecas & absolutas perfectiones, quibus supra naturæ ordinem præditi sunt, ut propter visionem Dei, caritatem, sanctitatem, statumque beatum; cultus porro ille, qui ob excellentiam quantumvis magnam, creatam tamen, tribuitur, non est Religionis, sed alterius virtutis; quia ubi est diversum genus excellentiæ per se honorabile, ibi est diversum genus cultus, proinde diversæ virtutes inclinantes ad illos cultus: & excellentia propria Sanctorum toto genere distinguitur ab excellentia divina, estque per se honorabilis; constituat ergo oportet diversæ virtutis objectum; sicut per bona diversi generis per se expetenda diversorum affectuum, & habitualium inclinationum objecta designantur. Audiatur D. Thom. art. 4. „ Cum virtus ordi- „ netur ad bonum, ubi est specialis ratio „ boni, ibi oportet esse specialem virtutem. „ Bonum autem, ad quod ordinatur Reli- „ gio, est exhibere Deo debitum honorem. „ Honor autem debetur alicui ratione excel- „ lentiæ. Deo autem competit singularis „ excellentia, in quantum omnia in infini- „ tum transcendit secundum omnimodum ex- „ cessum. Unde ei debetur specialis honor ". Et rem clarius declarat in resp. ad 3. discrimen assignans inter caritatem & religionem, dicens: „ Objectum amoris est bonum; o- „ bjectum autem honoris, vel reverentiæ „ est aliquid excellens. Bonitas autem Dei „ communicatur creaturæ, non autem ex- „ cellentia bonitatis ejus. Et ideo caritas, qua „ diligitur Deus, non est virtus distincta „ a caritate, qua diligitur proximus. Re- „ ligio

„ ligio autem, qua honoratur Deus, distinguitur a virtutibus, quibus honoratur „ homo „.

V. Est autem Religio ceterarum omnium virtutum moralium præstantissima. Ita S. Thom. art. 6. docet, scribens: „ Ea quæ „ sunt ad finem sortiuntur bonitatem ex or- „ dine ad finem; & ideo quanto sunt fini „ propinquiora, tanto sunt meliora. Virtu- „ tes autem morales sunt circa ea, quæ or- „ dinantur in Deum sicut in finem. Reli- „ gio autem magis de propinquo accedit ad „ Deum, quam aliæ virtutes morales, in- „ quantum operatur ea, quæ directe & im- „ mediate ordinantur in honorem divinum. „ Et ideo Religio præeminet inter virtutes „ morales.

CAPUT II.

Actus Religionis tum interiores, tum exteriores enumerantur, & explicantur,

DOCTRINA.

I. *Actus Religionis alii interiores, exteriores alii*.
II. *Devotionis definitio*.
III. *Ex quo oriatur in corde devotio*.
IV. *Deus vera causa extrinseca & principalis devotionis*.
V. *Devotio inter actus Religionis primatum obtinet*.
VI. *Oratio vario modo definitur a Patribus*.
VII. *Duplex oratio. alia communis, alia singularis*.
VIII. *Oratio necessaria est tum necessitate medii, tum præcepti*.
IX. *Adoratio quid sit*.
X. *Adoratio exterior juncta semper sit actui interiori*.
XI. *Adoratio latreutica duplex, absoluta, & respectiva*.
XII. *Adoratio duliæ pariter duplex*.
XIII. *Adjurationis indoles explicatur*.
XIV. *Duplex adjurationis genus, imperativum & deprecativum*.

I. CUM homo & corpore constet & spiritu, & utraque facultate utriusque Conditori rependere debeat sui famulatus obsequia; eapropter D. Angel. Religionis actus in duas dispartitur classes, in interiores videlicet, & exteriores. Ad primam pertinent, devotio, & oratio; ad posteriorem vero revocantur adoratio, qua corpus nostrum Deo subjicimus; oblatio [sub cujus nomine comprehenduntur sacrificium, decimæ, primitiæ, aliaque id genus] qua nostra exteriora bona Deo offerimus, & illa omnia exteriora signa, sive actus, quibus aliquid in divini cultus protestationem assumimus, uti sunt votum, juramentum, adjuratio, & assumptio divini nominis in laudem. Ita hic quæst. 84. art. 2. Quia vero duplici natura compositi sumus (intellectuali scilicet, & sensibili) duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quæ consistit in interioris mentis devotione, & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Non de omnibus hic agemus, sed opportune suis locis, videlicet de juramento, & voto in secundo Decalogi præcepto, de decimis, ceterisque oblationibus cum præcepta Ecclesiæ explicabimus. De Sacrificio in Tract. de Sacramentis disputabimus, cætera vero modo sumimus exponenda.

De Devotione.

II. Devotionem definit Angel. Pater hic q. 82. art. 1. *Voluntas quædam prompte tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum*. Dicitur voluntas, non ad designandam potentiam aliquam sive potestatem, sed actum

actum, ut aperte docet idem D. Angel. scribens: *Devotio est actus Religionis*; sequentia vero verba designant non quemcumque etiam internum Religionis actum, sed eum, qui ad omnem divinum cultum generali quadam dilatatione se extendit, licet latiore sensu de affectibus quoque ad peculiaria obsequia tendentibus prædicetur. Nam voluntas deliberata colendi Deum ex parte materiæ & generalis esse potest, & particularis: generalis, si universam Religionis materiam, omnemque Dei colendi modum unico veluti intuitu comprehendat, particularis, si ad determinatam cultus speciem contrahatur, e. g. ad orandum, sacrificandum, peregrinandum &c. Priori duntaxat voluntati competit proprie ratio devotionis, nam per eam homo censetur se totum dicare & tradere in divinum obsequium, quia non per hanc vel illam materiam, nec ista aut illa vice, neque in certis duntaxat circumstantiis, sed semper, ubique, & omnibus modis Deo famulari proponit. Proinde S. Thom. art. 1. nos dicit esse devotos, *qui se ipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant*. Cum vero secunda, idest particularis, hanc totalem sui oblationem, & deditionem non afferat, rigide loquendo non est devotio, licet secundum quandam derivationem, & participationem prioris, ita interdum denominetur.

III. Devotio ex duplici consideratione solet oriri, nempe ex consideratione divinæ excellentiæ, & beneficiorum, quæ tanquam ex perenni fonte in nos assidue ab illo promanant, & ex consideratione inopiæ & miseriæ nostræ; & hæ considerationes dicuntur causæ devotionis ex parte hominis. Sic Angel. Pater hic art. 3. " Necesse est, ,, quod meditatio sit devotionis causa, in- ,, quantum scilicet homo per meditationem ,, concipit, quod se tradat divino obsequio, ,, Ad quod quidem inducit duplex consideratio. Una quidem, quæ est ex parte divinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius, ,, juxta illud Psal. 72. *Mihi adhærere Deo* ,, *bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*; & hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa. ,, Alia vero ex parte hominis considerantis ,, suos defectus, ex quibus indiget ut Deo ,, innitatur, secundum illud Psal. 120. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: auxilium meum a Domino*, ,, *qui fecit cælum, & terram*: & hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam ,, aliquis impeditur, ne Deo se subjiciat.

IV. Vera causa extrinseca & principalis devotionis est Deus, qui per sanctas cogitationes inspiratas, & gratiam suam excitantem, & cooperantem movet cor hominis, ita S. Thom. ibid. " Causa devotionis extrinseca & ,, principalis Deus est, de quo dicit Ambro- ,, sius super Luc. cap. 9. quod *Deus, quos* ,, *dignatur, vocat; & quem vult, religiosum* ,, *facit: & si voluisset, Samaritanos ex indevotis devotos fecisset*.

V. Devotio inter omnes Religionis actus primatum habet nedum perfectionis, sed etiam connaturalis ordinis, quia licet non sit fortasse necesse, ut voluntas prius illam distincte concipiat, quam alios particulares affectus ad hunc vel illum cultus divini modum; attamen hic videtur naturæ magis consentaneus processus, ut ab amore divini cultus generatim spectati ad particularia, quibus ille exercetur, opera suscipienda progrediatur, qui ordo si non explicite, saltem virtualiter semper servatur.

De Oratione, & Laude Dei.

VI. Oratio variis formulis descripta a SS. Patribus invenitur. Nyssenus Orat. 1. de

Orat.

Orat. Dominica, & D. Joan. Chrysost. lect. 1. de orando Deum eam vocant *Colloquium cum Deo*. D. Basil. Orat. in Julit. M. definit: *Boni cujusdam petitio, quæ a filiis Dei ad Deum effunditur*. Aug. serm. 130. de Temp. scribit: *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium?* Et in lib. de spiritu & anima cap. 50. *Oratio est conversio mentis in Deum per pium & humilem affectum*. S. Jon. Damascenus orationem definit: *Petitionem decentium a Deo*, quam definitionem amplexatus est D. Angel. hic art. 1. cui addunt Patres & Theologi hæc verba: *Cum quadam mentis elevatione*. Et revera si vel petitionis rationem, vel rerum petitarum decentiam, vel elevationem mentis ad Deum, a quo fit petitio, ab humanæ mentis actu detraxeris, illa vel orationis speciem minime habebit, vel certe non orationis christianæ, quæ nimirum religiosa sit atque honesta; si enim vel indecentia petantur, e.g. auxilium ad explendas pravas cupiditates & scelera feliciter perpetranda, vel decentia indecenter petantur, ut quando sine ulla mentis elevatione vel formali vel virtuali vocales duntaxat preces jactantur non orationis, sed execrationis nomen ea petitio meretur.

VII. Duplicem distinguit S. Thom. hic art. 12. orationem, communem, & singularem. „ Communis (scribit) oratio est, quæ per „ Ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis Deo offertur; & ideo oportet, „ quod talis oratio innotescat toti populo, „ pro quo profertur, quod non posset fieri „ nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est, ut Ministri Ecclesiæ hujusmodi orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint „ pervenire. Oratio vero singularis est, quæ „ offertur a singulari persona cujuscumque „ sive pro se, sive pro aliis orantis; & de „ hujusmodi orationis necessitate non est quod „ sit vocalis.

VIII. Oratio ad salutem æternam necessaria adultis hominibus saltem diutius viventibus existimari debet tum ea necessitate, quæ dicitur medii, tum etiam obligatione, quæ oritur ex præcepto Dei. Hæc propositio adeo vera est, ut Theologis videatur ad catholicam fidem pertinere: & revera necessitas orationis luculenter traditur in divinis literis Matth. 7. *Petite, & accipietis*. 26. *Orate, ut non intretis in tentationem*. Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere*. 1. ad Timoth. 5. *Sine intermissione orate*. Eccles. 18. *Non impediaris orare semper*: quæ verba & in sensu obvio, & juxta constantem Patrum interpretationem necessitatem important. Chrysost. ad illud Lucæ, *Oportet semper orare*, ait: *Dum oportet dicit, necessitatem inducit*. Omnes Patres, qui contra Pelagianos scripsere, eodem modo ad salutem necessariam agnoverunt orationem, quo ipsummet Dei auxilium, quare in lib. de Eccles. Dogmat. sub nomine Augustini cap. 56. sic dicitur: *Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire, nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari, nullum nisi orantem auxilium promereri*. Et certe in hoc intellectu dixit August. lib. de nat. & grat. cap. 43. dictum illud a Concilio Tridentino adeo celebratum: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere, quod non possis*. Et lib. 2. de dono persev. cap. 16 *Deum*, ait: *alia dare non orantibus, sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam*. Et esto in Scripturis, & Patribus dum necessaria decernitur oratio, genus necessitatis non explicetur, inde tamen utraque colligitur necessitas; & pti-

primo quidem illa, quæ est medii, ex verborum forma statim apparet, quæ orationem non tam jubendo necessariam faciunt, quam idcirco jubent, quia necessariam declarant, *Oportet semper orare, orate ut non intretis in tentationem &c.* Sic etiam Patres dum ex necessitate auxilii divini ad bene vivendum, & perseverandum eruunt necessitatem orandi, illam, quæ est medii necessitatem insinuant. Hac vero præsupposita, præcepti quoque obligatio consurgit non solum præcepti divini a Christo lati, ut docet S. Thom. hic art. 3. ad 2. in illis verbis *Petite & accipietis*, sed & præcepti naturalis, quod semper & in omni lege locum habuit.

De Adoratione.

IX. Adoratio generaliter sumpta significat honorem alicui exhibitum externo corporis habitu, & gestu accomodato ex hominum sensu ad indicandam magnam de ipsius excellentia, atque præeminentia existimationem; & hoc modo sumpta adoratio exprimit quid commune Deo, & creaturis. Verum persæpe in Scripturis determinate sumitur pro cultu externo Religionis, qui videlicet soli vero Deo ad ejus supremæ excellentiæ testificationem, & reverentiam est tribuendus. Et hæc vocatur adoratio latriæ, sicut cultus præstitus creaturis ob excellentiam ordinis supernaturalis gratiæ, videlicet sanctitatis, & beatitudinis dulia dicitur.

X. Tametsi D. Thom. adorationem inter exteriores Religionis actus enumeret, non eam tamen ab interiori actu disjungit, immo cum ipso semper junctam esse debere supponit; unde optime docet hic. art. 2. „ Quia ex duplici natura compositi sumus, „ intellectuali scilicet & sensibili, duplicem „ adorationem Deo offerimus, scilicet spi„ritualem, quæ consistit in interiori men„tis devotione, & corporalem, quæ consi„stit in exteriori corporis humiliatione. Et „ quia in omnibus actibus latriæ id quod est „ exterius refertur ad id, quod est interius „ sicut ad principalius; ideo ipsa exterior „ adoratio fit propter interiorem, ut videli„cet per signa humilitatis, quæ corporali„ter exhibemus, excitetur noster affectus „ ad subjiciendum se Deo, quis connaturale „ est nobis, ut per sensibilia ad intelligi„bilia procedamus.

XI. Adoratio latreutica absoluta esse potest & respectiva. Prior soli Deo & Christo tum in se, tum in Eucharistiæ Sacramento exhibetur. Respectiva vero est illa, quæ Cruci, sacrisque Imaginibus Deum repræsentantibus rependitur; nam juxta S. Thom. 3. p. q. 25. art. 3. eadem species & gradus honoris est impendendus Imagini, quem persona imagine repræsentata meretur. Sic enim docet: " Dicendum est, quod Imagini Christi „ in quantum est res quædam (puta lignum „ sculptum vel pictura) nulla reverentia „ exhibetur, quia reverentia nonnisi ratio„nali naturæ exhibetur. Relinquitur ergo, „ quod exhibeatur ei reverentia solum in„quantum est imago; & sic sequitur, quod „ eadem reverentia exhibeatur imagini Chri„sti & ipsi Christo. Cum ergo Christus ado„retur adoratione latriæ, consequens est, ut „ ejus imago sit adoratione latriæ (respective) „ adoranda.

XII. Adoratio vero duliæ & ipsa quoque esse potest absoluta & respectiva. Prior tribuitur B. Virgini, de qua sic scribit S. Thom. 3. p. q. 25. art. 4. " Cum B. Virgo „ sit pura creatura rationalis, non debetur „ ei adoratio latriæ, sed solum veneratio „ duliæ, eminentius tamen quam ceteris „ creaturis inquantum ipsa est Mater Dei. „ Et ideo dicitur, quod debetur ei non „ qualiscumque dulia, sed hyperdulia ". Unde merito damnata ab Alex. VIII. hæc pro-

propositio: *Laus quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est*. 2. Angelis. 3. Sanctis cum Christo regnantibus. Respectiva vero est, quæ eorum reliquiis & imaginibus exhibetur.

De Adjuratione.

XIII. Quandoque in Scripturis adjurationis nomen pro juramento sumitur, ut cum dixit Gen. 24. Abraham servo suo: *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te .... Posuit ergo servus manum sub femore Abraham Domini sui, & juravit illi*. Inter juramentum tamen & adjurationem hoc statuit discrimen D. Ang. hic q. 90. art. 2. " Quod per juramentum homo se " obligat ad faciendum, quod promittit, & " se ipsum immobiliter ordinat ad aliquid " agendum: per adjurationem vero alios adi- " git per aliquod divinum ad quid agen- " dum ". Hinc adjuratio definitur ex S. Thom. *Obtestatio divini nominis, sive alicujus rei divinæ, & sacræ, per quam quis impellitur vel per imperium, vel per deprecationem ad aliquid vel præstandum, vel omittendum*; at hujusmodi adjuratio si debito perficiatur modo, actus est exterior Religionis.

XIV. Duplicem itaque distinguit S. Thom. adjurationem, aliam imperativam, aliam deprecativam. De priore sic docet D. Angel. " Si aliquis per invocationem divini nominis, " vel cujuscumque rei sacræ alicui non sub- " dito adjurando necessitatem agendi aliquid " imponere intendat, sicut imponit sibi ipsi " jurando, talis adjuratio illicita est, quia " usurpat potestatem in alium quam non " habet "; & hoc nomine impiam declarat adjurationem Principis Sacerdotum Jesum adjurantem per Deum vivum in resp. ad 2. Non licet igitur nisi Superioribus imperativa uti adjuratione, unde subdit: " Propter ali- " quam necessitatem possunt Superiores suos " inferiores tali genere adjurationis constrin- " gere, " ut prædixit Paulus 1. ad Thessal. cap. 5. scribens: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus Sanctis Fratribus*. De adjuratione vero deprecativa necessitatem non inducente sic docet S. Thom. " Si vero intendat solummodo per reveren- " tiam Divini nominis, vel alicujus rei sa- " cræ aliquid ab alio obtinere absque neces- " sitatis impositione, talis adjuratio licita " est respectu quorumlibet ". Hæc itaque adjuratio licita est omnibus tum superioribus respectu inferiorum, tum his respectu illorum, tum æqualibus ad æquales.

CAPUT III.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Religio non est inter theologicas virtutes recensenda*.

II. *Licet præstantissima inter morales virtutes sedit prudentia, & pio voluntatis affectui*.

III. *Præter Religionem virtutem naturalem datur Religio virtus infusa, & supernaturalis*.

IV. *Religioni nomen sanctitatis merito convenit*.

V. *In quo devotio vere & proprie consistat*.

VI. *Quando urgeat orationis præceptum*.

VII. *Deum colere tum internis, tum externis actibus debemus*.

VIII. *Illicitus non est, nec vetitus primo Decalogi præcepto cultus imaginum*.

IX. *Licet & Sanctorum reliquias venerari*.

X. *Peccant, qui reliquias a Catholicis furantur*.

XI. *Et qui eas emunt, vel solius lucri causa venerationi exponunt*.

XII. *Res sacræ sunt veneratione dignæ*.

XIII. *Non semper est illicitum laicis res sacras contrectare*.

XIV. *Res sacras in prophanos usus adhibere non licet*.

XV. *Nihil vetat res prophanas in sacros usus convertere.*

XVI. *Conditiones ad rectam adjurationem requisitæ.*

XVII. *Quando graviter vel leviter peccent, qui eas non servant.*

XVIII. *Licet Deum & Sanctos deprecando adjurare, & imperando etiam irrationales creaturas.*

XIX. *Dæmones non nisi imperando adjurare licet ad eorum vim coercendam, morbos & infirmitates omnino non licet.*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. QUAMQUAM Religio Deum pro objecto & fine habeat, non est tamen inter theologicas virtutes recensenda, ut expresse monet S. Doctor hic q. 81. art. 5. docens: " Duo in Religione considerantur.
" Unum quidem, quod Religio Deo affert,
" scilicet cultus: & hoc se habet per mo-
" dum materiæ, & objecti ad religionem.
" Aliud autem est id, cui affertur, scilicet
" Deus, cui cultus exhibetur, non quod ac-
" tus, quibus Deus colitur, ipsum Deum
" attingant; sicut cum credimus Deo, cre-
" dendo Deum attingimus. Propter quod
" supra dictum est, quod Deus est fidei ob-
" jectum, non solum inquantum credimus
" Deum, sed inquantum credimus Deo. Af-
" fertur autem Deo debitus cultus, inquan-
" tum actus quidam, quibus Deus colitur,
" in Dei reverentiam fiunt, puta sacrifi-
" ciorum oblationes, & alia hujusmodi.
" Unde manifestum est, quod Deus non
" comparatur ad virtutem religionis sicut
" materia, vel objectum, sed sicut finis.
" Et ideo Religio non est virtus theologica,
" sed est virtus moralis, cujus esse est circa
" ea, quæ sunt ad finem.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Præstantissimam licet etiam statuamus cum D. Thom. omnium moralium virtutum Religionem, excipiendam tamen putamus piam voluntatis affectionem ad credendum, quæ cum fide theologica unam quodammodo virtutem integrat, seu saltem ad illam est necessaria dispositio, ut quæ intellectum in ejus obsequium captivat: quare non arbitror ipsam ad D. Th. comparationem pertinere, immo Religione æstimabiliorem judico, quoniam movet hominem ad nobiliorem cum Deo conjunctionem, quam effici valeat per quodcumque religionis officium. Ulterius contrahenda est præfata comparatio ad virtutes, quæ præcise & duntaxat morales sunt, ut excepta intelligatur prudentia, quæ simul est virtus intellectualis, cujus præstantiam ad reliquas omnes morales, quas suo ductu dirigit atque perficit, hic q. 47. art. 6. & 7. defendit.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Religionem aliquam naturalem hominibus inesse non videtur negari posse; & colligitur aperte ex D. Thom. hic q. 81. art. 2. ad 3. docente: " De dictamine rationis na-
" turalis est, quod homo aliqua faciat ad
" reverentiam divinam; sed quod hæc deter-
" minate faciat, vel illa, non est de dicta-
" mine rationis naturalis ". E. Apostolus
" Gentes merito reprehendit. *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* At præter hanc naturalem religionem rudem satis & imperfectam admittenda est religio supernaturalis & infusa, quæ ab illa ex triplici capite secernitur, nimirum 1. ex parte objecti remoti, seu divinæ excellentiæ, quæ ab utraque spectatur; nam religio naturalis colit Deum ut auctorem naturæ, religio infusa colit Deum

Deum ut largitorem gratiæ & bonorum supernaturalium. 2. Ex parte materiæ, quia signa, quæ naturalis religio habet ad Deum colendum, sunt naturalis tantum ordinis, atque humanæ inventionis. Religio vero infusa uti potest & supernaturalibus actibus, puta theologicarum virtutum, nam *fide, spe, & caritate* juxta Augustinum *Deus colitur*, & signis divinitus institutis, ut sunt Sacrificia & Sacramenta novæ legis. 3. Ex formali honestate, quam utraque affectat, quod discrimen in omnibus moralibus virtutibus per se infusis invenitur. Hæ enim juxta probabiliorem sententiam ab acquisitis & naturalibus distinguuntur, etiamsi in iisdem materiis versentur propter diversæ rationis honestatem, quæ in eis apparet per conformitatem rationis supernaturali fide illustratæ, & quod congruum est naturæ elevatæ per gratiam ad participationem divinarum perfectionum.

Consectarium quartum.

IV. Cum Religio homines divino cultui emancipet, sanctitatis nomen meretur, eique tribuit D. Thom. hic art. 8. Et jure merito, nam sanctitas, ut docet idem Angel. P. *duo videtur importare*, nimirum *munditiam*, & *firmitatem*. Porro Religio cum ex suo munere hominum mentes Deo jungat, quatenus ejus cultui implicatos detinet, puritatem specialem, & immobilitatem eis tribuit: puritatem, quatenus a terrenis cogitationibus, quibus mentes hominum inclinantur (& quælibet res ex commixtione cum deterioribus deturpatur) ad superiora & divina sublimat; firmitatem & immobilitatem, quatenus Deum ut primum rerum principium, adeoque & ultimum finem revereri facit: mens enim humana nunquam firmior evadit, quam cum primo principio & ultimo fini adhærescit. Præterea Religio ad omnia virtutum opera imperanda apta est, utpote quæ omnia ad colendum Deum sunt idonea, propterea etiam hac parte ad mores hominum sanctificandos maximam operam confert. Ulterius eo ipso quod homines ad Deum colendum aptos promptosque efficit, impuritatem mentis, & inconstantiam affectus, quæ a Dei cultu maxime retrahunt, peculiari cura eradicat, oppositosque inferit mores. Et licet sanctitatem internam & absolutam Religio non conferat, sed gratia habitualis, & caritas Dei diffusa per Spiritum Sanctum in cordibus hominum, adhuc tamen Religio per suos actus valde disponit, & de hujusmodi sanctitate dispositiva est D. Thom. decisio accipienda.

Consectarium quintum.

V. Devotio non est in cordis teneritudine, nec in lacrymulis facile ex oculis mulierum labentibus, sed in prompta, fideli, & sedula observantia eorum, quæ ad Dei cultum sunt ordinata juxta cujuscumque conditionem officiumque, collocanda. Effectus devotionis sic exponit Angel. Pater art. 4. „Devotio per se quidem & principaliter spiritualem lætitiam mentis causat; ex consequenti autem, & per accidens causat tristitiam. Dictum est enim, quod devotio ex duplici consideratione procedit. Principaliter quidem ex consideratione divinæ bonitatis: . . . . & ex ista consideratione per se quidem sequitur delectatio, secundum illud Ps. 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum*. Sed per accidens consideratio hæc tristitiam quamdam causat in his, qui nondum plene Deo fruuntur, secundum illud Psal. 41. *Sitivit anima mea ad Deum vivum*: & postea sequitur: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte &c.* Secundario vero causatur devotio, ut dictum est, ex consideratione propriorum defectuum . . . . Hæc autem consideratio con-

„ e converso se habet ad primam : nam per„ se quidem nata est tristitiam causare, re„ cogitando proprios defectus ; per accidens „ autem lætitiam, propter spem divinæ sub„ ventionis ". Hine quandoque a Patribus, & a sanctioris vitæ Magistris persæpe devotionis nomen spirituali lætitiæ solet attribui, tum quia devotionem ipsam nutrit, & auget, tum quia ex ipsa oritur devotione, juxta illud Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*.

Consectarium Sextum.

VI. Cum orationem necessariam diximus tum necessitate medii, tum necessitate præcepti, statuendum est, quando vigeat hæc obligatio. Certum est 1. saltem obligare ad non diu negligendam orationem. 2. Licet tempus, ultra quod sine peccato omitti non possit, exploratum, omnino non sit, quemadmodum neque tempus exercendi actus fidei, spei, & caritatis, & similes, quos necessarios ad salutem non dubitamus, non ita facile definitur ; conveniunt tamen Theologi omnes, hoc orandi præceptum saltem per accidens obligare, nimirum quoties peccator tenetur sed a gratiam disponere ; tunc enim venia peccatorum, & efficax ad conversionem auxilium imploranda illi sunt, sicut in evidenti periculo mortis, præsertim si quis tunc peccatis irretitum se adverterit, nec non in vehementi tentatione, cui alia ratione putat se non posse resistere ; denique quando spirituale, vel etiam corporale proximorum exitium oratione impediri posse speratur. Quando vero hoc præceptum per se obliget, disputant Theologi. Et primo quidem non desunt inter Theologos Probabilistæ, qui docent, præceptum orationis nunquam per se obligare, non alio momento nixi nisi illo, quo & præceptum fidei, spei, & caritatis nunquam per se urgere docent. Proinde hæc sententia tanquam omnino falsa explodenda est; & pro certo habendum, orationis præceptum per se urgere aliquando ; & 1. quidem certe in principio usus rationis. 2. Quando urgent præcepta fidei, spei, & caritatis. 3. Salmanticenses tract. 21. cap. 9. punct. 3. §. 2 n. 17. semel in anno saltem obligare docent. Joan. a S. Th. 2. 2. q. 83. art. 5. statuit, semel in mense ex præcepto adstringi fideles ad Deum orandum. Concina lib 2. in Decal. diss. 1. de Relig. cap. 5. n. 9. singulis hebdomadibus. Et certe Dominus quotidie nos orare voluit, dum docuit ut diceremus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Frequentem etiam orationem insinuant divina Oracula dum jubent ; *Oportet orare semper*, & *Sine intermissione orate*. Porro qui vel semel tantum in mense, vel etiam hebdomada ad Deum mentem erigeret, non videtur nedum physice & rigorose ad litteram, sed nec moraliter sine intermissione orare, & orare semper ; sicut non diceretur semper manducare & bibere, nec moraliter, qui semel tantum in hebdomada pranderet, immo inter jejunatores, & quidem prodigiosos enumeraretur. Non minus indiget anima orationis cibo, quam corpus esca materiali. Audiatur D. Thom. hic art. 14. in corp. qui sic Evangelicum præceptum de assidua oratione exponit : " De oratione dupliciter lo„ qui possumus : uno modo secundum se„ ipsam ; alio modo secundum causam su„ am. Causa autem orationis est desideri„ um caritatis, ex quo procedere debet ora„ tio ; quod quidem in nobis debet esse „ continuum vel actu, vel virtute ... & „ secundum hoc oratio debet esse continua. „ Sed ipsa oratio secundum se considera„ ta non potest esse assidua, quia oportet „ aliis operibus occupari ". Et ad 4. sub„ dit

„ dit : " Aliquis continue orat vel propter continuatem desiderii, ut dictum est, vel quia non intermittit, quin temporibus statutis oret, vel propter effectum sive in ipso orante, qui post orationem remanet magis devotus, sive etiam in alio ". Frequenter itaque urget hoc præceptum, & trium vel quatuor dierum orandi socordiam a lethali peccato non excusarem, nisi vel infirmitas gravis, vel aliqua urgens causa ab oratione præpediret: sicut nec præceptum impleret sanctificationis festorum, qui diebus festis nullam ad Deum precem funderet. Nec censentur hoc præceptum implere qui etsi quotide certas quasdam sibi præstitutas orationes accurate persolvunt, eas tamen sero, somniculosi, summa celeritate, absque ulla mentis attentione pronuntiant; hoc enim, ut superius diximus, non est oratio, sed execratio.

Consectarium Septimum.

VII. Deum colere, & adorare actibus tum internis, tum externis tenemur; hoc enim primo Decalogi præcepto jubetur, quod dum falsorum Numinum vetat cultum, veri Dei jubet adorationem. Urget hoc præceptum, quando orationis instar præceptum; Deum enim orando colimus, & aptius colere non possumus, quam oratione.

Consectarium Octavum.

VIII. Illicitus non est, nec primo præcepto vetitus Sacrarum Imaginum cultus, & veneratio. Ita contra Novatores definivit Trident. Syn. sess. 25. docens: " Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, Pastores docere debent, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab iis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus, sit figenda ... Sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Synodi Nicænæ decretis contra Imaginum impugnatores sancitum est. "

Consectarium Nonum.

IX. Sanctorum quoque reliquias venerari licitum est. " Manifestum est (scribit S. Th. 3. par. q. 25. a 6.) quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam membra Christi, Dei Filios, & amicos, & nostros intercessores. Et ideo illorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis inhabitantis, & operantis, & sunt Corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde & ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat, in eorum præsentia miracula faciendo. " Et ita definivit Tridentina Synodus laud. sess. 25 Decr. 2.

Consectarium Decimum.

X. Peccant qui sacras reliquias etiam devotionis causa a Catholicis furantur. Indubium omnino est, sacras reliquias a manibus Infidelium, vel hæreticorum subducere & eripere nullum esse peccatum, cum eorum irreverentiæ & contemptui subducantur, & tamquam ab injustis possessoribus vindicentur. At a fideli eas furari sacrilegum furtum est, non eo quidem nomine, quasi sacræ reliquiæ sint pretio æstimabiles, sed

sed quia & spirituale infertur damnum possessori, & magna injuste afficitur tristitia. Nec gravitas furti est ex parvitate reliquiæ dimetienda, sed ex raritate & pretiositate reliquiarum, immo & ex veneratione & affectu, quo a possessore retinebatur, & colebatur, qui eo majori injuria, & tristitia afficitur.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Peccant qui sacras reliquias vendunt, vel emunt, & qui eas venerationi exponunt principaliter ob eleemosynarum quæstum. Nam sacræ reliquiæ non sunt humani contractus materia, cum inter spiritualia, quæ pretio æstimari non possunt, computentur, & præterea S. Tridentina Synodus sess. 24. jubet, & mandat, *ut in reliquiarum veneratione omnis turpis quæstus eliminetur*. Turpem autem quæstum sectantur qui sacras mercantur reliquias, qui eas ostendunt, vel venerationi exponunt eo principali fine, ut eleemosynas extorqueant, quod profecto mentali simoniæ vitio non caret. Licet tamen pretio e manibus Infidelium vel hæreticorum sacras reliquias vindicare, nam tunc vexatio potius redimitur, quam reliquia ematur. Sicut nec illicitum est sacrarum reliquiarum thesaurario, vel custodi aliquid elargiri ad gratitudinem, vel ob incommodum. Lata est etiam excommunicatio a Gregorio XIII. in Constit. *Pontificiæ sollicitudinis* contra eos, qui sacras reliquias ex catacumbis, cryptis, & cœmeteriis Urbis auferunt, vel etiam ab aliis quibusque locis sacris furantur. A qua excommunicationis pœna immunes non sunt Prælati Regulares, qui insignes reliquias thecis inclusas, vel corpora Beatorum & Sanctorum in eorum Ecclesiis deposita vel mutilant, vel obtruncant, vel minuunt, ut aliis elargiantur, cum ea inter pretiosiora Conventus Ecclesiæque bona merito connumerentur.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Res sacræ, uti vestes sacerdotales, vasa sacra, corporalia sunt veneratione digna. Ita D. Th. 2. 2. q. 99. a. 1. docet: " Sacrum dicitur aliquid ex eo, quod ad divinum cultum ordinatur. Sicut autem ex eo, quod aliquid ordinatur ad finem bonum, sortitur rationem boni; ita etiam ex hoc, quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum; & sic ei quædam reverentia debetur, quæ refertur in Deum. Et ideo omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, & habet sacrilegii rationem ". Et art. 3. " Peccatum Sacrilegii in hoc consistit, quod aliquis irreverenter se habet ad rem sacram. Debetur autem reverentia rei sacræ ratione sanctitatis .... tanto autem sacrilegium est gravius, quanto res sacra in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem. Attribuitur autem sanctitas & personis sacris ..., & locis sacris, & rebus quibusdam aliis sacris. "

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Non semper illicitum est laicis res sacras contrectare. Nam 1. ex communi usu licitum est sacra indumenta, casulas, dalmaticas, stolas &c. laicis tangere, dum vel sacerdotes induunt, vel ut eas cum opus est laveur, vel reficiant. 2. Vasa tamen sacra, sicut & corporalia, purificatoria ab Episcopis & Prælatis consecrata, & benedicta tangere laicis non est concessum, nisi sint laici Regulares, quibus, dum Subsacristæ officio funguntur, Pontificum privilegiis id concessum est; at purificatoria, & corporalia prima lotione mundare saltem ex semper custodita praxi Subdiaconis reservatur & Diaconibus. Pixidem Christi corpus, & calicem sacrum sanguinem continen-

nentem, non nisi Diaconis, & Sacerdotibus concessum est attrectare, & a lethali peccato non excusatetur qui etiam ex devotione tangere auderet. Casus tamen potest contingere, ut non solum Pixis, vel Calix, sed & ipsum Christi Corpus a laicis absque culpa tangatur, nimirum hostiam in terram deplosam, si non adesset Sacerdos, vel Diaconus, posset laicus homo elevare, & quamprimum Sacerdoti tradere, sicut & in sinum mulieris delapsam non ipse Sacerdos, sed mulier posset, & deberet extrahere, cum ita postuler, & modestia, & periculum, & scandali amovendi ratio.

"spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui .... propter quod" Distinct. 1. de Consecr. cap. 38. ligna Ecclesiæ, statutum legitur: *Ligna Ecclesiæ dedicata non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igne comburenda; vel ad profectum in Monasterio Fratribus: in laicorum autem opera non debent admitti.* Et ibid. legitur cap. 39. *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur; cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.*

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Res sacras in profanos usus convertere non licet. Et certe dum formam suam servant, sine sacrilegio nequeunt in profanos usus adhiberi, ut si quis Calice ad potum utatur, vel sacra veste in scena; jubente Domino Levit. 27. *Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit.* Et S. Th. 2. 2. q. 99. a. 2. docet: "Si quis rem sacram violat, ex hoc ipso contra Dei reverentiam agit, & sic per irreligiositatem peccat." Cum vero per scissionem, per absumptionem censentur consecrationem amisisse, tunc si ita immutari possunt, ut nihil omnino servent de pristina forma, possunt etiam in profanos usus converti; ut Calices & vasa sacra si ita igne liquantur, ut in argenteam massam transeant, nihil vetat ex ea fieri profana vasa, cum tunc nihil sacrum in ea apparet, quod profanari dicatur. Si vero adhuc naturam suam servent, non debent ad usus profanos adhiberi, sed vel sunt comburenda, vel in alium pariter religiosum usum convertenda. Audiatur S. Th. 3. p. q. 83. a. 3. ad 3. "Dicendum quod Ecclesia, Altare, & alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam

Consectarium Decimumquintum.

XV. Nihil vetat res profanas in pios, & sacros usus convertere. Nam & in Vet. Testamento ad conficienda vasa sacra, sacerdotales vestes, Arcam Domini, Altare, vela &c. Hebræi tam masculi quam feminæ Exod. 35. *obtulerunt mente promptissima, atque devota primitias Domino ad faciendum opus Tabernaculi testimonii .... viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, & anulos, & dextralia.* In Novo Testam., sancti primorum sæculorum Pontifices domos, immo & idolorum Templa eliminata omni spurcitia in Ecclesias Deo dicatas commutarunt. Vestes quoque pretiosæ Matronarum in sacram supellectilem transmutantur; per benedictionem enim omnis, si quæ foret, tollitur immundities. Profana tamen forma ab illis tollenda, & sacra, ac sacris ministeriis apta inducenda.

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Ad rectam adjurationem servandæ sunt conditiones ad juramentum requisitæ, nimirum ut fiat *in judicio, in justitia, & veritate*, scilicet ut sit de re in se bona & licita, de re gravi & magni momenti, & non sit ad deceptionem proximi. Ita optime

me docet Theodor. quæst. 41. in Evangelia scribens: *Puto divinam legem statuere, ne quis nomen Domini pronunciet, nisi aliqua ratione aut docendi, vel orandi, aut necessaria cujuspiam occasionis. Solent enim nonnulli etiam ludentes & ridentes ut inciderint, reverendum Dei nomen lingua proferre. Hoc arbitror divina lege prohiberi. Si enim consueverunt multi pretiosiorem vestem diebus festis reservare, multo magis divinum nomen precibus, atque docendi officio æquum est consecrare.* Pater etiam ex S. Th. qui adjurationem juramento comparat scribens 2. 2. q. 90. a. 1. " Adjurare non est aliquem ad juramentum " inducere, sed per quandam similitudinem " juramenti a se inducti alium ad aliquid " agendum provocare.

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Graviter, vel saltem leviter peccant qui eas conditiones non servant. Semper enim divino nomini injuriam irrogant. Peccant autem graviter qui rem illicitam adjurando peterent, quam alter sine lethali peccato præstare nequit, puta actus libidinosos, oscula &c., quod profecto gravem injuriam irrogat Divino nomini, quo ad malum abutitur. Veniale autem est pro re levioris momenti proximum adjurare, ut optime observat Soto de justit. & jur. scribens: *Adjurationes, quæ fiunt ad superiores, non debent sine competenti ratione fieri. Est autem importunum, & religioni minus consonum, dum quidam sine necessitate, ut misirum obulum extorqueant, per Christi vulnera, perque intemerata Virginis viscera obvium quemlibet adjurare. Immo dum Deum obsecrantes adjuramus, debemus obsecrationes rei, quam postulamus, admetiri, & non pro re, quæ minima pecunia æstimatur, contremendas obsecrationes acumulare.* Qui vero mentiens vel extremam necessitatem, vel grave aliquod sibi malum imminens fingeret, & per adjurationes eleemosynas largiores impetraret, profecto nedum mendacii, & furti, sed etiam irreligiositatis grave delictum perpetraret, quia licet ad bonum opus adjurando proximum moveret, ipse tamen divino abuteretur nomine ad facinus, & divinam Majestatem contemneret. Solum vero venialis culpæ reus esset habendus, qui vere pauper vel suam exaggeraret miseriam, vel repetitis adjurationibus proximum ad eleemosynam urgeret, ut ex Soto vidimus. Videantur Suarez lib. 4. n. 7. & Concina Tom. 4. lib. 5. dissert. 9. cap. 1.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Licet Deum & Sanctos deprecando, nec non irrationales creaturas etiam imperando adjurare. Et quidem quod Deum adjurare liceat, patet ex praxi Ecclesiæ, quæ in Litaniis ad Dei misericordiam provocandam pluribus utitur adjurationibus canens, & rogans: *per Mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ: per Passionem & Crucem tuam: per gloriosam Resurrectionem tuam: per admirabilem Ascensionem tuam, libera nos Domine.* Sanctos quoque licet adjurare per eam, qua in cælis potiuntur, Dei visionem, ut nostri meminisse non dedignentur. De creaturarum vero irrationabilium adjuratione hæc est S. Th. rectissima & sapiens doctrina 2. 2. q. 90. a. 3. " Creaturæ irrationales ab alio aguntur " ad propriae operationes .... Et ideo operatio irrationalis creaturæ non solum ipsi " attribuitur, sed principaliter Deo, cujus " dispositione omnia moventur. Pertinet " etiam ad Diabolum, quia permissione divina utitur aliquibus irrationalibus creaturis ad nocendum hominibus. Sic ergo " adjuratio, qua quis utitur ad irrationalem creaturam, potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut adjuratio referatur ad " ipsam irrationalem creaturam secundum se, " & sic vanum esset irrationalem creaturam " adjurare. Alio modo ut referatur ad eum, a quo " irrationalis creatura agitur, & movetur: & sic

„ sic dupliciter adjuratur irrationalis creatu„ ra . Uno quidem modo per modum de„ precationis ad Deum directæ , quod per„ tinet ad eos qui divina invocatione mi„ racula faciunt . Alio modo per modum „ compulsionis , quæ refertur ad Diabolum.. „ Et talis est modus adjurandi in Ecclesiæ e„ xorcismis , per quos dæmonum potestas „ excluditur ab irrationalibus creaturis . "

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM .

XIX. Demones non nisi imperando adjurare licet ad eorum vim coercendam , morbos vero & infirmitates omnino non licet . Primam partem docet S. Th. l. c. a. 2. , Sicut dictum „ est duplex est adjurandi modus : Unus qui„ dem per modum deprecationis , vel indu„ ctionis ob reverentiam alicujus sacri . Ali„ us autem per modum compulsionis . Primo „ autem modo non licet Dæmones adjurare : „ quia ille modus adjurandi videtur ad quam„ dam benevolentiam , vel amicitiam perti„ nere , qua non licet ad Dæmones uti. Se„ cundo autem adjurationis modo , qui est „ per compulsionem , licet nobis ad aliquid „ uti , & ad aliquid non licet , . . . Possu„ mus ergo Dæmones ajurando per virtutem „ divini nominis , tamquam inimicos re„ pellere ne nobis noceant spiritualiter , vel „ corporaliter , secundum potestatem divi„ nam datam a Christo , secundum illud Lu„ cæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi* „ *supra serpentes , & scorpiones , & super om* „ *nem virtutem inimici ; & nihil vobis nocebit.* „ Non tamen licitum est adjurare ad aliquid „ ab eis discendum , vel etiam ad aliquid „ per eos obtinendum , (quia hoc pertinet „ ad aliquam societatem cum ipsis haben„ dam) nisi forte ex speciali instinctu , vel „ revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos „ effectus Demonum operatione utantur " . Quoad morbos vero & infirmitates licet quidem Ecclesiæ Ministros vocare , ut ægrotis manus imponant , & Deum orationibus deprecentur ad levamen , vel sanitatem pro ægrotis postulandam ; at illos adjurare plane est superstitiosum : unde merito , ut refert Jueninus Tom. 4. cap. un. § 1 de Adjurat. vetitum ab Episcopo Burdigalensi sub excommunicationis pœna , ne Sacerdotes morbos adjurent : quam sententiam confirmavit etiam S. Franciscus Salesius in suis Synodalibus constitutionibus .

R E F L E X I O .

I. Omnes quidem & justi & peccatores oratione & quidem frequenti , devota , & ardenti quammaxime indigent , cum hac sola a Deo gratias & auxilia consequi possint , queis & ab omnibus eripiantur malis , & salutem obtineant æternam . Verum ea summopere & præ ceteris peccatores indigent , præsertim si quo sint pravo habitu & vitiosa consuetudine irretiti ; nunquam enim a suo miserabili statu liberabuntur , & e vitiorum cœno eripientur nisi repetitis precibus , gemitibus , & lacrymis ad januam misericordiæ pulsent , a qua vires consequantur , & adjumenta ad ferrea quibus adstringuntur vincula dirumpenda . Assimilati profecto possunt hi Peccatores in criminum cœno demersi S. Job in sterquilinio posito , qui licet esset a planta pedis usque ad verticem capitis ulceribus plenus , & sanies undique ex ejus corpore difflueret, ajebat tamen : *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos* ; unde & sanitatem consecutus est , & duplicia illi reddita quæ Dæmonis astu, vi & odio amiserat. Ita profecto Peccatores licet vitiorum cœno demersi , licet peccatorum scabie deformes , licet scelerum sanie tabescentes , si sana tamen labia obtineant , unde Deum exorent , misericordiam postulent , liberationem efflagitent , tandem aliquando procul dubio exaudientur , liberabuntur , sanabuntur . At si & ipsa labia ulcerosa sint , exsiccata , & arida ,

arida, de eorum actum est salute, nulla est illis spes salvationis nulla liberationis fiducia. Ita enim divina sapientia præstitum est, *ut non nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat*, ut ajebat S. Innoc. I. scribens ad Concilium Carthaginense apud August. epist. 9. Et idem Augustinus lib. de persev. scribit: certum est, *Deum nobis dare aliqua etiam non orantibus, ut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut perseverantiam*. A qua doctrina non recedit, S. Th. sed confirmat diserte 3. p. q. 39. a. 5. scribens: „ Post baptismum necessaria est homini jugis „ oratio ad hoc quod cælum introeat. Licet „ enim per Baptismum remittantur peccata, „ remanet tamen fomes peccati nos impugnans interius, & Mundus & Dæmones „ qui impugnant exterius; & ideo signanter „ dicitur Lucæ 3. *Jesu baptizato, & orante* „ *apertum est cælum*; quia scilicet fidelibus „ necessaria est oratio post baptismum. " Quamobrem non aliud remanet peccatoribus ad salutem perfugium, nisi eam postulent gemitibus inenarrabilibus. Clament igitur Sacerdotes ministri Domini, vocem ut tubam exaltent, & vociferentur ad aures peccatorum, si opus est etiam dum raucæ fiant fauces eorum, *Sine intermissione orate, oportet semper orare, & non deficere: usque modo non petistis quidquam, petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis, vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere illa omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis*.

II. Porro quidnam, quove ordine a Deo in oratione petendum sit, certius & cumulatius edoceri non possumus, quam ex orandi formula a Christo tradita Matth. 6. Lucæ 11. videlicet *Pater noster*, quæ proinde est excellentissimum exemplar orationis perfectæ. Nam præter divinam Institutoris auctoritatem, totiusque Ecclesiæ, christianorum sapientum admirationem, approbationem, & praxim, ipsa nuda, omnibusque exuta præjudiciis, septem quibus constat petitionum consideratio, illarumque dispositio cogit, ut cum Augustino ad Probam fateamur: *Si recte & congruenter orare velimus, nihil aliud nos dicere posse quam quod in ista oratione positum est*. Quamvis vero eamdem invenire sit passim a SS. Patribus & Catholicis Doctoribus per singula verba declaratam, non videtur mihi prætermittenda pulcherrima expositio, quam affert A. P. 2. 2. q. 83. a. 9. Tria igitur in oratione Dominica distinguenda sunt, initialis compellatio, petitione, & clausula. Compellatio est aptissimum exordium, non jam ad artificiose captandam ejus qui oratur benevolentiam inductum, cujus immo benevolentia nos prævenit, sed ad excitandam necessariam in oratione fiduciam duplici consideratione, & caritatis divinæ, qua vult nobis bonum conferre ille, qui creatione, & adoptione, Patris nobis ostendit affectum, & excellentiæ, qua potest qui in cælis regnat, quorsum in ipso orationis aditu voces, corda, & mentes precantium eriguntur, ut a terrenis abstracta discant cælestia desiderare. Sequuntur petitiones ea serie, qua & ipsa desideria coordinari debent juxta bonorum cupitorum gradum, & dignitatem. Ita quidquid desideratur, vel est finis, vel quod ducit ad finem. Finis vel spectatur in se propter infitam bonitatem, vel ut habendus ab appetente tamquam bonum & perfectio ipsius. Sic itaque in prima petitione Deum ultimum finem spectamus ut bonum in se, ejus gloriam appetendo, quod pertinet ad dilectionem ipsius; nam quando postulamus, ut *Dei nomen sanctificetur*, non id intelligimus ut sanctum efficiatur, quod semper & summe sanctum non esse non potest, sed ut sanctum ab hominibus agnoscatur, diligatur, colatur, quo solummodo Deum exterius glorificari contingit. In secunda petitione

Deum

Deum ut ultimum finem a nobis possidendum, atque fruendum aspicimus, quod pertinet ad caritatem, qua nos ipsos in Deo diligimus, quatenus ad ejus Regnum pervenire concupiscimus, ut ejus gloria fruamur. Quæ vero sunt ad finem, vel *directe & per se* ad illum conducunt, utpote media ad ejus consecutionem idonea, aut necessaria, vel *indirecte & per accidens*, quatenus amovent contraria finis consecutionem impedientia. Circa utraque istorum versantur ceteræ petiones orationis Dominicæ; & circa primum genus tertia & quarta. Nam in tertia petimus id, quod principaliter nos ad finem beatitudinis ducit, scilicet per modum meriti, quo beatitudinem adipiscimur: hoc enim meritum situm est in observantia mandatorum Dei, qua ejus voluntatem adimplemus, sicut in cælo, & in terra. In quarta petimus quod nos instrumentaliter ad ipsa comparanda juvet; nomine enim panis quotidiani, tum spiritualis vitæ subsidia, quæ sunt auxilia gratiæ & Sacramenta, præcipue augustissimum illud, quod Christi corpore, & sanguine nos ad vitam alit æternam, tum etiam corporalis per subministrationem necessarii, & sufficientis victus, ut plerique Patres intelligunt, significamus.

Tres ultimæ petitiones ad removenda tria impedimenta, quæ maxime obstant tribus præcedentibus postulatis, ordinantur, cujusmodi sunt peccatum, quod excludit a Regno Dei, *debiti* nomine sacratum scripturarum phrasi indicatum, secundo tentationis violentia, quæ in mandatorum observantia, ac divinæ voluntatis executione deterret, postremo pœnalitatum hujus vitæ nimia molestia, qua sufficientia victus eripitur. Tandem veluti sigillo quodam claudit tota oratio voce illa hebraica *Amen*, quæ est veluti superiorum omnium recapitulatio, & virtualis repetitio ad intendendam vim & efficaciam orationis.

Fac igitur, Domine Jesu Cælestis Magister, ita quæ nos docuisti devoto animo, ardenti corde flagitare in terris, ut orationis fructum per tuæ viscera misericordiæ consequentes, te in cælis amemus, collaudemus, glorificemus in æternum.

DIL-

DISSERTATIO II.

DE ORATIONE ET LAUDE DEI PUBLICA, SIVE DE HORIS CANONICIS.

QUAMQUAM (*scribit D. Hieronymus in ep. ad Eustachium*) *Apostolus semper nos orare jubeat, & Sanctis etiam ipse somnus oratio sit, tamen diversas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium opus admoneat;* " *& paulo post orandi tempora designans subdit:* Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque, & vesperam nemo est qui nesciat. *Ita quidem Doctor Maximus de omnibus fidelibus scribebat. Verum modo Ecclesiæ consuetudine & præcepto ritus iste certis horis orandi, Clericis Religiosisque reservatus est, quem implere per se tenentur vel publice in Ecclesia, vel privatim. De hac itaque tum publica, tum privata oratione, & Dei laude sumus dicturi, a priori incipientes.*

CAPUT I.

De officii divini nomine & definitione, nec non de horarum numero, & ordine.

DOCTRINA.

I. *Ritus Deum orandi sive publice in choro, sive privatim plurimis nominibus designatur.*
II. *Divini Officii definitio.*
III. *Septem sunt Horæ Canonicæ.*
IV. *Horarum partes aliæ majores, minores aliæ.*

I. RITUS Deum orandi sive publice in choro, sive privatim pluribus nominibus donatus legitur. *Nam Officium canonicum*, sive *horæ canonicæ* appellatur, quippe qui ab ecclesiasticis canonibus sive regulis sancitus sit. Officii nomen adhibetur a S. Hieronymo in vita S. Hilarionis: *Oremus* (scribit), *psallamus, reddamus Domino officium, & sic ad vineam properabitis*. Et a Concilio Agathensi can. 27. statuitur: *Ad celebranda divina Officia ordinem, quem Metropolitani tenent, Provinciales observare debebunt*. *Opus Dei* etiam dicitur in Regula S. Donati Episcopi Vesentiensis. *Cursus Ecclesiasticus* appellatur a Gregorio Turonensi lib. 7. hist. cap. 32. Usitatiore demum vocabulo *Breviarium* dicitur, eo quia breviores tum ex Sacra Scriptura, tum ex Patribus decerptas lectiones per singulos anni temporis dies distributas pro varia temporum sive festorum ratione uno complectitur libro.

II. Divinum itaque Officium, prout in præsenti sumitur, definiri seu describi potest: *Vocales preces, & sacræ lectiones ab Ecclesia institutæ, & ordinatæ, ut quotidie, & statutis horis ab ecclesiasticis viris, & Sanctimonialibus feminis recitentur.* Dicuntur vocales preces, ut ab oratione mentali secernantur, quæ sine exteriori verborum prolatione perficitur: additur ab Ecclesia institutæ, ut innuatur ecclesiasticum præceptum distin-

distinctum a divino & naturali præcepto orandi Deum: postrema denique verba & personas, & tempus designant ad hasce preces persolvendas designata.

III. Septem sunt horæ canonicæ, nimirum Matutinum etiam Laudes complectens, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. Totidem respondent Mysteriis Passionis Christi, quæ recitantes in memoriam revocare debent, & mente versare; explicantur vero illis versiculis in Glossa Cap. *Presbyter* ext. de celebrat. Miss. recitatis.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit: latus ejus Nona bipertit:
Vespera deponit: tumulo Completa reponit.

IV. Harum horarum partes aliæ majores dicuntur, aliæ minores; illæ sunt Nocturni, laudes, ceteræque horæ; inter posteriores numerantur Psalmi, Hymni, lectiones, antiphonæ, responsoria, capitula, versiculi & collectæ. Hæ nedum verbo recitari possunt, sed laudabile est præsertim in Ecclesia etiam cantu eas modulari, ut observat S. Th. 2. 2. q. 91. art. 2. „ Laus vo„ calis ad hoc necessaria est, ut affectus „ hominis provocetur in Deum. Et ideo „ quæcumque ad hoc utilia esse possunt, in „ divinas laudes congruenter assumuntur. „ Manifestum est autem, quod secundum „ diversas melodias sonorum, animi homi„ num diversimode disponuntur, ut patet „ per Philosophum in 8. Politic. & per „ Boetium in prologo musicæ. Et ideo sa„ lubriter fuit institutum, ut in divinas lau„ des cantus assumeretur. " Musicalia tamen instrumenta ab Ecclesiastico cantu repellit idem Angelicus subdens ad 4. " Si„ cut dicit Philosophus in 8. Politic. neque „ fistulas ad disciplinam est adducendum, „ neque aliquod aliud artificiale organum, „ puta citharam, & si quid tale alterum „ est, sed quæcumque faciunt auditores bo„ nos. Hujusmodi enim musica instrumen„ ta magis animum movent ad delectatio„ nem, quam per ea formetur interius bo„ na dispositio. In veteri autem Testamen„ to usus erat talium instrumentorum: tum „ quia populus erat magis durus, & carna„ lis, unde erat per hujusmodi instrumen„ ta provocandus, sicut & per promissiones „ terrenas: tum etiam quia hujusmodi in„ strumenta corporalia aliquid figurabant." Modo tamen consuetudine ab Ecclesia approbata licitum est Organorum sonum in divinis Officiis adhibere, quo tamen, ut optime observat Cajetanus in Summula, verbo Organum, duntaxat sobrie utendum est, & quantum satis esse potest ad devotionem in populo excitandam, & promovendam.

CAPUT II.

Quinam publice horas canonicas recitare teneantur, quove loco, tempore, & ordine hoc debeant munus implere.

DOCTRINA.

I. *Onus divinum persolvendi Officium ex triplici nomine oritur.*

II. *Regulares omnes, etiam Moniales ad publicam Officii divini recitationem tenentur.*

III. *Præceptum publicæ recitationis officii ita totam Communitatem afficit, ut probabilius etiam privatos urgeat Religiosos.*

IV. *Ad publicam Officii recitationem tenentur Canonici, & Beneficiarii alicujus Ecclesiæ sive Cathedralis, sive Collegiatæ.*

V. *Locus, ubi persolvenda sunt divina Officia, est Ecclesia, vel pars Ecclesiæ.*

VI.

VI. *Tempus recitandi est illud designatum per ipsas horas.*

VII. *Ritus publicæ recitationis qualis.*

VIII. *Series horarum quænam.*

IX. *Integrum Officium est in Choro recitandum.*

X. *Recitantes ita clare & distincte psallere debent, ut possint ab alia Chori parte audiri.*

XI. *Saltem quatuor Religiosi ad Chorum constituendum requiruntur.*

I. ONUS divinum persolvendi Officium ex tiplici nomine exoritur, nimirum vel ratione suscepti Ordinis, vel Beneficii, vel denique Religiosi status assumpti. Verum non omnes hisce etiam de causis ad publicam recitationem adstringuntur, nec hoc munus omnibus Ecclesiasticis, sed aliquibus tantum demandatum ex præcepto esse nullus est qui ambigat. Quinam autem sint, qui ad publicam divinorum Officiorum celebrationem teneantur, declarant Ecclesiæ leges; nam *Cap. Dolentes* de celebr. Miss. & Clement. 1. pariter de celeb. Miss. indicitur omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & Regularibus Officii in communi recitatio: ita quidem juris rigore spectato, verum ex consuetudine, quæ præcepti temperavit rigorem, nonnullæ sunt Collegiatæ ac Parochiales Ecclesiæ, quæ vel solis diebus dominicis, & Festis ad hoc pensum persolvendum adstringuntur, & nonnullæ etiam, quæ liberæ ab hoc onere omnino reputantur.

II. Regulares omnes etiam Moniales ad publicam in Choro Officii recitationem tenentur 1. ratione status regularis, qui præcipue est invectus in Ecclesiam ad orandum tum pro se, tum pro populo; publica autem recitatio & populi promovet devotionem, & majorem inducit recitantium profectum & utilitatem. 2. Ex præscripto Regulæ, quæ cuique Ordini hanc publicam jubet recitationem 3. Denique ex antiquissima & universali invecta consuetudine.

III. Num vero præceptum hoc publicæ recitationis Ecclesiastici Officii afficiat totam Communitatem, an etiam singulos Religiosos, disputant Theologi. Sunt qui hoc onus ad totam Communitatem spectare arbitrantur, ita ut singulos quidem afficiat in communi, non vero singulos in particulari, & solum ratione muneris specialius Prælatos urgeat, qui lethaliter peccare censentur, si ipsius desidia etiam unius diei Officium in Choro non persolvatur; & si Prælatus suo muneri desit, censent, tunc ad singulos pertinere occurrere huic malo, & operam sedulo navare, ne Chori frequentatio omittatur. Verum non ita singulos laudatum præceptum afficere putant Religiosos, ut sub mortali Chorum teneantur frequentare, nisi forte in Regula id expresse habeatur. Ita cum pluribus Concina Dissert. 3. de Horis Canonic. T. 2. p. 378. Verum probabilior mihi videtur illorum opinio, qui censent etiam singulos Religiosos ita hoc præcepto urgeri, ut si sine rationabili causa, justaque dispensatione notabiliter a Choro absint, lethaliter peccent: quippe qui non solum ex vi suarum Constitutionum ad Chori frequentiam tenentur Regulares, sed ex vi sui status ab unoque assumpti, qui status est Religiosi Choro addicti, unde Choristarum nomine designantur per distinctionem a laicis, qui & ipsi Regulares verè sunt, & Religiosi, at non Choristæ, & ad observantiam tenentur ceterarum Regularum & Constitutionum excepto Choro & divino Officio. Præterea quorumcumque statuta, & Constitutiones potius hoc præceptum & onus supponunt ex statu regulari sponte fluens, quam imponant, unde pleræque versantur circa ritum, tempus, ordinem, locum

locum, quo debent hunc Deo famulatum rependere, non circa substantiam recitationis in Choro.

IV. Ad publicam Officii recitationem tenentur Canonici omnes & Beneficiarii alicujus Ecclesiæ sive Cathedralis, sive Collegiatæ, & hoc quidem tum ex lege Ecclesiæ, tum ex justitia, cum fructus percipiant, & reditus ex bonis Ecclesiæ, ut divinis vacent Officiis. Ita aperte jubet, & statuit Justinianus tamquam sacrorum Canonum defensor leg. 42. §. 10. Cod. de Episcopis & Cler. *Sancimus, ut omnes Clerici per se ipsos psallant Nocturna, & Matutina, & Vespera, ne ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici, circa Liturgiam Domini Dei ... Nam qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro salute sua, & communis Reipublicæ reliquerunt illis substantias, ut per eas deberent sacræ Liturgiæ fieri, & ut in illis a ministrantibus piis Clericis Deus colatur.* Hujus muneri impletionem urgent Concilia, Basileense cap. 3. sess. 21. statuens: *In cunctis Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis, horis debitis, laudes divinæ reverenter ab omnibus persolvantur*: Tridentinum sess. 14. cap. 12. de Reform. *In Choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, ac devote laudent.* Et in Lateranensi sub Innoc. III. de Canonicis statutum fuerat, quod *debent in Choro divinum Officium nocturnum pariter ac diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrare.*

V. Locus, ubi persolvenda sunt publica divina Officia, est Ecclesia, vel ea pars Ecclesiæ, quæ Chorus dicitur, vel delecta est ad divinum Officium recitandum, ex qua populus si adsit, vel adesse velit, possit audire, & communibus precibus se adjungere. Patet tum ratione, quia inter cæteras causas, ob quas divina Officia publice persolvantur, illa est, ut populus fidelis illis interesse possit, & Deum laudare, ut constat ex Clementina 1. de Celeb. Miss. §. *Ne igitur*, quæ hoc illis onus imponit; tum denique quia in Decreto distinct. 92. c. 9. statuitur: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus ... ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur a Clero.*

VI. Tempus Horas Canonicas publice recitandi illud idem esse deberet, quod per ipsas designatur horas, unde optime scribit Cardinalis Bellarminus de bonis operibus lib. 1. cap. 18. *Certe dubitari non debet, quin sit longe perfectius, fructuosius, & facilius Officia singularum horarum suis propriisque temporibus celebrare, quam multa simul officia sine nulla horarum, & temporum distinctione conjungere. Sic enim satisfit Ecclesiæ institutioni, quæ ideo in certas horas diurnas, atque nocturnas Officium distribuit, ut iisdem horis, atque adeo per omnes totius diei partes Deum laudemus. Sic maxima utilitas ex Officii recitatione ad nos accedit, dum tam crebro ad nos ipsos redimus, & a tumultibus sæculi ad pacem Dei, animum revocamus. Sic denique labor precum horariarum in tot partes divisus ita minuitur, ut levissimus, & pæne nullus esse videatur.* Verum quoad tempus observanda sunt ecclesiastica statuta, & legitimæ inductæ consuetudines, & apud Regulares constitutiones, & instituta Capitulorum Generalium, vel Provincialium, & quæ quidem diversa esse queunt legitimis de causis. Illud tamen ferme commune est, ut Matutinæ preces vel sero vel summo mane recitentur: Horæ vero, ante meridiem. Post meridiem vero & sero Vesperæ & Completorium; excepta Quadragesima, in qua Vesperæ ante prandium recitantur in choro. Ab ista consuetudine recedere, vel plures uniendo horas,

ras, vel tempus notabiliter præveniendo, vel protrahendo culpa non caret, & præsertim respectu Prælatorum Regularium, quorum conscientia præcipue oneratur, ut juxta Regulam divinum celebretur Officium. Mos est etiam universalis Laudes a Matutinis non disjungendi, quamvis licite fieri possit hæc disjunctio, ut dicemus cum de privata recitatione sermo erit.

VIII. Ad modum publicæ celebrationis Officii pertinet ritus ejusdem. Porro pro certo habetur apud omnes tum Canonistas tum Morales Theologos, Clericos omnes sive seculares, sive Regulares teneri in Choro divinum Officium juxta ritum & morem suæ Ecclesiæ, vel sui Ordinis & Instituti celebrare, adeo ut peccarent, nec suo muneri satisfacerent, si alterius vel Ecclesiæ, vel instituti ritum servare vellent, licet longiores preces eligerent; sic peccaret Clericus secularis, si Monachorum Breviarium, licet longius, recitaret, vel Carmelita, vel Ordinis Prædicatorum Religiosus, si Romano Breviario uteretur. Nam cum hujusmodi Religiosi sint vel tali Ecclesiæ, vel Instituto addicti, ejus ritui, consuetudini, & usui tenentur se accommodare; alioquin magna foret perturbatio, si cuique pro libito liceret ritum immutare, & alium pro libito inducere. Præterea adsunt præcepta, & quidem sub lethali & censura, quæ jubent omnibus vel Clericis vel Religiosis, ut determinatum servent ritum. Sic summus Pontifex S. Pius V. Constit. *Quod a nobis* anni 1560. abolens quæcumque alia Breviaria, jubet in posterum recitandas & psallendas posthac in perpetuum horas ipsas diurnas & nocturnas *ex Romani Breviarii ab ipso editi præscripto, & ratione*, neminemque, ex iis quibus hoc dicendi, psallendique munus impositum est, nisi *hac sola forma* satisfacere posse. Et pari pacto in omnibus pene Ordinibus, immo & Diœcesibus jubetur a superioribus & Episcopis, ut Clerici, & Religiosi Breviarium recitent juxta statuta Ordinis, Diæcesis, vel Provinciæ. Proinde ab hoc ritu recedere nequeunt sine culpa, maxime in publica recitatione.

VIII. Ad ordinem spectat etiam series Horarum, quæ ordinate sibi invicem succedere debent, prout statuitur ab Ecclesia, nec Horæ præferendæ Matutinis, nec Vesperæ vel Completorium Horis, & pariter quod aliquæ, juxta temporum diversitatem, recitentur ante Missam choralem, aliæ post ipsam; & licet hujus ordinis inversio plerumque in privata recitatione non nisi veniale sit si tamen in choro fieret & publice cum populi admiratione & scandalo, proculdubio grave peccatum foret, nisi gravis aliqua causa, etiam populo nota, inversionem excusaret.

IX. Integrum officium in choro est recitandum; hinc graviter peccarent Prælati & superiores, qui aliquam notabilem divini officii partem in choro omitti permitterent, ut docent Salmanticenses tract. 6. cap. 1. punct. 3. n. 4. Notabilis par esset integra hora, quia sicut in privata recitatione omissio unius horæ, ut dicemus, a lethali peccato non excusatur, nec ejus omissio in choro minoris culpæ habenda est, cum frequenter etiam non sine populi scandalo fiat. Levis culpa erit, si aliqua omittatur commemoratio: immo si loco unius psalmi vel homiliæ alius sit recitatus psalmus vel homilia, necesse non est ut in choro repetantur; hoc enim nihil aliud parit nisi confusionem, & perturbationem, sed recitato officio eo ordine & tempore, quod congruum bona fide putabatur, præceptum chori impletum est; satis itaque erit, si quilibet privatim errorem penes se emendet.

X. Officium in choro recitantes ita clare & distincte versiculos recitare debent, ut ab alia chori parte possint audiri, quod quidem

quidem est intelligendum de tota unius parte chori collective, non de singulis distributive, si qui enim sint tenuioris adeo vocis, ut ab aliis ex opposito choro non audiantur, satisfaciunt tamen præcepto, omnes enim efficiunt unum corpus mysticum, cujus membra se invicem adjuvant, & invicem communicant, & præterea impossibile omnino est, ut quilibet unius chori a quolibet alterius chori audiatur; satis est itaque, ut quilibet ex sui parte clare, & distincte recitet psalmos, versiculos, hymnos, & omnes collective tam alte & clare pronuncient, ut ab aliis audiantur. At si adeo vel præcipitanter, vel submisse una pars chori pronunciet, ut ab alia audiri non possit, neutra munus suum integre adimplet, cum dimidia partem Officii nec recitet, nec audiat; sicut nec ille satisfaceret, qui ad aliorum recitationem non attenderet, sed mente vagaretur, dimidiam enim tantum Officii partem persolveret. Sicut nec satisfaciunt qui pulsandis organis incumbunt, vel libros parant, & cantanda inquirunt, nisi ea, quæ vel non audierunt, vel non recitarunt, suppleant, vel nisi sint modica, puta unus vel alter versiculus, brevis aliqua antiphona, tunc enim supplendi nulla erit obligatio, sicut contingit in illis, qui dum vel sternutant, vel nasum purgant, vel tussire coguntur, partem officii non recitant, supplet enim tunc chorus.

XI. Saltem quatuor numero Religiosi ad chorum constituendum requiruntur, ut ex communi doctrina Theologorum constat. Si tamen tantum tres adessent in Conventu, ceteris legitime impeditis, infirmis, vel absentibus, non per hoc ab onere chori essent dispensati, ut nonnulli Probabilistæ affirmant, & præsertim Tamburinus, qui, etiam quatuor & quinque Religiosos a choro ob paucitatem dispensat, sed tres illi choro interesse deberent, & eo quo possunt modo divinas laudes persolvere. Num autem Novitii nondum professi chori præceptum implere valeant Professis absentibus, dubia res est; & certe qui negant, fortioribus meo judicio innituntur rationibus, nimirum, præceptum chori eos afficit, & illi implere tenentur, qui illud sponte subjerunt per religiosam professionem, porro hujusmodi non sunt Novitii, non ergo apti videntur ad hoc præcegtum, quod illos non urget, implendum. Præterea nondum censentur corpori Communitatis inserti, discedere enim possunt & expelli; non igitur implent præceptum, quod Communitati certe est impositum, & Comunitatem adstringit.

CAPUT I.

Consectaria Praecedentis Doctrinæ.

I. *Superiores in dispensationibus a choro dextetum servent Clementis VIII.*

II. *Cantus etiam musicalis non est interdictus in Ecclesia.*

III. *Religiosi tenentur supplere ea, quæ in choro non recitarunt.*

IV. *Clericus beneficiatus alicujus Ecclesiæ tenetur recitare officium Diœcesis, in qua beneficium obtinet.*

V. *In choro recitanda sunt Officia B. V. Defunctorum, &c. in diebus statis, licet Breviario Romano clerici utantur.*

VI. *Quodnam Officium recitare debeant qui plura in diversis Ecclesiis obtinent beneficia.*

VII. *Beneficiarii choro addicti residere tenentur.*

VIII. *Vacationes trium mensium a choro non sunt ex privilegio, sed ex mera Ecclesiæ tolerantia.*

IX. *Beneficiarii non solum choro interesse debent, sed & alta voce recitare & canere.*

X. *Quando Canonici a residentia & adsistentia chori dispensati censeantur.*

XI. *Tenentur per se Beneficiarii choro adesse.*
XII. *Distributiones quotidianæ nonnisi præsentibus in choro conceduntur.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. SUPERIORES in dispensandis a choro Religiosis præ oculis habeant Decretum Clementis VIII. ab Urbano VIII. confirmati sic statuentis: *Nullus omnino prætextu cujusvis privilegii, vel Superioratus, vel Generalatus a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut concionari contigerit, dispensare possint. Id quoque præstare valet cum ægrotis, & studiorum causa legitime impeditis. In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pænitentia Superiores animadvertant ad præscriptum Regulæ, & constitutionum, alimenti etiam si opus fuerit subtractione.* Ubi animadvertendum, 1. titulum Superioritatis vel etiam Generalatus sive actu, sive antea exerciti per se non esse sufficiens motivum dispensationis a choro, sed actu Superiores teneri chorum frequentare, dum ratione officii abesse non coguntur, & expleto munere teneri sicut ceteros fratres ad sequelam chori, nisi alia adsit legitima dispensationis causa. 2. Quamvis dicat Lectores & Prædicatores solum esse dispensandos in diebus, quibus vel legere, vel concionari debent, non sequitur quod aliis diebus non possint dispensari, cum comprehendantur in illis, qui studiorum causa dispensari debent; oportet enim, ut & Lectores & Prædicatores studio incumbant in parandis tum lectionibus tum concionibus habendis. 3. Cum jubeat negligentes puniri ad præscriptum regulæ & constitutionum, vult earum ordinationes observari, proinde omnes illas locum habere dispensationes, quæ ab ipsa regula & constitutionibus conceduntur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Cantus etiam musicalis non videtur absolute in Ecclesiis, & divinis Officiis interdictus. Talis tamen sit oportet, ut auditores præter cantum etiam verba quæ cantantur, valeant percipere, & laudes divinas sua devotione & pietate comitari, canтent etiam viri graves & pii, & omnis theatralis mos, gestus, & modulatio absit. Sunt attendenda, quæ optime docet & animadvertit Cajetanus in summula Verbo Organum. *Non excusantur ex eo, quod sonus abstrahit ab omni materia, & quælibet melodia soni potest ad sacra verba applicari, tum quia secundum rei veritatem, isti soni fiunt ut accommodati ad delectationem auditorum, qui non noverunt illos, nisi ut sonos illorum verborum profanorum, aut turpium, cujus signum audientes ex illo sono excitantur ad illa profana, seu turpia, ut experientia testatur, ita quod non est locus inficiationi: tum etiam quia cantus abstrahit ab omni materia, & tamen Ecclesia interdixit profanos cantus in Ecclesia, ut cantus theatrales Distinct. 92. Cap. Cantantes. Memento hic Apostolicæ sententiæ:* Nolite errare, Deus non irridetur, aut fallitur. *Involvuntur eodem crimine non solum pulsantes sed qui conducunt & consentiunt pulsantibus hæc, ut impleatur scriptura:* Gloriati sunt qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ. Gravitas igitur, modestia, & pietas eluceant in ecclesiastico cantu, per quem non enervetur animus, sed pius moveatur affectus, & ad Deum corda attollantur.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Religiosi, qui ad chorum Officio jam incœpto accedont, tenentur supplere partem Officii recitatam ante eorum adventum, sicut & sub-

& submissa voce recitare versus, qui ab organo, vel alio pulsantur musicali instrumento. Ratio primæ partis est, quia Religiosi & choro interesse, & integrum Officium persolvere tenentur; dum itaque choro non intersunt, si ea, quæ ibi canuntur, omittant, integrum Officium non recitare palam est, nec pro ipsis chorus supplere censendus est, cum ab ipso absentes cum illo non communicent, nec conveniant; persolutis itaque in choro horis, psalmos & partem omissam supplere debent, sicut & voce recitare quæ ab organo pulsantur, cum præfatum instrumentum divinas laudes voce non proferat, nisi forte aliquis adsit, qui elata voce interim eos versiculos recitet; tunc enim satis erit eum audire.

Consectarium quartum.

IV. Clericus Beneficiarius alicujus Ecclesiæ servitio mancipatus tenetur recitare Officium Diœcesis, in qua Beneficium obtinet, nec Romanum præeligere potest. Ita communiter Canonistæ, & Theologi omnes. Rationem reddit S. Th. quodlib. 6. art. 8. scribens: *Quemadmodum Clericus, qui Ecclesiæ mancipatus atque addictus est, ad Officium ecclesiasticum obligatur: sic etiam, qui tali Ecclesiæ ratione Beneficii addictus est, talis Ecclesiæ Officium recitare debet*. Et idem dicendum est de Regulari, qui proprium sui Ordinis Officium recitare tenetur. Proinde vera censenda non est opinio Cajetani docentis, posse Clericos, vel Monachos, vel Religiosos relicto Officio suæ Diœcesis, Monasterii, vel Ordinis absque peccato mortali Romanum Breviarium amplecti, & recitare.

Consectarium quintum.

V. Qui choro adstricti sunt, tenentur recitare Officium parvum B. Virginis, Officium defunctorum, septem Psalmos Pœnitentiales in diebus, quibus eorum recitatio præscribitur in Rubricis; etsi Romano utantur Breviario. Ita expresse statuit S. Pius V. qui singulares quidem personas in privata recitatione ab eo onere liberavit, at in publica & ecclesiastica confirmavit, statuens: *Quod a nobis in Rubricis nostri hujus Officii præscribitur, quibus diebus Officium B. Mariæ semper Virginis, & Defunctorum, item septem Psalmos Pœnitentiales, & Graduales dici, ac psalli oportet. Nos propter varia hujus vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus ..... hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum B. M. Virginis in choro dici consueverat, ita ut in prædictis Ecclesiis ipsa laudabilis & sancta consuetudo, celebrandi more solito prædictum Officium, servetur*.

Consectarium Sextum.

VI. Qui duo obtinet beneficia in duabus Ecclesiis diversi Breviarii ritu utentibus, recitare debet Officium illius Ecclesiæ, cui per se inservit, privatim vero usurpare debet ritum illius Ecclesiæ, ubi majorem obtinet dignitatem, vel dignioris Ecclesiæ, vel si omnia sint paria, quem sibi lubet eligere poterit. Ita S.Th. quodlib. 1. art. 13. scribens: „ Supposito quod aliquis sit licite præbendatus in duabus Ecclesiis, scilicet ex dispensatione, considerandum est, quod ille qui in aliqua Ecclesia præbendam accipit, duobus obligatur; scilicet Deo, ut ei debitas laudes exsolvat pro ejus beneficiis; & Ecclesiæ, de qua accipit sumptus. Ea vero, quæ ad Ecclesiam pertinent, debet exsolvere secundum quod statutum est, vel per se ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam, vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundum

„ Ecclesiæ statutum, ac consuetudinem. Sed debitum quod debet Deo, per se ipsum debet exsolvere. Nec refert autem, quantum ad Deum, quibus psalmis, & hymnis Deum laudet, ut puta, utrum dicat in Vesperis, *Dixit Dominus*, vel *Laudate pueri Dominum*, nisi quantum ad hoc, quod homo debet sequi majorum traditionem. Et quia laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit quod semel Officium dicat secundum consuetudinem alicujus Ecclesiarum, quarum est Canonicus. Sed de electione Officii rationabiliter videtur quod debeat dicere Officium illius Ecclesiæ, in qua majorem gradum habet, puta, si in una sit Decanus in alia simplex Canonicus, debet dicere Officium illius Ecclesiæ, in qua est Decanus. Quod si in utraque Ecclesia fuerit simplex Canonicus, debet dicere Officium dignioris Ecclesiæ, quamvis forte in minori Ecclesia habeat opulentiorem præbendam, quia temporalia nullius momenti sunt spiritualibus comparata. Si vero ambæ Ecclesiæ sint æqualis dignitatis, potest eligere quodcumque Officium voluerit, si fuerit ab utraque Ecclesia absens; si autem fuerit in aliqua earum, debet se conformare illis, cum quibus conversatur. "

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Beneficiarii, qui Officium in choro recitare tenentur, debent in loco residere, licet tenues admodum reditus habeant. Et quidem quoad residentiam hæc a jure cacanonico præcipitur tamquam absolute ad proprium munus psallendi in choro necessaria; hinc Cap. *Finali* de Rescript. in 6. dicitur: *Beneficium datur propter officium*. Et Concilium Trident. sess. 14. cap. 2. jubet: *Ut Beneficiarii in choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, & devote laudent.* Nec a residentia & a chori præsentia redituum tenuitate excusantur, ut optime docet Fagnanus in cap. *Conquerentes* Ext. de Clericis non residentibus, qui sic scribit: *Textus optime probat, beneficium quantumvis tenue de jure communi obligare ad personalem residentiam .... ideo quantumcumque minimum, puta viginti solidorum, ex quo habetur pro titulo de jure communi, personalem residentiam requirit, adeout non residens beneficio privari debeat.*

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Dum Concilium Tridentinum statuis, ne obtinentes in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis Dignitates, Canonicatus, Præbendas ultra tres menses quolibet anno absint, non privilegium concedit, sed meram exprimit tolerantiam, proinde nec præfatis mensibus abesse potest ntBeneficiarii absque legitima causa. Id manifeste patet ex ipso Tridentini Concilii statuto, non aliud ordinantis, nisi *quod non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse*. Non concedit igitur, nec approbat absentiam, vetat solum ne ultra dilatetur, ut optime docet Fagnanus dicens: *Non procedit concedendo, sed prohibendo*. Justa igitur adsit causa oportet, ut per id temporis absque culpa possint abesse; nam ut docet Van-Espen de Canonicis par. 3. cap. 5. §. 2. *Semper Canonici servitio Ecclesiæ, ac divino Officio juxta muneris exigentiam assistere tenentur, nisi aqua causa absentiam justificet, quæ eo justior, & urgentior esse debet, quo longior est absentiæ mora.*

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Beneficiarii non solum choro interesse debent, sed divinum Officium cum aliis canere, vel recitare tenentur. Id patet ex Bene-

neficiorum institutione, nam, ut observat Ivo Carnutensis epist. 318. *Ad hoc instituta est Clericalis militia, ut Psalmodiæ, & Hymnodiæ quotidianum Deo offerat sacrificium*, Et sic aperte jubent Concilia, Basileense sess. 21. cap. 3. *Cum psallendi gratia ibidem conveniunt, juncta ac clausa labia tenere non debent. Sed omnes, præsertim qui majore funguntur honore, in Psalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur*. Et Conc. Trident. sess. 24. cap. 3. Beneficiariorum militiam ad hoc institutam dicit, *ut in choro ad psallendum instituto Hymnis; & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudent*. Hinc S. Carolus Borromæus in suo 1. Concil. Mediol. par. 2. cap. 3. sic habet: *Itaque auctoritate etiam Concilii Tridentini præcipimus, ut cum in choro psallendum est, ipsi quoque quantum honoris gradu præ ceteris præstant, tanto studiosius Psalmis, Hymnis, & Canticis una cum aliis modulantes Dei laudes concelebrent. Cui officio si defuerint, pro absentibus habeantur, & earum horarum quas ea ratione obierint distributionibus mulctentur*. Ea de causa prohibet Basileense Concilium, *ne insimul, aut cum aliis colloquantur, aut litteras seu scripturas legant, & dum horæ in communi publice cantantur, nemo legat, vel dicat privatim Officium. Sed laudes divinæ per singulas horas non cursim ac festinanter, sed asiatim ac tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi Psalmorum debitam faciendo inter solemne, ac feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus persolvantur, & cum in choro fuerint, gravitatem servent, quam & locus & officium exigunt*. Sed de hoc iterum infra.

Consectarium Decimum.

X. A residentia & præsentia chori dispensantur Canonici inservientes Episcopo ut Episcopo, studentes in Theologiæ Facultate, & in Universitate in Theologica Facultate docentes. Prima dispensatio conceditur ab Alex. III. cap. 7. Extra de Clericis non residentibus. Oportet tamen, ut inserviant Episcopo ut Episcopo, idest in utilitatem Ecclesiæ, cujus ille caput est, & princeps, ut optime notat Fagnanus in cap. *Conquerentes* ext. de Cleric. non resid. scribens: *Absentes ab Ecclesia pro servitio Episcopi, ubi servitium est necessarium, vel utile Ecclesiæ, & respicit Episcopum quatenus Episcopum, juris censura reputantur præsentes, & censentur inservire Ecclesiæ .... & servitium Episcopi, quatenus Episcopus est, censetur quasi servitium Ecclesiæ, cui præsidet, cum Ecclesia sit in Episcopo*. Licet Alexander numerum non statuat Canonicorum, qui absentes in servitium Episcopi tamquam præsentes habendi sunt, Honorius tamen III. numerum designavit, & duos tantum esse posse constituit, cap. 15. ext. de Cler. non resid., ut notat etiam Fagnanus dicens: *Restringi debet per dictum caput, quod specialiter loquitur de duobus, idque Ecclesiarum usus approbavit*. 2. Alterum privilegium studentibus concessit idem Honorius III. cap. final. extr. de Magistris, sed solum per quinquennium, sic statuens: *Studentes in Theologia integre per annos quinque de licentia Sedis Apostolicæ proventus Præbendarum, & Beneficiorum suorum percipiant, non obstante aliqua contraria consuetudine*. Quod privilegium confirmatum fuit a Tridentino sess. 5. cap. 3. de Reform. *Scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum in absentia, a jure communi concessis, plene gaudeant, & fruantur*. Notandum tamen 1. hocce privilegio solum gaudere studentes in *Theologiæ* Facultate, vel *in Jure Canonico*, & quidem in publicis Collegiis, & Universitatibus, vel etiam in

in Episcoporum Seminariis, ut declaravit etiam S. Carolus in suo 1. Mediolanensi Concilio part. 2. cap. 27. statuens: *Ut vere in publico, celebrique Gymnasio Theologiæ, vel sacris Canonibus studeant.* 2. Ut vere studio incumbant, lectiones frequentent, & proficiant, alioquin fructus injuste percipiunt, & ab Episcopo revocari possunt, & adresidentiam cogi, ut optime animadvertit Fagnanus in cap. *ad hoc* ext. de Cler. non resid. n. 11. scribens: *Quocirca ut ad residentiam revocari possint etiam illi, qui manentes in Universitate de licentia Episcopi negligenter, & inutiliter dant operam litteris, quia scholares non intrantes, & non attendentes, nec studentes non gaudent privilegio scholarum, nec scholares sunt nominandi*, Ideo merito in pluribus Ecclesiis statuitur, ut *singulis annis studentes canonici, temporis fideliter exacti, studiorumque progressus Capitulum admoneant. Cujus rei statim a Capitulo Episcopus certior fiat.* Quamobrem Professorum Universitatum, Collegiorum, Seminariorum conscientiæ onerantur, ne attestationes concedant nisi vere studentibus. 3. Tertium Privilegium Magistris in Theologia, & jure Canonico concessum legitur ab eodem Honorio III. cap. Finali ext. de Magistris, statuens: *Docentes in Theologica Facultate* (vel in jure canonico) *dum in scholis docuerint, integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apostolicæ proventus Præbendarum, & Beneficiorum suorum, non obstante aliqua contraria consuetudine, vel statuto, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes*. Et confirmatur a Concilio Trid. sess. 5. cap. 1. de Refor. Quo privilegio gaudent etiam docentes in loco, ubi sunt Ecclesiæ, quarum servitio addicti sunt, ut declaravit, teste Fagnano loc: cit. Sacra Congregatio, quæ *censuit docentes jus Canonicum in publica Universitate gaudere, & potiri privilegio de percipiendis fructibus in absentia, quamvis Præbendæ, quas obtinent, sitæ sint in Cathedralibus ejusdem Civitatis, in qua publici lectoris munere funguntur*. Quod tamen Privilegium intelligendum & coarctandum ad solos Præbendæ fructus, quos *massam grossam* vocant, non vero ad distributiones quotidianas. Nec eo privilegio censentur gaudere, nisi qui in Universitatibus lectiones vere habeant, & publice docent, non vero qui honoris gratia Magistri, vel publici Professoris titulo insigniuntur. Verum in hisce privilegiis præ oculis habenda est optima Van-Espen animadversio in Jure Eccles. par. 1. tit. 7. de Canonicis cap. 10. n. 14. *Porro circa hæc, aliaque privilegia Canonicos aliosque Ecclesiasticos a residentia eximentia, observandum illa esse species quasdam dispensationis, ideoque iis utentes expendere debent, num sit sufficiens causa iis utendi; idest ea Ecclesiæ utilitas, aut necessitas, quæ compenset incommodum ex non residentia proveniens, nimirum quod fructus destinatos hujus Ecclesiæ particularis ministro, percipiat, cum nullum interim huic Ecclesiæ officium impendat, ac insuper ministro privet, quem habere posset, si beneficium, quod absens retinet, dimitteret.*

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Beneficiarii per se tenentur choro adesse, nec per Vicarios vel substitutos præsentiam suam supplere possunt. Ita declaravit, & statuit Trid. Synodus sess. 24 cap. 12. de Reform. jubens: *Omnes divina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia*. Quod statutum confirmatum fuit in pluribus Provincialibus Conciliis postea celebratis, ut in Mechlinensi anni 1607. tit. 12. cap. 2. in quo statuitur: *Meminerint omnes tam in dignitate constituti, quam Canonici, Cappellani, Vicarii, Beneficiati, & reliqui habituati, mandati Concilii Tridentini, ut omes per se, & non per substitutes*

tutos compellantur obire officia, *inter quæ præcipuum est in choro ad psallendum instituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter*, *distincte*, *devoteque laudare*. Ideo si qua in Ecclesia statutum aliquod contrarium foret, nulla illius ratio esset habenda, ut declaravit Sacra Cardinalium Congregatio, quemadmodum refert Garcias de Benefic. par. 3. cap. 2. n. 408. cujus hoc est decretum: *Si factum sit aliquod statutum*, *quod Canonici possint inservire per substitutum*, *vel alternatim unus pro alio*, *non habeatur ejus ratio*, *quia est contra Concilium Tridentinum*. Immo ut animadvertit idem Garcias, *procedit etiam dicta declaratio*, *licet ante Concilium esset statutum*, *vel consuetudo immemorialis in contrarium*, *ut colligitur ex ipso Concilio*. Ideo si quandoque Canonicis vel Beneficiariis Coadjutores vel Vicarii ab Apostolica Sede conceduntur, *attendant* [inquit Concilium Provinciale Coloniense anni 1536. part. 3. cap. 6.) *quod Canonicis adjutores accedent*, *horum nimirum vice*, *qui vel adversa valetudine detenti*, *vel necessariis negotiis avocati interesse non possunt*; *& ita* (subdit Concil. Audomaropolit. anni 1583. tit. 12. cap. 6.) *Vicarii opera Officium peragatur*, *ut nihilominus ii ipsi*, *quorum proprium est illud agere*, *qui Dignitatem*, *Canonicatum*, *aut quodvis aliud Beneficium*, *vel Officium in Ecclesia obtinent*, *nisi legitime impediantur*, *per se*, *& non per alios duntaxat illud faciant*.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Distributiones quotidianæ nonnisi in choro præsentibus conceduntur. Ita statuit Concilium Trid. sess. 24. de Reformat. cap. 12. *Distributiones*, *qui statis horis interfuerint*, *recipiant*, *reliqui quavis collusione aut remissione exclusa his careant*..... *constitutionem Bonifacii VIII. Synodus in usum revocat*, *non obstantibus quibuscumque statutis*, *& consuetudinibus*. Porro Constitutio Bonifacii sic statuit: *Statuimus ut distributiones ipsæ quotidianæ in quibuscumque rebus consistent*, *Canonicis ac aliis Beneficiariis & Clericis Ecclesiarum ipsarum*, *qui eisdem Officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint*, *tribuantur*... *qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit* ... *rerum sic receptarum dominium non acquirat*, *nec faciat eas suas*, *immo ad omnium restitutionem*, *quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit*, *teneatur*. Quamobrem non licet Canonicis præsentibus quotidianas distributiones absentibus donare, hæc enim esset vera collusio, quæ a Concilio vetatur, *Quia*, ut observat Navarrus Decret. Miscell. 39. *si consensus eorum*, *quibus distributiones accrescerent*, *sufficeret*, *facilie fieret*, *ut omnes in absentia perciperent illas*, *facile enim consentiret unus Canonicus ne alius perdat in absentia*, *ut alius consentiat ne ipse perdat eum absuerit*, *& ita omnes delinquerent*. Quod de quotidianis statuimus distribotionibus, extenditur etiam, ut declaravit Bonifacius VIII. in sua laudata Constitutione a Tridentino Concilio confirmata, *ad distributiones pro Defunctorum anniversariis largiendas*. Hinc si cui a Sede Apostolica Breve, vel Rescriptum concederetur, ut possit Beneficii fructus absens percipere *ac si præsens esset*, non proprerea quotidianæ censerentur concessæ distiributiones, quia hojusmodi concessiones rerum naturam non valent immutare; porro indoles & natura distributionum est, ut nonnisi præsentibus vere, & realiter, non fictione juris, concedantur, ut optime animadvertit & docuit Fagnanus in cap. *licet* Extr. de Præbendis n. 10. *Nihilominus distributiones non deberentur*. *Nam harum distributionum ea est natura*, ut debeantur his tantum, *qui vere intersunt Officiis divinis*, *non autem his*, *qui ficte resident*, *ac juris interpretatione*. Conceduntur tamen quotidianæ distributiones illis, quos,

quos, ut statuit in laudata Constitutione Bonifacius VIII. *infirmitas, seu justa, & corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*. Quas tamen causas juris canonici Magistris accuratius enucleandas relinquimus.

CAPUT IV.

De privata recitatione Officii tum titulo Beneficii, tum Clericalis, tum Religiosi status.

Doctrinæ.

I. *Professi in aliquo Ordine, licet in sacris non constituti, tenentur ad Officii divini recitationem.*

II. *Immunes sunt Novitii anno probationis.*

III. *Moniales professæ choro addictæ ad privatam etiam Officii recitationem adstringuntur.*

IV. *Et omnes Clerici sive seculares, sive regulares licet in sacris non constituti, si Beneficium obtineant.*

V. *Et omnes Clerici sive seculares, sive regulares in sacris constituti.*

I. PROFESSI omnes in aliquo ordine ab Ecclesia approbato licet in sacris non constituti ad Officii recitationem tenentur sub culpa lethali etiam extra chorum. Hujus oneris ratio non aliunde repetitur, nisi a perpetua consuetudine vim legis habente, & quæ religioso statui maxime congruit, cum per statum religiosum, & vi suæ professionis divino sint dicati servitio, & ad divinas concinendas laudes destinentur. Nec desunt Summorum Pontificum decreta, quæ hocce munus Religiosis impositum agnoscunt, atque confirmant. Gregorius IX. jubet Monachis, ut etiam itinerantes *horas dicant in via, & de libris provideatur eisdem*. Benedictus XII. in sua Constitutione pro regulari disciplina in Ordine S. Benedicti restauranda hoc declarat & confirmat, scribens: *Debite dicant divinum Officium, & quotidianum pensum exsolvant debitæ servitutis*. Accedit omnium Religiosorum Ordinum consensus, quorum leges, decreta, constitutiones statuunt Religiosos teneri ad privatam divini Officii recitationem. In O. P. P. constitutionibus sic præcipitur dist. 1. cap. 1. *Declaramus, quod sicut Clerici seculares, qui non sunt in sacris, si sint Beneficiati tenentur, & obligantur dicere Officium, ita & quilibet Religiosus, qui ex eleemosynis vivit, & ab Ordine provisionem victus, & vestitus habet, tenetur de necessitate salutis Officium dicere*. Confirmat communis Theologorum consensus a quo pauci recedunt, & a quorum libris jussu summi Pontificis contraria doctrina erasa fuit, ut narrat Turnelius erasam e libris Emmanuelis Sa; proinde tamquam unice vera, uniceque probabilis habenda est. Excipiuntur Ordinum Militantium Professi.

II. A divini Officii recitatione immunes sunt Novitii ante emissam Professionem, ut communissime docent Theologi contra Paludanum, & Turrecrematam, quippe qui nondum sunt plene divino servitio mancipati. Item Religiosi Conversi, licet professi, qui quamvis sint divino mancipati servitio, non tamen ut choro vel divinis Officiis inserviant, sed ad corporis labores ordinati sunt. Ex præscripto tamen Constitutionum fere omnium Ordinum ad quasdam definitas preces eorum statui congruentes adstringuntur, non tamen sub lethali ex vi alicujus consuetudinis, sed solum juxta legis præscripta, quæ si ad culpam non obligent, ut contingit in Ordine Prædicatorum, nec ipsi preces omittentes culpam incurrunt.

III. Moniales omnes professæ, & choro addic-

addictæ divinum Officium etiam privatim sub culpa lethali tenentur recitare. Hæc quoque affectio communi gaudet Theologorum & Canonistarum suffragio, & perpetuæ, sicut superius diximus de Regularibus, innititur traditioni, & consuetudini, vim legis obtinenti. Virgini Demetriadi Deo dicatæ scribebat S. Hieronymus: *Præter Psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi hora Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperam, media nocte, & mane semper est exercendum, statue quot horis sanctam Scripturam discere debeas*. Et ad Lætam de institutione filiæ virginitatis professione destinatæ scribebat: *Assuescat ad orationes, & psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona hora stare in acie, quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum*. Accedit quod Moniales non minus quam Religiosi sunt ex suo Instituto divino servitio destinatæ, & ad laudes & orationes pro se & pro populo Deo persolvendas mancipiatæ. Regulæ omnes onus hoc Monialibus imponunt, atque præcipiunt. Bona quoque Monasterii ad hoc donata sunt, ut in eis Virgines Deo orationibus inserviant, & pro benefactoribus orent. Non sunt igitur audiendi Bordonius, Caramuel, Lessius, Marchantius, aliique a Diana citati, qui ab hoc onere solutas volunt Moniales, eo potissimum nomine, quia Moniales secum dotem deferunt, qua vivunt, cum & præter dotem Monasteria plerumque & aliis bonis abundent jam a Fundatoribus donatis, vel fidelium eleemosynis juventur, & præterea dotis collatio eas a statu religioso divino cultui destinato minime eximat. Excipiendæ tamen Novitiæ & Conversæ, ut de Regularibus diximus.

IV. Obtinentes Beneficium aliquod sive sine cura, sive curatum, sive etiam in Commendam, vel etiam manuale, & ad nutum revocabile, cujus fructibus potiantur, tenentur sub mortali ad horas canonicas persolvendas. Ita & in pluribus Conciliis, & a pluribus Romanis Pontificibus statutum est, unde canonicum axioma factum est: *Beneficium datur pro Officio*; quare supervacaneum puto paginas citationibus & textibus farcire penes omnes certa onerare. Quod autem nomine Beneficii intelligatur etiam Commenda, & manuale Beneficium ad nutum revocabile ex eo patet, quia ex illis ecclesiasticis bonis fructus percipiunt, qui pro Officio concessi censentur.

V. Omnes Clerici sive seculares, sive regulares, sive beneficium obtineant, sive careant, si in sacris sint constituti, & Subdiaconatus ordine insigniti horas canonicas sub lethali recitare tenentur. Hoc onus atque præceptum nonnulli Theologi in solis Clericis admittebant alicui Ecclesiæ servitio mancipatis, alios vero titulo Patrimonii ordinatos eo onere liberabant: at modo Theologi omnes, & Canonistæ docent, Clericos omnes hoc præcepto urgeri sive ordinatos titulo patrimonii, sive servitutis alicujus Ecclesiæ. Solum discrepant in statuendo jure, & basi hujus oneris, atque præcepti. Nonnulli, immo plerique Presbyteros adstringi dicunt Jure Canonico ex cap. *Presbyter* Distinct. 91. & cap. 1. de celebr. Miss. Diaconos vero & Subdiaconos vi & jure generalis & perennis consuetudinis in pluribus tum Generalibus, tum Provincialibus Conciliis agnitæ, & confirmatæ, ut patet ex Concilio Basileensi sess. 21. can. 9. statuente: *Quoscumque Beneficiatos, sive in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hac Sancta Synodus, ut ..... sive soli, sive associati diurnum, nocturnumque Officium reverenter, verbisque distinctis peragant*. Idem dicitur & in Con-

Concilio Lateranensi V. sub Leone X. sess. 9., & a S. Th. agnoscitur hoc præceptum Clericis impositum quodlib. 6. q. 3. a. 2. scribente: *Clericus ex ipso quod est Clericus, & præcipue in sacris ordinibus constitutus tenetur dicere horas canonicas.*

CAPUT V.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Regularis Professus choro addictus sive dispensationem obtineat manendi perpetuo extra Claustra, sive ipse aufugiat, non liberatur onere persolvendi horas canonicas.*

II. *Sicut nec Regulares e claustro ejecti, probabilius tamen liberantur ad triremes damnati.*

III. *Regulares ab hora emissæ professionis obligantur ad Officium recitandum.*

IV. *Etiam privata recitatione.*

V. *Et ad Psalmos Pœnitentiales, vel Officium parvum B. Virginis, vel Defunctorum statis diebus persolvendum.*

VI. *Qui Beneficium etiam admodum tenue obtinet, ad Officii recitationem tenetur.*

VII. *Sicut & qui obtinet Prastimonia & Capellanias collativas.*

VIII. *Et qui etiam nullos percipiunt sui Beneficii fructus ex sua culpa, vel certis aliis de causis.*

IX. *Et qui ob litem intentatam fructus non percipiunt, si possessionem adjerint.*

X. *Et qui vi, vel fraude a perceptione fructuum impeditur per aliquod tempus.*

XI. *Qui plura obtinet Beneficia ad unicam recitationem tenetur.*

XII. *Clerici Filii-familias licet a parentibus beneficii fructus percipiantur, ad Officium persolvendum tenentur, & licet coacti Beneficium acceptaverint.*

XIII. *Clerici in minoribus constituti si Beneficium non obtineant, ad nullas preces tenentur.*

XIV. *Coadjutores Beneficiariorum non tenentur ad divinum Officium persolvendum.*

XV. *Qui sacrum Subdiaconatus ordinem suscipit, ab hora susceptionis tenetur reliquum recitare Officium.*

Consectarium Primum.

I. Regularis Professus choro addictus si vel dispensationem manendi perpetuo extra claustra, vel ipse ab ipso aufugiat, onere persolvendi horas canonicas non liberatur. Nam in utroque casu remanet adhuc Regularis, & in suo statu religioso perseverat, a quo non educitur nec per Pontificiam dispensationem manendi extra claustra etiam perpetuo, multoque minus per iniquam e Claustro fugam. Oppositum quidem docent Sanchez, Bonacina, aliique, quia, inquiunt, licet maneat Religiosus, non tamen manet Regularis; sed quare non manet Regularis? Nonne, ut fatentur, manet Religiosus? Porro non alio nomine Religiosus est, nisi quia Regularis, & quia per professionem religiosam ecclesiastico statui adscriptus est; est ergo & Religiosus & Regularis, quamobrem ad horas canonicas persolvendas adstrictus.

Consectarium Secundum.

II. Regulares e Claustro ejecti licet per ipsos non stet ad Monasterium regredi, quamvis non sint in sacris constituti, ad Officium recitandum tenentur, a quo tamen onere liberi censentur Regulares Professi ad triremes damnati, licet sint in sacris constituti. Primæ partis ratio est, quia licet e Claustro ejecti, manent tamen adhuc in statu ecclesiastico & regulari, & licet ob expulsionem regularia munia implere non valeant, non sunt tamen ab onere professionis liberati, ob quam ad eas regulas & regularia munia obligantur, quæ servare per se se possunt, cujusmodi sunt

& de la-

& delatio habitus regularis, & divini Officii persolutio. Ratio vero secundæ partis desumitur ex miseræ vitæ statu, quo affliguntur, qui vix ac ne vix quidem Breviarii recitationem permittit, cui est etiam plerumque adjoncta Breviarii carentia, & præsumi etiam potest hujusmodi Religiosos tacite esse a Pontifice dispensatos ab eo præstando munere, quod in religiosi status dedecus, & opprobrium redundaret.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Onus recitandi Officium afficit Religiosum Professum ab hora emissæ professionis; tunc enim incipit esse vere Regularis. Quamobrem si Professionem de mane emittat ante decantatam in choro Primam, ad omnes diurnas horas recitandas tenebitur; si post prandium ante Vesperas ad Vesperarum Officium, si post Vesperas ad solum Completorium celebrandum obstringetur.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Regulares sicut & Moniales emissa Professione ad quotidianam divini Officii, etiam privatam, recitationem tenentur. Est contra Aragonium, & nonnullos alios Probabilistas, qui censent, Regulares, vel Moniales non peccare lethaliter, si semel vel bis privatam Breviarii recitationem negligant, quibus tamen adversantur communiter Theologi omnes: & jure meritoque, quandoquidem onus recitandi est quotidianum, & quidem in re gravi, proinde sine lethali culpa nequit omitti. Et revera, sicut etiam per oppositæ sententiæ defensores Clerici in sacris constituti sine gravi culpa quotidianam officii recitationem nec semel queunt omittere, cur non & Regulares, & Moniales, cum eadem lex, eademque consuetudo æqualiter utrosque afficiat?

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Regulares omnes, qui ex præscripto Breviarii Ordinis sui, vel ex inveterata consuetudine præter horas canonicas, etiam Officium parvum B. Virginis, Psalmos Pœnitentiales, Officium Defunctorum, vel quotidie, vel certis statis diebus recitare tenentur, huic oneri etiam cum privatim recitant Breviarium sub lethali subjiciuntur. Ita expresse Fagnanus in 3. Decretalium par. 2. pag. 190. qui late probat, hujusmodi Officia penes illos partem constituere divini Officii, nec a S. P. V. fuisse dispensatos, cum præfatus Pontifex nonnisi illi generali consuetudini derogaverit, de qua inter juris peritos dubium erat, num esset inducta sub obligatione gravi, quibusdam affirmantibus, quibusdam inficiantibus, non vero statutis rubricis consuetudinibusque peculiaribus privatisque vel alicujus Ecclesiæ, vel Ordinum Religiosorum, quos certo apud omnes constabat sub lethali obligare. *Etenim* (scribit Fagnanus) *de valore particularis consuetudinis nulla erat controversia inter Doctores, sed omnes unanimiter conveniebant in hoc, ut recitatio Officii esset in præcepto, si ita se haberet Ecclesiæ, vel Monasterii consuetudo*. Hinc in Ordine Prædicatorum Professi choro addicti tenentur Officium parvum B. Virginis, & Psalmos Graduales certis statutis diebus, nec non Officium Defunctorum semel in hebdomada, etiam privatim, recitare sub lethali peccato. Ita colligitur ex S. Th. quodlib. 5. q. 5 a. 2. ubi inquirens, *Num Clericus beneficiatus in scholis existens teneatur dicere Officium Defunctorum*: sic respondet: " Clericus ex hoc ipso, quod est Clericus, & " præcipue in sacris Ordinibus constitutus " tenetur dicere horas canonicas, sed in- " quantum est Clericus beneficiatus in hac " Ecclesia, tenetur dicere Officium secun-

 dum

„ dum modum illius Ecclesiæ. Est ergo „ considerandum, quod Officium Mortuorum „ quandoque in Ecclesia dicitur sicut ordinarie pertinens ad Ecclesiæ Officium, „ sicut in tota Ecclesia in die Animarum „ dicitur Officium pro Mortuis, & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo, puta ut dicatur ordinarie Officium Mortuorum semel in „ septimana, vel qualitercumque aliter secundum certum tempus; & ad hujusmodi Officium Mortuorum tenetur Clericus „ beneficiatus in aliqua Ecclesia, etiam in „ scholis existens, ut per hoc satisfaciat „ Mortuis, quorum recipit bona. " Pari igitur ratione Professus in Ordine Prædicatorum tenetur & Officium Defunctorum, & B. Virginis, & alia recitare juxta consuetudinem sui Ordinis, cujus Officium ex illis integratur. Nec putandum hoc onus & præceptum ex Constitutionibus oriri, quas palam est sub peccato non obligare, quandoquidem Constitutiones potius hoc præceptum supponunt, quam imponunt, & solum tempus & locum designant recitationis, vel ad summum, ut optime observat Natalis Alexander, ex Constitutionibus quidem, & peculiari Ordinis consuetudine habent hujusmodi Officia, ut pertineant ad canonicum & ordinarium Ordinis Officium certis diebus ac temporibus. Sed obligatio recitandi canonicum Officium integrum secundum modum suæ Ecclesiæ vel Ordinis ex Ecclesiæ præcepto dimanat. Hinc jure meritoque in Comitiis Generalibus sub Magistro Antonino Cloche celebratis declaratum est, Religiosos omnes Professos ad præfatorum Officiorum recitationem statis diebus ex præcepto teneri.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Qui Beneficium ecclesiasticum obtinent licet admodum tenue, ad Officii divini recitationem tenentur. Et quidem Beneficium obtinentes ad persolvendas horas canonicas teneri jam superius ostendimus. Quod vero teneantur; licet Beneficium tenue admodum sit, docent plurimi tum Canonistæ, tum Theologi, inter quos S. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 3. § 41. scribens: *Tenentur ex præcepto ad horas canonicas quilibet Clerici Beneficiati non existentes in sacris, nec excusare se possunt ratione exiguitatis Beneficii, si ex eo non percipiant necessaria, sed imputent sibi ex quo se fecerint ad illud intitulari*. Et confirmat Fagnanus in cap. *Conquerentes* Extr. *de Cler. non resid.* docens: *Sicut non excusatur a residentia ex eo quod ex Beneficio vitæ necessaria non percipiat: ita non excusatur ab horis dicendis. Imputet sibi quod Beneficium non sit competens, quia nihilominus tenebitur ad horas ex quo se fecit ad hoc intitulari*. Et revera Concilia, quæ onus Beneficiatis imponunt persolvendi horas canonicas, non distinguunt inter tenue & pingue Beneficium, sed absolute decernunt teneri. Basileense sess. 21. *Quoscumque Beneficiarios admonet S. Synodus &c.* Et Lateranense sub Leone X. sess. 9. *Quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura &c.* Et S. Pius V. confirmans & declarans Lateranensis Concilii Decretum, universaliter statuit, omnes Beneficiarios nulla facta distinctione ad Officii recitationem teneri: & hanc opinionem Navarus in Enchirido de Orat. cap. 7. n. 27 merito communem appellat, & apud omnes receptam. Ratio quoque evincit, nam qui tenue possidet Beneficium, in censum Beneficiariorum collocatur, & fructus percipit, onus proinde subire debet Beneficiariis impositum, quod non ex fructuum quantitate exoritur, sed ex ipso Beneficii titulo. Qui vero contra sentiunt Theologi, non conveniunt in tenuitate Beneficii assignanda, ut quis

qu s ab onere recitandi Officium censeatur solutus. Solo tenue Beneficium reputat, cujus redditus octo aureos non excedunt, alii qui tertiam partem mediocris sustentationis non tribuunt. Omnes tamen conveniunt saltem certis diebus, puta Dominicis, & Festis ad horas persolvendas teneri.

Consectarium Septimum.

VII. Qui obtinent præstimonia vel capellanias collativas, ad divini Officii recitationem adstringuntur. Ratio est aperta, nam S. Pius V. declaravit: *Præstimonia, præstimoniales portiones, & quæcumque alia beneficia, etiam nullum servitium habentia, cum prædictis* [beneficiis] *comprehendi*. Quamobrem obtinentes ad onus divini Officii persolvendi teneri. Cum vero Capellania collativa sit verum Beneficium, ad idem onus adstringitur qui obtinet. Immo si Capellania in sua quidem institutione laica sit, sed a diutino tempore ad præscribendum requisito, ab Episcopis conferri consueverit, illisque collatio sit reservata, cum jam in ecclesiasticum transierit Beneficium, onus revera affert recitandi divinum Officium; secus tamen dicendum, si semel tantum, vel iterum ab Episcopo sit collata, adhuc enim remanet laicalis, nec ecclesiastici Beneficii induit dignitatem.

Consectarium Octavum.

VIII. Ad horarum canonicarum pensum tenentur Beneficiarii, licet nullos percipiant fructus, vel quia ipsi in culpa sunt, vel quia absunt ab Ecclesiis ob suum commodum & utilitatem, vel quia fructus reservati sunt per aliquod tempus Ecclesiæ, vel in pia opera sive pauperum subsidium. Quandoquidem onus precum canonicarum oritur ex titulo Beneficii, & jure percipendi fructus; porro qui ex culpa & negligentia, vel ob excommunicationem eos non percipiunt, nec spoliati sunt Beneficio, nec jure ejus fructus percipiendi, possunt siquidem &. negligentiam excutere, & ab excommunicatione absolutionem obtinere; non ergo sunt ab eo onere immunes. Pari pacto qui ob studia in Universitatibus resident, ut Magisterii lauream, vel Doctoratus consequantur, ob proprium commodum absunt, & possent, si vellent, non abesse, & sic fructus, qui nonnisi residentibus distribuuntur, percipere, titulum tamen retinent, & jus ad fructus, propterea & ad onus Officii tenentur; a quo tamen liberos censerem, si ob ipsius Ecclesiæ utilitatem abessent. Denique qui fructus non percipiunt primo vel secundo anno, quia reservati Ecclesiæ, vel pauperibus, vel piis usibus, cum Beneficium acceptaverint cum hoc onere, non censentur soluti a præcepto Breviarii recitandi. Hic tamen duo sunt notanda, alterum ex D. Th., alterum ex jure Canon. cap. *suscepti* Ext. com. lib. 3. tit. 3. Primus 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3. docet: " Circa collationem ,, Beneficiorum sciendum est, quod si Episcopus, antequam Beneficium alicui conferat, ob aliquam causam ordinaverit ,, aliquid subtrahendum de fructibus Beneficii conferendi, & in pios usus expendendum, non est illicitum: si vero ab ,, eo, cui Beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius Beneficii, idem est, ac si aliquod munus ,, ab eo exigeret, & non caret vitio simoniæ. " Alterum vero consuetudinem damnat applicandi omnes fructus primi, vel secundi, vel alterius anni vel fabricæ, vel Ecclesiæ, vel personis annalia sive ex statuto, sive ex consuetudine, sive privilegio obtinentibus, & id omnino fieri vetuit, duntaxat permittens ut reservetur solum summa, quæ dari in solutione decimæ consuevit, vel si nulla sit decimæ taxa, solum dimi-

dimidia pars fructuum. Videtur enim æquitati, justitiæque contrarium, ut qui altari deservit, nihil de altari percipiat, sed omnes fructus ab aliis percipiantur. Quamobrem ex S. Th. doctrina colligitur, quod ne simoniæ crimen patretur, si qua pars fructuum Beneficii est subtrahenda, ante Beneficii collationem subtrahatur, itaut quicumque ille sit qui Beneficium consequatur, sit huic fructuum diminutioni obnoxius. Ex Pontificum vero Decretis sancitum est, non amplius licere omnes Beneficii fructus cuiquam reservare, & contrariam consuetudinem esse tamquam iniquam & pravam omnino abolendam. Si tamen alicubi vigeat, repugnante justitia, non tamen Beneficiarius ab onore divini Officii persolvendi liber est habendus.

Consectarium Nonum.

IX. Qui Beneficium obtinuit, ejusque possessionem adivit, sed lite intentata fructus percipere nequit, tenetur Officium persolvere. Ita Navarrus cap. 7. de Orat. n. 18. cui adhæret Jueninus Tom. 3. de Sacram. c.3. §. 3.Interrog. 7. quia omnia habet, quæ ad obligationem persolvendi horas canonicas inducendam sufficiunt, nimirum titulus, possessio, jus percipiendi fructus, & spes probabilis eos habendi. Quid, si Beneficium quis obtinuerit, sed a possessione arceatur lite intentata, tenebitur ne ad pensum horarum? Negat P. Concina auctoritate & rationum pondere ductus Patris Comitoli; verum argumenta non adeo invicta sunt, ut rem conficiant. Nam dicit: *Onus præstandi horas canonicas neque ex beneficio tantum si illud sterile omnino sit & vacuum, nec ex fructuum sola perceptione, sed in utroque, beneficio nempe, & vectigali aliquo eidem injuncto procedit*. At non sibi cohæret Vir Clarissimus, nam paulo ante n. 17. quæst. 14. de obtinente Beneficium sine ullo prorsus fructu & emolumento inquirens, num ad Officium recitandum teneatur, sic post plura concludit: *Si quis horum Beneficiariorum super hac re me consuleret, hoc ei præberem responsum, aut dimitte Beneficium, aut recita Officium*. Ergo ex solo titulo Beneficii consurgere agnoscit onus persolvendi horas canonicas, etsi nullum inde capiatur emolumentum. Prætetea si ex Beneficio nullam utilitatem afferente consurgit onus illud, quanto magis consurget ex Beneficio, quod cum litigiosum sit saltem spem probabilem affert fructus percipiendi? Quod si dicas incertam esse, & dubiam fructuum perceptionem, cur non dicendum Beneficiario hæc suggerenti, aut dimitte beneficium litigiosum, aut recita Officium? Præterea in collatione & acceptatione beneficiorum non privatum lucrum, non peculiaris utilitas est primo & principaliter spectanda, sed Ecclesiæ servitium, Dei honor & gloria, Testatorum pia voluntas: porro ex litigantium contentione nec est Ecclesia suo fraudanda servitio, nec Deo debitus subtrahendus honor, nec benefactorum deludenda voluntas: vel igitur litem omnem dirimant, vel litigantes quod muneris sui est persolvant. Et hæc sola animadversio, meo judicio, ceteras omnes dissolvit argutationes in favorem benignioris sententiæ. Nec omnino verum est quod subdit P. Concina: *Beneficium subjectum liti habetur pro vacante*; nam si vacans esset, nullus pro eo obtinendo litem alteri moveret, & ulterius Ecclesia providit, ne ob vacationem diu Ecclesia suo careret servitio, sed tempus nominationis & collationis præstituit, ultra quod sine amissione juris vel nominandi, vel conferendi, ejus collatio nequit differri; at in beneficio litigioso cum nullus sit litium finis præstitutus, potest contingere, ut diutissime Ecclesia servitio suo careat, & Deus debita

debita laude atque honore fraudetur; non est ergo idem sentiendum de beneficio litigioso, & vacante. Quid quod si beneficio adnexa sint alia opera, puta Missarum celebratio, vel Sacramentorum administratio, hæc ob litem minime suspenduntur, ergo nec horarum canonicarum est suspendenda recitatio, nam ejus recitationis fructus & utilitatem percipiet qui vicerit, & cui adjudicatum fuerit beneficium; At tunc quo titulo fructus percipiet cum onus non portaverit, & commodum sentiet qui nullum sensit incommodum? Tutum igitur coram Deo putarem, si litigantes convenirent, ut Officium alternatim recitent, vel alter hoc onus assumat, qui si causa cadet, ab altero fructus recitationi respondentes lucretur, & ita nec Ecclesia servitio, nec Deus debito cultu fraudabitur.

CONSECTARIUM DECIMUM

X. Qui vi vel fraude a fructuum perceptione arcetur, vel eis spoliatur ad tempus, non est a recitatione canonici Officii solutus. Quandoquidem hic & titulum, & possessionem, & jus, & spem habet percipiendi fructus, quæ omnia satis sunt, ut inducant onus Officii persolvendi. Alioquin vel sterilitas anni, vel grando agros depopulans, vel furum rapina, vel inimici malitia segetes incendentis, Beneficiarios ab onere liberarent, quod profecto nemo Theologorum unquam docuit: nam hæc infortunia sunt, quæ sicut possessores a temporalibus oneribus non liberant, ita nec a spiritualibus. Quod si fructuum privatio perpetua sit, nec ulla adsit spes eos vel in totum, vel in partem lucrandi, a penso Officii omnes fere Theologi Beneficiarium liberant, & jure merito præsertim, si beneficium adierit cum spe recipiendi fructus; at si probe noverit nullos unquam percipiendos fructus, & tamen acceptaverit beneficium, nonne illi regerendum erit cum P. Concina, *vel dimitte Beneficium, vel recita Officium?*

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Qui ob plura quæ obtinet beneficia ad canonicum Officium persolvendum tenetur, unica recitatione munus suum implet, si omittat & non plura, sed unum tantum peccatum committit. Primam partem clare docet S. Th. quodlib. 1. art. 13. rationem assignans, *quia laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit quod semel Officium dicat secundum consuetudinem alicujus Ecclesiarum, quarum est Clericus*; & cum eo omnes conveniunt Theologi. Altera vero pars ex ea doctrina sponte consequitur, si enim ad unicam recitationem adstringitur, ejus omissione non nisi unum peccatum perpetrat. Quod si duplici titulo teneatur, puta beneficii, & Ordinis Sacri, putarem omissionem illam vel duplex inferre peccatum, vel crimen duplici coinquinatum malitia, nimirum & contra justitiam ratione beneficii, & contra Religionem ratione status clericalis. Quod tamen non est extendendum ad illum; qui ex Professione Religiosa & ex Ordine Sacro tenetur, quia hic unum tantum committit peccatum contra unam & eamdem virtutem Religionis.

CONSECTARIUM DUODECIUM.

XII. Clerici filii-familias beneficia obtinentes, quorum fructus percipiuntur a Patre, ad Officii recitationem tenentur. Ratio est, quia eorum nomine, & titulo beneficii illis collati reditus percipiunt parentes, & idem omnino est ac si per se perciperent. Quod si hi Clerici pueri sint, nec sciant Breviarium persolvere, inepti etiam dicendi sunt ad beneficium obtinendum, cum beneficium pro Officio detur; ideoque S. Synodus

Synodus Tridentina statuit, nulli esse beneficium conferendum ante annum quartumdecimum. At dicea, accessit dispensatio Pontificis, quæ annum prævenit. Tunc si legere sciant, & Breviarium aliquo modo, saltem cum socio, recitare valeant, tenentur, si vero nondum legere didicerint, dispensantur quidem, sed tenentur addiscere, & quam primum poterunt pensum canonicum persolvere. Quod si filius invitus, & a Patre coactus beneficium acceptaverit, ut reditus ipse Pater percipiat, ab onere recitationis absolvunt quidem Layman, & Busembaum, sed nulla assignata ratione. Verum adhuc teneri dicendum est, tum quia revera bona ecclesiastica ejus nomine Pater obtinet, quæ & in filii utilitatem redundant, tum quia constanter respuere debebat statum clericalem sine legitima vocatione, & beneficium recusare, cujus se indignum agnoscebat. Quod si ex ignavia, & pusillanimitate acceptavit, sibi imputet, nec liberationem ab onere præsumat ex sua culpa reportare. Præterea cum etiam laudati benigniores Theologi doceant, Patrem ad fructus restitutionem teneri, debet ergo filius Officium recitare, ne Pater percipiens fructus & non restituens æternæ damnationi subjaceat.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Clerici in minoribus constituti beneficium non obtinentes ad nullas preces tenentur; si pensionem obtineant, parvum B. Virginis Officium recitare debent, etiamsi Matrimonium contrahant. Probatur: Nullum habetur jus, nullum præceptum, nulla consuetudo, quæ clericos ad aliquas orationes obliget, licet sint & divino cultui mancipati, & fortasse aliquas percipiant stipes ex oblatis a populo, vel ex funeribus, nisi forte in aliqua Ecclesia sint reditus designati pro sustentatione clerico-rum cum onere recitandi vel vesperas defunctorum, vel Psalmos Pœnitentiales, vel Officium Marianum; tunc enim tenerentur ex contractu & justitia; si vero pensionem obtineant titulo clericali, ad Officium parvum B. Virginis quotidie recitandum adstringuntur ex Constitutione S. Pii V. *Ex proximo* ubique recepta. Hinc merito Aquilejense Concilium Provinciale anni 1596. decrevit: *Pensionarios serio monitos esse volumus, eos ad Officium B. Mariæ Virginis quotidie recitandum teneri: præter peccatum mortale quod committunt, si omiserint, restitutionis onere obstrictos declaramus.* Dixi titulo clericali, nam si quis pensionem sive emolumentum ab Ecclesia reciperet ob pulsandas campanas, aperiendas Ecclesiæ fores, mundandam, & ornandam Ecclesiam, vel similia, non teneretur, hæc enim foret merces ejus laboribus repensa. Quod si clericus ad matrimonialem statum transeat, si adhuc pensionem retineat, ad Officium persolvendum adstringetur, cum pensio sit ex indole sua ecclesiastica, & clericalem statum saltem præsupponat, non mutat itaque naturam, licet possessor statum mutet. Si vero pensionis redemptionem acceptet, adhuc tenetur ad Officii recitationem, quia fructus ecclesiasticos reciperet, & tamdiu teneretur, quandiu durasset ipsa persio, si redempta non fuisset, quia licet amplius in singulos annos tantumdem non recipiat, percipit tamen æquivalenter in pretio pro redemptione, quod si forte inferius sit annua pensione, hoc sibi imputet, qui tali anticipatæ solutioni consensit. Qui vero ob aliquem titulum ad Officium divinum recitandum tenetur, licet pensionem obtineat, ab onere persolvendi Marianum Officium liberatur.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Coadjutores Beneficiariorum licet congruam

congruam aliquam Beneficii portionem obtineant, & sedem habeant in choro, ac vocem in capitulo, nec non spem futuræ successionis, non tenentur divinum Officium persolvere. Quia vere Beneficiarii non sunt, sed Beneficium permanet apud Coadjutum, nec ex unico Beneficio potest duplex onus consurgere in Proprietario & Coadjutore. Solum si Coadjutor aliquos percipiat fructus per modum pensionis, ad Officium parvum B. Virginis recitandum tenebitur. Si vero Parocho infirmo vel absenti assignetur Coadjutor, qui vices ejus in omnibus gerat, assignata Beneficii parte, sicut alia Parochi munia debebit implere, ita & ad Officium recitandum tenebitur, ut communiter docent Theologi.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Qui sacrum Subdiaconatus Ordinem suscipit, eo susceptionis die horas recitare tenetur, quæ juxta Ecclesiæ morem supersunt recitandæ. Hinc cum sacra Ordinatio fieri consueverit inter Sextam & Nonam, ad hanc ultimam horam, vel certe Vesperas, & Completorium recitandum tenebitur. Ita communiter Theologi, contra nonnullos Probabilistas, ea ratione ab hoc onere Subdiaconos dispensantes, quia qui non tenetur, vel non potest recitare majorem partem Officii, nec ad minorem tenetur, quæ doctrina cum damnata fuerit in proposit 54. ab Innocentio confixa, tamquam falsa omnino est rejicienda. Eapropter Ordinandi & paratum habere debent Breviarium, & ritum didicisse illud recitandi, ut muneri suo statim rite & recte valeant satisfacere.

CAPUT II.

De modo, ritu, ordine, tempore recitandi privatim Horas Canonicas.

DOCTRINA.

I. *Officium divinum est attente, & devote recitandum.*

II. *Requiritur attentio ad verba, quæ proferuntur.*

III. *Quæ tamen sufficiens non est ad attentam recitationem.*

IV. *Nec necessaria attentio ad sensum litteralem vel mysticum verborum.*

V. *Sed satis est attentio ad finem orationis.*

VI. *Attentio alia actualis, alia virtualis, alia habitualis.*

VII. *Officium juxta Breviarium Romanum est communiter recitandum.*

VIII. *Sed Ecclesiæ & Regulares proprium Breviarium habentes juxta illud persolvere debent pensum horarum.*

IX. *Quotidiana & integra præcipitur Officii divini recitatio.*

X. *Non licet Officium pro Officio celebrare, licet servetur æqualitas.*

XI. *Nec horarum vel psalmorum ordinem invertere.*

XII. *Horæ canonicæ sunt ore recitandæ, non mente.*

XIII. *Tempus horis canonicis congruum est servandum.*

XIV. *In omni loco licet divinarum laudum pensum privata recitatione persolvere.*

XV. *Est necessaria intentio seu voluntas proprium munus implendi.*

I. QUI divinum Officium recitare tenentur, ut præceptum impleant, suoque muneri satisfaciant, debent illud attente ac devote recitare. Id manifeste patet ex ipsa

ipsa orationis & laudis Dei natura, quia sine aliqua mentis attentione ad Deum neque essentia, neque honestas orationis consistit: definitur enim oratio, *Petitio decentium a Deo, & elevatio mentis in ipsum.* Porro cum petitio sit actus mentis, repugnat ut sine attentione fiat multo minus elevatur in Deum mens, quando ab eo per vanas aberrat cogitationes; quapropter D. Paulus ad Corinth. 14. ajebat: *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente*, qui & commate præcedente dixerat: *Si orem lingua* [idest si hanc solam adhibeam], *mens mea sine fructu est*. Et hunc attentionis defectum reprehendit in Judæis Christus Dominus verbis ex Isaja desumptis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Consentiunt Patres omnes, qui orationem sine attentione aperte reprobant, & damnant. Unde scribit S. Laurentius Justiniani Lib. de Disciplina Monast. Conversf. cap. 17. *O quam sæpe qui divinis occupantur in laudibus solo assistunt corpore, & tanquam garrulæ aves sine interiore sensu emittunt verba! De talibus per Prophetam Dominus dicit*: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Et S. Basilius relatus a D. Th. *Divinum auxilium est implorandum, non remisse, nec mente huc vel illuc evagante, eo quod talis non solum non impetrabit, quod petit, sed etiam Deum magis irritabit*. Sed audiatur ipse D. Th. qui 2. 2. q. 83. art. 13. inquirit: *Utrum de necessitate orationis sit, quod sit attenta*. Et in corpore articuli sic statuit: " Dicendum, " quod hæc quæstio præcipue habet locum " in oratione vocali. Circa quam sciendum est, quod necessarium aliquid dicitur dupliciter. Uno modo per quod melius pervenitur ad finem, & sic attentio " orationi absolute necessaria est. Alio modo aliquid dicitur necessarium, sine quo " res non potest consequi suum effectum " Est autem triplex effectus orationis. Primus quidem communis omnibus actibus " caritate informatis, quod est mereri. Et " ad hunc effectum non ex necessitate requiritur quod attentio adsit orationi per " totum, sed vis primæ intentionis reddit " totam orationem meritoriam, sicut in " aliis meritoriis actibus accidit. Secundus " autem effectus orationis est ei proprius, " quod est impetrare, & ad hunc etiam " effectum sufficit prima intentio, quam " Deus principaliter attendit. Si autem " prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetrativa. *Illam enim orationem Deus non audit, cui ille qui orat " non intendit*, ut dicit Gregorius. " Et in resp. ad 3. " Si quis ex proposito in " oratione mente evagetur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum; " & contra hoc Augustinus dicit in regula: *Psalmis, & hymnis cum oratis Deum, " hoc versetur in corde quod profertur in ore.* "

II. Quodnam autem requiratur attentionis genus idem Angelicus loc. laud. explicat, subdens: " Triplex attentio orationi vocali potest adhiberi: una quidem, " qua attenditur ad verba, ne aliquis in " eis erret; secunda, qua attenditur ad " sensum verborum; tertia, qua attenditur " finem orationis, scilicet ad Deum, & ad " rem pro qua oratur; quæ quidem est " maxime necessaria. Et hanc etiam possunt habere idiotæ. " Ex qua doctrina S. Thomæ sequitur 1. contra Cajetanum, Sotum, Navarrum, aliosque, quibus Suarez adhæret, deesse non debere orationi vocali attentionem ad verba, quantum saltem necessaria esse potest, ut quis verba, quibus orat, congrue & humano modo proferat; nam si quis ita mente etiam in rerum divinarum contemplatione figatur, ut etsi linguam moveat, ad prolationem tamen verborum attendendi prorsus fiat inops,

& ne-

& nesciat plane quid dicat, nego hunc vocaliter orare; sed sola mente, quia illa pronuntiatio exterior non est humana, sed motus indeliberatus, sæpe sæpius ex vehementia affectus resultans; quamvis enim linguam temere moveat, regere tamen non potest, nec dijudicare an apte loquatur; similis ei qui somno correptus dormiendo verba continuat magis ex habitu, quam data opera. Licet autem defectus hujus attentionis, quem cum D. Bonaventura *superficialem* dicere possumus, quando ex excessu provenit contemplationis, maxime si ex S. Spiritus accensione excessus iste causetur, non ex voluntaria ad sublimiora applicatione, in illis orationibus vocalibus, quæ ex libito recitantur, nulli oranti inferant detrimentum, vel culpæ labem, nihilominus in recitatione divini Officii, vel in precibus illis, quæ vel voti, vel Sacramentalis sanctificationis obligatione voce recitandæ imponuntur, nisi opportune suppleantur, tantum fere potest obesse, quantum voluntaria distractio. Ita docet D. Bernardus serm. 47. in Cantica, sic fratres suos alloquens: *Nihil aliud dum psallitis præter id quod psallitis cogitetis, nec solas dico vitandas esse cogitationes vanas & otiosas, vitandæ sunt & illæ [illa duntaxat hora & loco] quas Officiales fratres pro communi necessitate quasi necessario frequenter admittere compelluntur. Sed ne illas quidem profecto reipsa semper consuluerim, quæ forte paulo ante in Codicibus legeratis, qualia nunc me viva voce disserente ex hoc auditorio Spiritus Sancti recentia reportatis; salubria sane sunt, sed minime illa salubriter inter psallendum revolvitis. Spiritus enim Sanctus illa hora gratum non recipit quidquid aliud quam debes; neglecto eo quod debes, obtuleris.* Quare audiendi mea sententia non sunt Auctores illi, qui superficialis attentionis necessitatem excludunt a recitatione Breviarii quoties perfectior adfuerit attentio, nisi benignius interpretemur eos loqui de illa attentione scrupulosa & reflexiva, qua aliqui de singulis verbis cogitant, quæ profecto adeo non est necessaria, ut sit etiam nociva, & distractionem magis foveat, quam mentis collectionem; sed nos talem attentionem ad verba requirimus, quæ ad congrue, integre, & ordinate, uno verbo, ad rationabiliter & sine errore loquendum sufficiat.

III. Hanc tamen explicatam superficialem attentionem, licet necessariam, minime tamen sufficientem credimus ad recitationem Officii, honestatem, & pietatem; quamvis ita sentire videantur non pauci Auctores, qui attentionem ad verba omnium quidem attentionum minimam fatentur, sufficientem tamen existimant ad bene orandum, etiamsi conjunctam habeat voluntariam exclusionem, sive neglectum perfectioris attentionis, quæ opinio evidentissime confutatur; quoniam attentio superficialis ad verba, qualis invenitur etiam in memoria tradente formulam aliquam orandi, satis non est ut prolatio verborum religiose fiat ex affectu orandi Deum, hic enim affectus necessario importat alteram virtualem alicujus objecti distincti considerationem; seu recordationem. Eo vel magis, quoniam hujusmodi attentio superficialis consistere potest cum voluntaria cogitatione de rebus omnino alienis a fine orationis, quibus tamen dedita opera vacare posse eum qui orat, nemo ausit affirmare

IV. Verum attentio ad sensum litteralem verborum, vel ad mysticum & spiritualem, est quidem in recitatione divini Officii, utilis, atque æstimabilis, non tamen necessaria; & quidem utraque suam habet utilitatem & pretium, quia ad excitandam devotionem, relevandum orationis tædium, aliasque attentiones promovendas valde conducit

ducit. Sed neutram esse necessariam 1. evincit praxis Ecclesiæ, quæ permittit ab idiotis latinas formulas adhiberi, quarum specificam significationem ignorant, immo a personis ad divinum Officium persolvendum adstrictis, ut a Monialibus & adhuc rudibus Beneficiatis eas exigit, & ab utrisque rite orari non ambigit, esto eis sensus tum litteralis, tum mysticus sacrorum verborum ignotus sit. 2. Ratio quoque suadet, quoniam sine illa duplici attentione potest consistere tum pius affectus orandi, tum vera petitio in usu verborum, si ille qui ea profert id tantum sciat, vel credat in ipsis contineri laudes, & petitiones ad Deum; quemadmodum ille, qui Summo Pontifici supplex exhiberet petitionem scriptam idiomate quod non intelligit, ut stylo Curiæ Pontificiæ morem gereret, & veraciter peteret, & recte faceret.

V. Itaque maxime necessaria ad Breviarii recitationem dicenda est, atque habenda attentio, præter superficialem, ea, quam D. Th. vocat ad *finem orationis*, & quam habere posse & idiotas dicit, qua scilicet mens affectuose cogitat de Deo, a quo postulat, & de re ipsa quam postulat, & quæ si desit, aliæ attentiones minime valent ad præstandam horarum canonicarum recitationi formam, & perfectionem, nudam enim & sterilem speculationem, qualis & studendo & docendo adhibetur, se solis offerunt. Contra si aliis, præter superficialem, omissis, hæc una retineatur, statim exterior Orationis actus ad divinum cultum determinatur, & interioris petitionis practicum atque idoneum signum efficitur, ut ex hactenus dictis patet clarissime.

VI. Triplex quoque hujus ad Deum & ad divina attentionis a Theologis veluti gradus distinguitur, nimirum attentio habitualis, actualis, quæ melius dicitur formalis, & virtualis. Attentio mere habitualis est quædam animi præparatio ad attendendum ex præcedentium actuum frequentia comparata, quæ& in dormientibus esse potest: formalis est actualis mentis cogitatio & advertentia: Virtualis est propositum attendendi, quo quis semel ad orandum se applicuit, & vi cujus nunquam retractati verbalem orationem protrahit, esto deinde naturali mentis infirmitate in alienas dilabatur cogitationes, quas toties abjicere paratus est, quoties suam cognoverit evagationem. Porro certum est, attentionem habitualem cum nullum deliberatum actum importet, ineptam esse ad honestatem, pietatem, utilitatemque orationis verbis ore prolatis conciliandam; proinde ad præceptum implendum in horarum canonicarum recitatione nequaquam sufficere. Formalis attentio ad perfectionem quidem orationis exoptabilis est; immo si hæc sola mente concipiatur, etiam ad ejus essentiam necessaria, quia mentis actus sola mentis attentione exerceri potest; at in oratione vocali, cum externa prævia pronuntiatio, exorandi affectu inchoata, non desinat esse voluntaria, & deliberata actio, esto interea cogitatio præter animi sententiam ad alia objecta diverterit, consequitur & moralitatem, quam initio habuit ea pronuntiatio, etiam cessante formali advertentia propter immotum voluntatis propositum, perseverare, proinde & pietatem & honestatem orationis, adeoque sufficere ad satisfaciendum præcepto. Ita omnes Theologi docent præeunte D. Th. in 4. Dist. 15. art. 2. quæstiunc. 4. sic scribente: " Dicendum quod „ attentio actualis requiritur ad orationem „ aliquo modo, vel ad evitandam transgressionem in illa oratione, quæ est in „ præcepto, vel ad meritum in illa, quæ „ non est in præcepto, sed non omnibus „ modis. Sicut enim dictum est, aliquis „ actus manet per essentiam & virtutem

quando-

„ que, sed quandoque transit actu, & manet in virtute, sicut in exemplo de projectione lapidis patet, & sic manere actum in virtute est quidam medius modus inter ipsum esse, & in habitu & in actu, quia quod in habitu est, nec in virtute neque per essentiam actus est. Secundum hoc ergo dico, quod attentio in oratione manere debet semper secundum virtutem, sed non requiritur quod semper maneat per essentiam actus. Manet autem secundum virtutem, quando aliquis accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiamsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur, nisi tanta fiat evagatio, quod omnino depereat vis primæ intentionis: & ideq oportet quod frequenter homo cor suum revocet ad seipsum." Si vero quandoque in D. Thoma legitur habitualem sufficere attentionem, animadvertendum S. Doctorem habitualis nomine virtualem designare attentionem. Cur autem necessaria non sit formalis attentio, jam de se patet, quia talis attentio, quæ nullis mentis evagationibus sit interrupta, est in præsenti vitæ statu, ut plurimum, homini impossibilis, qui sæpe sæpius experiri in se cogitur illud Psal. 36. *Cor meum dereliquit me*.

VII. Omnes Clerici tum Seculares tum Regulares Officium celebrare tenentur juxta Romanum Ritum, & ad formam Breviarii a S. Pio V. emendati, nisi peculiari gaudeant privilegio. Ita aperte statuit laudatus Pontifex in sua Constitutione: *Statuimus quoscumque, qui tenentur ad horas canonicas teneri ad dicendum ex præscripto hujus Breviarii, & neminem ex his nisi hac sola formula satisfacere posse*. Hinc lethaliter peccaret, qui, hac abjecta forma, aliquod alicujus sive Ecclesiæ, sive privilegiati Ordinis Breviarium recitaret.

VIII. Clerici Ecclesiis addicti, sicut & quidam Regulares proprium Officium a Romano distinctum habentes, sub lethali tenentur proprium suæ Ecclesiæ, sive Religionis ritum in horis canonicis recitandis servare, nec in privata recitatione Romano uti valent Breviario. Non desunt Theologi, qui Clericis omnibus concedunt, ut in privata recitatione, relicto proprio Ecclesiæ vel Ordinis Breviario, Romano uti possint, ea ducti ratione, quia nullum est jus, nullum statutum, ut quis in privata recitatione potius unius privatæ Ecclesiæ vel Religionis ritui se conformet, quam universali Ecclesiæ Romanæ; & quidem ita sentiunt cum Salmanticensibus nonnulli. Verum longe probabilior est, quam statuimus, doctrina. Nam ipse sanctissimus Pontifex quando concessit, ut proprium retinerent Breviarium, qui a ducentis annis a Sede Apostolica, vel consuetudine approbatum possiderent, statuit, ut si mutare tamen vellent, hoc nonnisi ex consensu majoris partis capituli facere possent: si ergo nonnisi majorem partem Capituli Breviarium mutare posse voluit S. Pontifex, quomodo hæc venia cuilibet particulari pro libito concessa supponi poterit? Accedit, quod in omnibus fere Ecclesiis & Ordinibus proprio utentibus Breviario, ab Episcopo, vel Superioribus sub obedientiæ præcepto jubetur, ut subditi juxta tale Breviarium horas canonicas recitent. Denique rem absolute indubiam facit Decisio S. Congregationis Concilii, relata a Garzia, declarantis *habentes Breviarium ante ducentos annos institutum, non satisfacere recitando, etiam extra Chorum, juxta formam Breviarii novi Pii V. si hoc in sua Ecclesia non fuerit receptum de consensu Episcopi, & Capituli*.

IX. Præfatis Clericis omnibus quotidiana & integra indicta est horarum canonicarum celebratio. Patet ex ipsa consuetudine,

ne, seu lege, vel præcepto, quo ad Officium recitandum adiguntur clerici, quæ non est de qualicumque recitatione, sed de quotidiana & integra. Hinc ut falsa rejicienda est opinio unius vel alterius Probabilistæ, qui Religiosos Professos nondum in sacris constitutos, sicut & Moniales a peccato mortali excusant, si semel vel bis omitterent horas canonicas.

X. Cum horæ canonicæ recitandæ sint vel juxta Romani Breviarii præscriptum, vel apud privilegiatos juxta suæ Ecclesiæ, vel Ordinis Breviarium, peccant lethaliter, & præceptum non implent qui voluntarie Officium immutant, & loco feriæ de Sancto celebrant, vel vicissim, licet æqualitas servetur. Quandoquidem Ecclesia non solum præcipit horarum canonicarum in communi recitationem, sed in particulari jubet, ut tali vel tali die horæ canonicæ vel de feria recitentur, vel de Sancto. Præterea cum præceptum sit de Officio recitando vel ad normam Breviarii Romani, vel alterius sive Ecclesiæ, sive Ordinis, norma utriusque est, ut juxta temporum & festorum diversitatem, diversa quoque recitentur Officia; non implet ergo Ecclesiæ præceptum qui sic horarum canonicarum Officium immutat. Huic doctrinæ magnum addit auctoritatis pondus propositio ab Alexandro VII. damnata, quæ dicebat: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto*. Quid de Officium per errorem mutante sentiendum sit dicemus in Corollariis.

XI. Non licet nec horarum ordinem immutare, nec in ipsis horis canonicis, psalmorum, lectionumve seriem invertere. Ita enim non recitaretur Officium juxta normam a S. Pio V., vel ab Ecclesiis, & Ordinibus privilegiatis præceptam, sed novum & monstrosum induceretur Officii divini genus. Hinc lethaliter peccaret, & præceptum non impleret, qui horarum canonicarum seriem adeo perturbaret, ut ad Primam lectiones secundi Nocturni legeret, ad Tertiam omnia matutinalia responsoria, ad Sextam reliquas lectiones, ad Nonam Psalmos vesperarum, ad Vesperam invitatorium, & ita omnia sursumque misceret, licet tandem omnia, quæ pro illius diei officio sunt præstituta persolveret; hoc enim esset nimium Ecclesiæ ritum perturbare in re gravi, & ab ejus præscripto recedere. Ita statuit S. Pius in Constit. *Quod a nobis* anni 1568. *Statuimus Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse, & quicumque horas canonicas dicere debent; ad dicendum & psallendum horas ipsas diurnas & nocturnas ex hujus Breviarii præscripto & ratione omnino teneri, neminemque nisi hac sola formula satisfacere*. Falsa proinde meo judicio est habenda Salmanticensium doctrina, qui Officium recitantem a lethali culpa excusant, si in Matutino ita ordinem invertat, *ut prius lectiones perlegat, quam Psalmos recitet, Laudes ante Matutinum dicat, unum psalmum ante alium recitet, preces, antiphonas, aut capitula ante psalmos diceret &c.*; & hac quidem meo judicio satis infirma ratione, quia *partes cujuslibet horæ seorsim sumptæ habent completam significationem, nec una ab alia dependet, & uniuntur potius per aggregationem, quam per continuationem, cui aggregationi non obstat hæc inversio*. Nam licet Officium divinum non sit unum per se, sed per accidens compactum, scilicet ex partibus in se completis, verum tamen est, quod nunquam consurget illa orandi forma, quæ ab Ecclesia præscripta est, nisi hæ partes eo ordine copulentur, quo illa præscribit; sicut domus licet sit aggregatio plurium corporum in se completorum, non tamen consurget ædificium, nisi eo disponantur ordine, quem postulat

postulat ratio domus, vel consurget quidem, si lubet, domus, sed non qualis petitur ab eo, qui domum hanc ædificandam præscribit artifici, qui proinde tamquam suam non agnosceret, & se deceptum diceret, & jure merito. Addendum, quod si hæc ratio probaret, totius Officii ordo absque culpa lethali susdeque misceri posset: nam sicut in Matutinis quælibet pars seorsim habet completam significationem, nec una ab alia dependet, & uniuntur potius per aggregationem, quam per continuationem, ita consurgit etiam in ceteris horis Prima, Tertia, Sexta &c. Posset ergo quis recitatis eo ordine perturbato Matutinis, eodem modo & ceteras horas recitare, & sic Primam incipere per *Benedicamus Domino*, postea tertium Psalmum *Retribue* recitare, deinde antiphonam, postea secundum Psalmum *Beati immaculati*, & postea capitulum, denique versiculos dicere ante primum Psalmum, & horam claudere per *Deus in adjutorium*. At quorsum ista benignitas? num ad pietatem fovendam, & ad Deum ferventius laudandum inservit? Non puto. Immo illorum fovet negligentiam, qui horarum canonicarum recitationem onus importabile putantes eo quoquo modo se exonerare student. Nullam ergo inversionem a peccato lethali excusas? Absit. Censeo enim & aliquando solum venialem esse, si inversio modica sit, puta si quis Breviarium præ manibus non habens, & Psalmum secundum primi nocturni memoriter nesciens, recitet primum & tertium donec perveniat ad locum Breviarii, ubi tertio loco secundum recitare possit, vel quid simile, disjunctim tamen non copulatim, nam semper cavendum, ne plures ex istis inversionibus nimium ordinem & ritum divini Officii perturbent. Aliquando hæc inversio sine ulla culpa esse potest, puta si quis Breviario careat, nec illud habere possit nisi circa meridiem, poterit Laudes vel ceteras horas ante Matutinum recitare, cum illarum horarum recitandarum tempus sit congruum, & Matutini dilatio sit inculpata; & si quæ sint aliæ justæ causæ. Sed de his iterum in Consectariis.

XII. Cum horæ canonicæ sint preces vocales, ore recitandæ sunt, nec satisfacit præcepto, qui eas mentaliter revolveret. Ita patet ex præscripto Ecclesiæ, a qua hoc recitandarum horarum manat præceptum, quæ semper vocalem orationem se jubere intellexit. Falsa proinde & improbabilis est nonnullorum licet paucorum Theologorum doctrina, qui mentali recitatione pensum horarum canonicarum persolvi posse putant. Non desunt Theologi etiam, qui privilegia jactant per vivæ vocis oracula concessa Regularibus Officium mentaliter recitandi; at hæc privilegia commentitia & supposititia a plerisque habentur. Qui eis uti volunt, conscientiæ suæ consulant, accurate perpendendo num vera sint, & quo in casu concessa. Dum autem horæ voce recitantur, ita clare dicendæ sunt, ut saltem qui recitat seipsum possit audire. Dixi possit audire, non impedit enim oralem recitationem, si quis nec seipsum audiat, vel quia surdus est, vel quia ob strepitum & clamorem impeditur. Si vero cum alio recitet, tali vocis sono sunt recitandæ, ut unus alterum audiat. Præterea ita distincte, ut verba non syncopet, vel pronunciet truncatis syllabis, vel intra fauces murmurando; qui vero cum alio recitat non ita festinanter oret, ut vix possit audiri, aut finem versiculi ab altero dicti præveniat.

XIII. Tempus horis canonicis congruum est servandum, adeo ut quoad fieri possit, ad illud accedat, quod ab Ecclesia pro choro est prædefinitum. Cum autem ecclesiasticum Officium a vespera ad vesperam se protendat, hinc ex Ecclesiæ consuetudine licet

licet matutinas præces pridie recitare, eo tamen circitee tempore, quo sol ad occasum propior est, quam ad meridiem, ut videre est in Tabellis ad hoc institutis. Prima, Tertia, Sexta, & Nona ante meridiem sunt recitandæ, Vesperæ, & Completorium post prandium. Totum Officium vel mane prævenire, vel sero & ad noctem protrahere sine culpa veniali vix ac ne vix quidem fieri potest, & nonnisi ex aliqua urgentissima causa culpa vacare poterit. Tali tamen urgente causa præ oculis est habenda regula, quam statuit S. Antoninus, videlicet: *Quando Officium propriis horis dici non potest propter occupationes, melius est prævenire, quam tardare, quia prævenire est providentia, tardare vero est negligentia; sive vero prævenias, sive retardes*, subdit S. Præsul, *non videtur esse peccatum mortale*. Num autem liceat Missam ante Matutini & Laudum recitationem celebrare, id statuendum censeo, quod optime docet piissimus Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Bonis Oper. in particulari cap. 18. ubi hæc habet: *De ordine inter Officium horarum, & Officium Missæ disputari solet. Mihi probababilis videtur ea sententia, quæ habet, nullum esse ordinem essentialem inter Missam, & horas canonicas, ut præter alios docet Dominicus Soto. Ideoque siquidem consuetudo Ecclesiæ servat, ut ante Missam persolvantur Officia Laudum & Primæ, quoniam juxta veteres Canones Missa celebrari non poterat nisi hora Tertia, vel Sexta, vel Nona, ut perspicuum est* ex Can. Nocte, & sequentibus de Consecrat. dist. 1. *Quia tamen COMMUNIS sententia & consuetudo fidelium id habere videtur, ut peccato mortali se obstringere censeantur, qui absque GRAVI necessitate Missam celebrare præsumit matutino Officio non expleto, ut patet ex Antonino part. 3. tit. 13. cap. 6. §. 4. Petro Paludano in 4, dist. 13. q. 2. art. 2. Hostiensi in Summa tit. de Consecrat. Eccl. dist. 2. Gabriele super Can. lect. 13. Sylvestro in verbo Missa 1. q. 2. Navarro in Enchiridio de Orat. cap. 21. n. 30. & aliis pluribus: & quia id expresse præscribitur in Rubricis Missalis Romani in principio; & in titulo de defectibus, sine dubio tutius est hoc sequi, quam propter probabilem aliquam rationem peccandi periculo se exponere*. Et sane qui Probabilismum se detestari profitentur, & probabiliorem sententiam sectandam docent, non video, quomodo tuta conscientia ab hac piissimi simul & doctissimi Cardinalis doctrina valeant recedere.

XIV. In omni loco licet divinarum laudum pensum in privata recitatione persolvere. Nam Timotheo scribebat Apostolus 1. cap. 2. *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus*. Pietas tamen erga Deum; & proprii implendi muneris sollicitudo postulat ea vitari loca, ubi negotiorum tumultus, vel concurrentium turbarum strepitus a debita attentione animum posset avocare. Omni etiam culpa communiter vacat, præsertim si qua adsit causa, horas canonicas vel in cubili, vel ambulando, vel sedendo, vel stando persolvere, cum nihil de hoc statutum ab Ecclesia inveniatur pro recitantibus privatim horas canonicas; nisi forte aliquando in aliquibus precibus genuflexio præscribitur, quam ex pigritia negligere culpa venialis erit, nisi justa excuset causa.

XV. Denique intentio, seu voluntas proprium munus implendi juxta omnes Theologos necessaria est. Verum sufficit illa virtualis, quæ in ipsius operis impletione imbibitur. Clericus enim, qui Breviarium in manu sumit, horas persolvit, muneri suo satisfacere se velle aperte indicat. Ideoque necesse foret, ut contraria expressa intentione hanc implicitam & virtualem excluderet, qua se nolle Breviarium ad hunc finem recitare

citare

citare significaret. Qui vero tam stulte se gereret, num severa præceptum impleret, dicemus in Consectariis.

CAPUT VII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non implet præceptum recitandi horas canonicas, qui eas recitat mente plane ad alia vagante.*

II. *Debitam non adhibent attentionem, qui horas recitant occupati actionibus, quæ mentem alio quam ad Deum avocant.*

III. *Evagatio mentis etiam involuntaria tanta esse potest, ut debitam tollat attentionem.*

IV. *Attentionem ad devotam recitationem adhibet, qui dum orat, ad Deum mentem habet, vel ad mysteria Vitæ & Passionis Christi, vel etiam ad Sanctorum Acta, quæ leguntur.*

V. *Qui merito dubitat, num horas vel horam aliquam recitaverit, manente dubio illas recitare tenetur.*

VI. *Implet præceptum recitationis Officii, qui illud persolvit, dum Missam de præcepto audit.*

VII. *Ad implendum præceptum necesse est, ut quotidie quis integrum distinctumque Officium recitet.*

VIII. *Non implent præceptum recitationis Officii Regulares, qui sub obtentu privilegiorum, vel vivæ vocis oraculorum putant se posse mentaliter Breviarium persolvere.*

IX. *Graviter peccant, qui unam horam, licet brevem, omittunt, vel unum ex Nocturnis, vel medietatem alicujus horæ.*

X. *Qui Romano utuntur Breviario, tenentur sub præcepto graviter obligante ad Litanias SS. in die S. Marci, & diebus Rogationum, necnon Officium Defunctorum in die Animarum recitandum.*

XI. *Licet Officium cum socio vel sociis recitare.*

XII. *Qui unum Officium pro alio recitat, si voluntarie id faciat, suo muneri non satisfacit, secus si per errorem, dummodo suppleat si quid desit.*

XIII. *Horarum ordinem invertere non est lethale, & quandoque nec veniale.*

XIV. *Tempus recitandi Officium a media nocte ad mediam noctem.*

XV. *Non implet munus suum, qui horas canonicas recitando ejus partes magna interruptione secaret.*

XVI. *Si ita ageret, qui opus præceptum in recitatione Breviarii impleret, sed animo non satisfaciendi, mutata tamen voluntate ad novam recitationem sub lethali probabilius non teneretur.*

Consectarium Primum.

I. NON implet præceptum recitandi horas canonicas, qui eas recitat mente plane ad aliena vagante. Ita aperte docet S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 13. ad 3. docens: *Si quis ex proposito in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum.* Et in 4. Sent. dist. 15. q. 4. art. 2. ad 4. scribit: *Attentio requiritur ad orationem aliquo modo, vel ad evitandam transgressionem, quæ est in illa oratione, quæ est in præcepto, vel ad meritum in illa, quæ non est in præcepto.* S. Hieronymus exponens verba D. Pauli ad Ephes. *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino* scribit: *Audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum.* Et passim idem docent Patres, & Concilia. Et sane cum oratio sit elevatio mentis in Deum, quis dicat illum rite orare, qui continuis evagationibus alibi, quam ad Deum mentem habet defixam? Ecclesia autem non eam præcipit orationem, quæ

quæ communis esse potest & psittacis, sua in externa verborum pronuntiatione, sed quæ humana sit & religiosa conjuncta cum interna mentis attentione, & devotione. Jure itaque & merito Caramuelis doctrinam arbitror detestandam, qua dicebat: " Præcepto satisfacit, qui voluntarie labiis tantum, non autem mente orat .... Respondeo me tota hebdomada, toto mense, toto anno legisse horas sine culpa veniali, & me non peccasse venialiter tam certo scio, ut possim juramento firmare .... Distractiones non evito. Involuntarias millies, interdum etiam voluntarias, & nihilominus nullo ciucior scrupulo, nullo dubio angor, quia prudenter suppono me ad attentionem internam non teneri; eam habere bonum esse, & ea carere ne quidem levem esse culpam, me ad lectionem tantum & attentionem externam obligari ". Eamque hac censura perstrinxit Cletus Gallicanus in Comitiis Generalibus anni 1700. *Hæc propositio est absurda, verbo Dei contraria, hypocrisim inducit, a Christo & Prophetis damnatam his verbis!* Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.

Consectarium Secundum.

II. Debitam non adhibent attentionem, qui horas recitant occupati actionibus, quæ mentem alio quam ad Deum avocant. Ita S. Antoninus in Confess. 3. par. Intertogar. cap. 11. de Clericis in communi docet: *Si dicendo horas* (scribit) *aliis exercitiis se occupavit manualibus, ut faciendo coquinam, & hujusmodi, videtur mortale, quia non satisfacit præcepto*. Hujusmodi autem actiones sunt, de negotiis colloqui, scribere, pingere, & similia, quæ peculiarem expostulant attentionem, non autem vestes sumere, manus abluere, quæ ita ex usu fiunt, ut nulla etiam adhibita attentione perfici soleant, hinc etiam Ecclesia quasdam statuit orationes dicendas a Sacerdote dum manus lavat, vel sacras induit vestes. Poterit tamen esse veniale peccatum, si quis ex torpore, & negligentia horas canonicas recitet dum illa peragit, ut citius se hoc onere levet. Qui vero dormitans, & somno vexatus horas recitat, si sentiat se divini partem Officii ea de causa omittere, tenetur supplere. si vero somno obrepenti obsistat, & attentionem acuat, licet non omnes versiculos attente proferat, excusabitur a culpa, si in choro recitet juxta suæ conditionis statum, si vero extra chorum, tenetur ad illud tempus Breviarii recitationem differre, quo discusso somno possit attentius debitum pensum persolvere.

Consectarium Tertium.

III. Evagatio mentis etiam involuntaria tanta esse potest, ut debitam tollat attentionem. Ita docet S. Th. l. c. scribens: " Attentio in oratione manere debet semper secundum virtutem, sed non requiritur quod semper maneat per essentiam actus. Manet autem secundum virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiam si in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur; nisi tanta fiat evagatio, quod omnino depereat vis primæ intentionis; & ideo oportet, quod frequentet homo cor revocet ad seipsum. "

Consectarium quartum.

IV. Attentionem ad devotam recitationem adhibet qui dum orat ad Deum mentem habet, vel ad Mysteria Vitæ & Passionis Christi, vel etiam ad Sanctorum Acta, quæ leguntur. Nam cum oratio sit elevatio mentis in Deum, licet quis verborum sensa, quæ recitat, non intelligat, finem tamen obtinet orationis. Cum vero Ecclesia in Officiis recitanda proponat Mysteria

veria Nativitatis. Passionis, Resurrectionis Christi; nec non Martyrum passiones & acta, quis dubitare poterit in hæc mentem suam defigentem non implere præceptum, & recte orare, cum & ista ad pios affectus excitandos, & ad divinum accendendum amorem conferant, & conducant?

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Qui merito dubitant, num horas vel horam aliquam recitaverint, manente dubio tenentur illas recitare, quia in tali dubio periculo non implendi munus suum se exponunt; & in dubiis tutior pars est eligenda. Pro scrupulosis vero, qui frequenti timore corripiuntur, num vel antecedentem psalmum dixerint, vel aliquas horas prætermiserint, cum plerumque illorum timor & dubium ex animi imbecillitate oriatur, vera est Navarri doctrina de Orat. cap. 13. n. 30. " Non solum non ,, tenetur repetere id, quod probabiliter ,, credit se dixisse, verum etiam male a- ,, geret id faciendo, eo quod habitum, & ,, consuetudinem concipiendi scrupulos su- ,, perfluos sibi quæreret: eo item, quod i- ,, terum ea repetens, ut plurimum iterum ,, erraret, & ob id oporteret eum tertio & ,, quarto repetere, quod non semel mihi ,, contigit, & scio aliis contingere, quæ ,, via est decipiendi nisi relinquatur; eo ,, etiam quod faceret contra illud Sapientis ,, Eccles. 7. *Ne iteres verba in oratione tua.* Hæc itaque norma & regula scrupulosis istis est præstituenda, ut nunquam repetant quæ dubitant omisisse, nisi adeo certi de omissione sint, ut queant jurare.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Implet præceptum recitationis Officii, qui illud persolvit dum Missam de præcepto audit. Sunt quidem Theologi nonnulli, qui inficiantur, eo quod duo sint præcepta distincta, ac proinde seorsum implenda. Verum communior opinio affirmat, quia ad eamdem virtutem pertinent & respiciunt, nec Missæ auditio devotam recitationem Breviarii impedit, nec ista attentionem ad Missæ Sacrificium tollit. Non negaverim tamen cum Cajetano venialiter peccare, qui sine justa causa hæc duo præcepta uno eodemque tempore impleret; Deum enim debito cultu quodammodo fraudaret, tempus in ejus honorem impendendum decerpendo: hinc Religiosos, qui a terrenis negotiis feriati esse debent, distinctis temporibus ea implere præcepta quammaxime decet.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Ad implendum præceptum necesse est, ut quotidie quis integrum distinctumque recitet Officium. Id patet ex propositione damnata n. 35. ab Alex VII quæ asserebat: *Uno eo Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.* Hæc sunt opinionum monstra ex Probabilismi doctrina producta, qui in sui subsidium horologiorum probabilitatem ex fallaci eorum varietate consurgentem novit pertrahere. At hæc portenta potius ridenda sunt, seu potius deflenda quam refutanda, cum quisque vel solo lumine naturali agnoscat, unica recitatione nonnisi unius diei præceptum posse adimpleri.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Non implent præceptum recitationis Officii Regulares, qui sub obtentu privilegiorum, vel vivæ vocis oraculorum putant se posse mentaliter Breviarium persolvere. Nam hujusmodi privilegia, ac vivæ vocis oracula vel commentitia sunt, vel revocata, vel tantum pro scrupulosis conscientiis sedandis concessa; & quidem solum quoad ea, quæ secrete & submissa vo-

 ce

ce essent in Choro recitanda, non vero pro toto Officio, & multo minus privato: & cum hujusmodi privilegia juri communi plane adversentur præcipienti vocalem horarum canonicarum recitationem, certa omnino & extra omnem dubitationis aleam sint oportet. Proinde Salmanticenses appellantes oppositam opinionem nedum probabilem, sed & probabiliorem non sunt audiendi, sed eorum doctrina tamquam falsa rejicienda. Legatur P. Concina lib. 2. in Decal. Dissert. 2. cap. 9. §. 5. n. 3.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Graviter peccat qui vel unam horam licet brevem omittit, vel unum ex Nocturnis, vel medietatem alicujus horæ, non vero qui unum psalmum brevem vel Responsorium, vel antiphonam omitteret. Ratio est, quia horæ omnes partes sunt notabiles respectu totius divini Officii, & omittentes unam horam, ex præcepto tenentur, si Beneficiarii sint, ad restitutionem, ut suo loco dicemus; & ita sentiunt communiter Theologi, præsertim D. Antoninus, Navarrus, Sylvester, aliique. Respectu etiam unius horæ ejus medietas pars est notabilis, quod & plures Theologi de tertia horæ parte affirmant; & certe, qui de industria tertiam partem horæ omittunt, satis ostendunt, sibi parum cordi esse salutem animæ suæ, Deique debitum cultum, & honorem, præsertim si frequenter id faciant; quare licet in hoc lethaliter fortasse non peccent, indicant tamen se alio ex capite divina gratia carere. Qui totum Officium omittit, unum duntaxat peccatum mortale committit, gravius tamen quam si unam vel alteram omitteret horam; tenetur tamen in confessione aperire partes Officii omissas, ut rectum possit de gravitate peccati judicium Confessarius efformare. Ita S. Antoninus 3. par. tit. 13. cap. 4.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Qui Breviario Romano utuntur, tenentur sub præcepto graviter obligante ad Sanctorum Litanias recitandas in die S. Marci, & diebus Rogationum, nec non Officium Defunctorum in die Animarum, nam hæc partem constituunt Officii divini pro illis diebus, & in Rubricis præcipitur. S. Pius V. qui onus recitandi vel Officium parvum B. V., vel Psalmos Graduales sustulit, nihil de Litaniis, vel Officio Mortuorum indulsit, immo in Breviario a se edito jussit hæc poni feria 2. post quintam Dominicam Paschæ: *Hoc triduo qui non interfunt processionibus, dicant Litanias immediate post Laudes, cum suis precibus & orationibus, sive psalmis pœnitentialibus*. Et idem statuitur pro die S. Marci. Non licet vero Officium Defunctorum in die festo omnium Sanctorum post vesperas recitare, licet id concessum sit pro Officio divino de Octava Sanctorum diei sequentis, quia & Rubricæ & Decreta Sacræ Congreg. relata a Meratio in additionibus Gavanti Tom. 2. n. 220. jubent, ut recitentur in die Animarum, & vetant recitationem vespere prævenire, nisi adsit Episcopus.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Licet Officium cum socio vel sociis recitare, quia ita est mos & consuetudo Ecclesiæ, nedum in publica, sed & in privata recitatione. Hic tamen nonnulla sunt notanda. 1. Licere recitare etiam cum illo, qui ad divinum Officium non tenetur, & forsitan sine attentione recitet, quia ille suo satisfacit muneri & recitando attente suam partem, & alterius partem devote audiendo. 2. Qui recitant cum socio, vel sociis adeo festinanter & celeriter, ut antequam altera pars versiculos terminet, altera reassumat, peccant & quidem lethaliter si

ter si hoc pacto partem officii notabilem omittant. 3. Optimum esset, si alternatim antiphonas & lectiones recitarent; verum satis est etiamsi unus omnes dicat antiphonas & lectiones, alius vero responsoria; si plures sint, alter lectiones dicat, alter responsoria & antiphonas, ceteri attente & devote audiant, qui ceteris aliquo nomine præstantior est, & incipiat Officium, & per orationem compleat; aliter vero facere nihil mali habet.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Qui unum Officium pro alio recitat, si voluntarie faciat, & præsertim si brevius eligat Officium pro longiori, muneri suo non satisfacit. Si vero hoc ex inadvertentia præstet, & ignoranter unum Officium pro alio persolvat, probabilius puto sub lethali non teneri ad illius diei Officium repetendum. Prima pars manifeste patet, quia S. Pius V. & Ecclesia non solum recitationem Officii jubet, sed talem recitationem juxta Rubricas & leges ordinatam; hæc sunt S. Pontificis verba: *Omnes Presbyteri & Clerici seculares, & regulares utriusque sexus, nec non Milites exempti, quibus Officium dicendi, vel psallendi quomodocumque injunctum est, ex hujus nostri Breviarii formula tam in choro quam extra illum dicere, & psallere procurent.* Qui ergo pro libito unum Officium pro alio recitat, non paret Ecclesiæ præcepto, nec suum munus implet. Quod autem de Romano Breviario dictum est, etiam de aliis Breviariis ab Ecclesia approbatis pro aliquo Religiosorum cœtu dicendum est. Multo minus satisfacit, si brevius eligat Officium pro longiori, unde damnata est propositio 35. ab Alex. VII. quæ ajebat: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto*: quæ duplici titulo merito confixa fuit, tum quia Ecclesiæ ritum enormiter invertebat, tum quia divinas laudes graviter minuebat. Cum vero per ignorantiam & inadvertentiam contingit unum Officium pro alio recitari, ambigunt Theologi, num ex præcepto ad emendandum errorem nova recitatione teneatur: nam Navarrus, Toletus, alique censent teneri, quia non implevit præceptum illius diei de talis Officii recitatione, & ignorantia quidem ipsum a culpa excusat, at non liberat ab onere implendi præcepti, quando errorem detegat. At alii plures e contra censent saltem sub gravi ad iterandum Officium non obligari, quia dum quis bona fide unum pro alio Officio persolvit, licet materialiter præceptum non impleat, implet tamen formaliter quod intendit, & putat se implere debito modo; & certe gravis peccati insimulare non auderem qui Officium iterare recusaret. Adnotant tamen hujus doctrinæ Auctores, teneri emendare aliquo modo errorem si potest, puta recitando lectiones vel homiliam, & si forte brevius sit Officium quod persolvit alio quod erat dicendum, puta si de Sancto celebravit cum esset de Dominica, tenetur tot Psalmos dicere quot requiruntur ad æqualitatem. Plures tamen novi Religiosos pios ac doctos, & quidem non meticulosæ conscientiæ, qui non semel tantum, sed & bis in eodem die errarunt in recitatione Matutini, & tertio errorem emendarunt nova recitatione. Qui vero errorem detegit altero die, non debet, ut errorem emendet, ritum Ecclesiæ perturbare recitando omissum Officium loco alterius, sed proprium diei recitet, licet contingat bis dicere de eodem Sancto, vel de eadem feria, ne iterum Ecclesiæ ordinem & ritum perturbet.

CON-

Consectarium Decimumtertium

XIII. Horarum ordinem invertere non est lethale peccatum, & quandoque etiam si justa de causa fiat, nec veniale. Similiter & integrum Officium vel de mane prævenire, vel sero recitando retardare non nisi peccatum veniale est, vel justa urgente causa nullum. Ita docet S. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 4. scribens: *Non videtur de se esse mortale quandocumque quis tarde dicat Officium, dum non transeat dies, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem ... Si quis autem horarum ordinem invertat, & post primam v. g. recitet horam sextam, sufficit ut suppleat quod omisit, & pœnitentiam agat de negligentia sua.* Excusabitur autem ab omni culpa, qui horas invertit ex justa causa, puta ob carentiam Breviarii, unde non nisi sero Matutinum recitare possit, si ex Diurno recitet Laudes & horas; sicut si quis vel præveniat recitationem Officii, vel tarde differat ob audiendas confessiones, ob Missiones habendas, & similia.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Tempus recitandi Officium est a media nocte ad aliam mediam noctem; licet Officium quoad Ecclesiæ ritum a Vesperis incipiat, & ad sequentis diei Vesperas terminetur; hinc qui intra præfatum tempus Officium recitat, præceptum quoad substantiam implet. Cave tamen, ne veram habeas doctrinam nonnulorum Casuistarum docentium, præcepto satisfacere qui incipit Officium recitare ante mediam noctem, licet notabilem partem non impleat & absolvat nisi post mediam noctem, nam elapsa jam media nocte, elapsum est etiam tempus pensi quotidiani, & actus non tempori tribuitur quo inchoatur, sed tempori quo completur, atque perficitur.

Consectarium Decimumquintum.

XV. Non implet munus suum, qui horas canonicas recitando ejus partes magna interruptione secaret, puta modo unum psalmum recitando, post horam vel horas alium psalmum, deinde longo intervallo antiphonas & capitula &c. Nam non qualiscumque horarum canonicarum recitatio est in præcepto, sed illa quæ fit per modum orationis integræ atque completæ: porro prolixa, & diuturna interruptio orationis abrumpit continuationem, & ordinem, & psalmi quidem & orationes dici possunt recitatæ, at non horæ canonicæ, quæ solum ex his partibus continuis moraliter quid unum constituunt. Nec a gravi irreverentia excusari posset erga divinam Majestatem, qui hoc pacto preces, quas in præcepto habet, membratim concideret. Ita docent Navarrus, Suarezius aliique contra Salmanticenses, aliosque benigniores Theologos. Brevis tamen interruptio vel solum venialis culpa est, vel etiam nulla, si justa de causa fiat, puta ad reddendam salutationem, ad brevem audiendam petitionem, ad dandam responsionem, & similia. Sicut nullum est peccatum in privata recitatione Matutinum a Laudibus separare, quia in primæva institutione hæ partes dividebantur, & hanc separationem ipsi hymni ostendunt. Ita docent cum Navarro plures Theologi. In hac tamen separatione persolutis Nocturnis & Cantico *Te Deum*, si ratio temporis illud postulet, implendum est Officium per Collectam sive Orationem illius Officii. A recitantibus vero in choro servanda est Ecclesiæ, vel Ordinis consuetudo, a qua recedere sine magna causa, vel urgente necessitate nemo absque gravi culpa potest. Num vero & Nocturnos sejungere, & diversis temporibus recitare grave peccatum sit, dissentiunt Theologi: Rigidiores putant, ex consuetudine jam diu in-

invecta eos simul recitandi, unde una consurgit hora, quæ Matutinum dicitur, non licere sine gravi interruptione eos separare; verum alii, quibus & ego libens adhæreo, a gravi culpa excusant, cum Nocturni sint partes divini Officii per se completæ, & mos eos uniendi non videtur inductus animo obligandi sub gravi; & revera ita sentiunt Henricus ipse a S. Ignatio in Ethica amoris, aliique.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Stulte ageret qui opus præceptum in recitatione Breviarii impleret, sed animo non satisfaciendi, mutata tamen voluntate ad novam recitationem sub lethali non teneri probabilius dicendum. Quandoquidem quid ineptius & dementius, quam opus, quod sibi demandatum est, ad amussim implere, & simul tamen stulta præcisione expressam concipere voluntatem non satisfaciendi? Verum cum nihilominus opus præceptum integre posuerit, & munus impositum impleverit, nihil aliud requiri videtur, nisi ut stultam voluntatem mutet, & velit implere præceptum; quod si non præstat, reus quidem erit pravæ voluntatis non implendi præceptum, quod proinde pro non impleto haberetur; at si corrigat intentionem, nova non consurgit recitandi obligatio: unde nam ista orietur? num ex præcepto Ecclesiæ? minime, cum hæc nonnisi ad unicam obliget recitationem: num ex voluntate non implendi? At hæc ablata est, & mutata in contrarium. Ita docent Suarezius, Valentia, Aragonius, aliique complures. Ablata quidem est, inquiunt adversæ opinionis Theologi, voluntas, & in contrarium mutata, at cum defuerit tempore recitationis, effecit, ut illa recitatio non opus esset præceptum, sed voluntaria precum oblatio plane gratuita, non onerosa. Sit ita. Adfuit tamen tunc temporis voluntas requisita ad opus ponendum, & solum defuit voluntas satisfaciendi; quid igitur requiritur? ut opus præceptum iterum ponatur? minime: nam & positum est, & voluntarie positum; requiritur igitur, ut adsit voluntas satisfaciendi, & hæc per prioris revocationem ponitur, & sic totum impletur quod est in præcepto. Verum in his diutius immorari, quæ raro contingunt, non expedit. Solum enim locum habere potest in Monialibus, vel viris scrupulis & anxietatibus agitatis, qui sub initium recitationis Officii, vel in choro, vel privatim, putantes se debita attentione carere, animo concipiunt voluntatem iterum recitandi, ut animi anxietatem tollant, deinde labore iteratæ recitationis perterriti nollent iterum recitare, & novis anguntur scrupulis ob conceptam voluntatem non satisfaciendi. Verum cum his quis non videat mitissime agendum, & ab onere iteratæ recitationis eos liberandos, ne calamus quassatus constringatur, & lignum fumigans extinguatur?

CAPUT VIII.

De Causis a recitatione divini Officii excusantibus.

DOCTRINA.

I. *Triplex legitimæ excusationis a recitatione Breviarii causa.*
II. *Prima physica impotentia.*
III. *Quænam ægritudo excuset.*
IV. *Oblivio quoque inculpabilis excusat.*
V. *Carentia Breviarii quomodo excuset.*
VI. *Non excusantur censura innodati.*
VII. *Non excusantur qui in Quadragesima etiam quotidianas Conciones habent, nec subeuntes longam disputationem pro laurea obtinenda, nec itinerantes.*

VIII.

VIII. *Quando dispenjentur qui Confessiones audiunt, vel moribundis assistunt.*

IX. *Nec rerum divinarum meditatio, nec peregrinatio ab onere recitandi Breviarium excusat.*

X. *Qui legitimo titulo ab aliqua Officii parte persolvenda liberantur, non sunt tamen a tota recitatione soluti.*

XI. *Qui solus non potest, socium quomodo debeat adhibere.*

XII. *Certus de impedimento superventuro vel voluntario, vel involuntario, tempus recitationis prævenire tenetur.*

XIII. *Dispensatio a quibus concedi possit.*

I. TRIPLICI nomine quis legitime ab horarum canonicarum recitatione excusatur, nimirum ex impotentia physica, ex impotentia morali, ex justa & legitima dispensatione. De singulis recta est statuenda doctrina.

II. Titulo physicæ impotentiæ excusantur graviter ægrotantes, & præsertim qui cæcitate, vel linguæ impedimento gravantur; qui enim ob infirmitatem loqui non potest, non tenetur mente percurrere horas canonicas, cum præceptum sit de recitatione vocali. Sicut nec alium recitantem audire, cum præceptum sit de recitatione, non vero de auditione. Nec ad alias preces substituendas loco Officii, quod recitare non potest, tenetur, cum præceptum sit de horarum canonicarum penso solvendo. Surdus non excusatur, quia potest & legere, & ore recitare horas canonicas.

III. Ægritudo autem tanta esse debet, ut sine notabili detrimento Officium persolvere non possit; quod si levis sit infirmitas, vel ab onere omnino non liberat, vel saltem a toto. Optime itaque statuit S. Carolus in 4. Concilio Mediolanensi, titulo de *vita & honestate Clericorum*, *Secundo*, *Clericusque Sacris initiatus, aut ecclesiasticum beneficium obtinens horarum canonicarum Officio cum adstrictus sit, meminerit se febri, morbove aliquo, vel adversa valetudine laborantem non justam propterea excusationem habere, quemobrem illud intermittat, omittatque. Itaque si quando corporis infirmitate affectus est, ipse pro sua conscientia recte videat, quod præstare possit, ac ne omittendo graviter peccet, & beneficii si quod habet, fructus suos non faciet.* Hinc qui tertiana, vel quartana febri torquentur, non sunt absolute immunes ab horarum onere, nisi adeo debile reddiderint corpus, & caput infirmum, ut sine gravi incommodo nequeant recitare. Ipso vero die, quo vexatur febri infirmus, num liber sit prudentum, & præcipue periti Medici judicio dijudicandum, cum quandoque febris ita levis sit, ut parum infirmum fatiget.

IV. Oblivio inculpabilis excusat a recitatione Officii; qui tamen noverit se obliviosum esse, tenetur signa aliqua sibi conspicua ponere, queis de suo munere admoneatur, vel etiam tempus prævenire; qui tamen ex oblivione aliquam officii partem omittit, non tenetur sequenti die, cum memoriæ occurrit, recitare.

V. Carentia Breviarii vel furto sublati, vel deperditi ab omnimoda recitatione non liberat, sed vel ex Diurno, & quæ in illo habentur recitare tenetur, vel ea quæ memoriter tenet, cum munus suum meliori quo potest modo teneatur implere, sicut & debet quantocitius potest de Breviario sibi providere. Optime itaque docet Navarrus lib. de Orat. cap. 11. n. 17. *Ridendos illos, qui facientes iter excusabant se ob defectum Breviarii ab omnibus horis, cum possent omnia præter lectiones & responsoria majora, memoriter dicere. Et multo magis eum, quem memini excusare se a dicendo vespertinum Officium eo quod ignoraret antiphonam & orationem illius diei propriam. Quoniam omnes præfati*

præfati tenebantur de præcepto recitare omnia, quæ poterant memoriter, & de consilio pro aliis aliqua, quæ viderentur eis aptiora, substituere.

VI. Ad impotentiam moralem pertinent exteriora impedimenta. Hinc primo non excusantur censura aliqua innodati, suspensione, excommunicatione, interdicto, & simili, quia licet arceantur excommunicari a publica recitatione, non tamen eximuntur a privata, cum nullus lucrum ex propria iniquitate reportare debeat.

VII. Non excusantur a Breviarii recitatione qui in Quadragesima etiam quotidianas Conciones habent, nec qui longam aliquam debent subire disputationem pro laurea obtinenda, nec iter habentes. Quoniam hujusmodi opera cum voluntaria sint, assumi quidem possunt si lubet, at sine ecclesiastici præcepti injuria. Præterea Concionatores Deum timentes nunquam etiam ob quotidianas Conciones Officium omittunt, & tempus opportunum nanciscuntur munus suum implendi; non ergo quotidiana concionatio Officii impedit recitationem. Quid quod? Nonne Regulares aliqui, uti Clerici Regulares Theatini, privilegium obtinent, vi cujus Superiores cum Concionatoribus a recitatione Officii, justa proculdubio de causa, queunt dispensare? Non est ergo ex natura sua, & ratione laboris immunis quilibet Concionator; futile namque foret, & supervacaneum hujusmodi privilegium. Et nonne iniquum est, & præposterum eo tempore, quo magis necessariæ sunt orationes ad impetrandum a Deo fructum concionum, & ipsas præceptas preces negligere? Similiter non est ob publicam disputationem etiam diuturnam omittenda horarum canonicarum persolutio, cum hæc tanti laboris opus non sit, ut vel pro partem Officii præveniendo, Matutinum videlicet & Laudes, non valeat sequenti die reliquas horas persolvere. Fieri quidem potest ut tantus sit labor, tanta totius temporis occupatio, tanta vel necessitas, vel utilitas, sive in differendo damnum & periculum, ut quis legitime valeat excusari; at hi casus rarissimi sunt, proinde generalem nequeunt regulam constituere. Itinerantes quoque a recitatione non impediuntur, cum Officium persolvere possunt sive pedibus, sive equo, sive rheda iter habeant. Certe Sancti Patres & Sacerdotes antiqui itinera sua orationibus sanctificabant. S. Gregorius Nyssenus se in itinere ad Arabiam cum sociis habito, consuetas horas ut in Monasterio persolvisse narrat: *Vehiculum* (scribit) *pro Ecclesia & Monasterio erat omnibus per totam viam psallentibus*. Et de S. Germano Parisiensi Episcopo narrat Venantius Fortunatus in ejus Vita cap. 76. *Equitans in itinere semper de Deo aliquid aut verbo contulit, aut cantavit. Cursum* [Breviarium scilicet] *nullo capite discens, etsi aut æstus, aut imber urgeret.* Contraria itaque Probabilistarum doctrina ceu falsa & laxa est rjicienda.

VIII. Dispensantur quidem ab onere recitandi Breviarii qui vel ita in confessionibus excipiendis tempore Jubilæi totum diem insumerent, vel morientibus assistere deberent, ut tempus ipsis recitando Breviario deesset, quia, ut inquit S. Bernardus de præcep. & dispensat. *iniquum foret, si statuta pro sola caritate, contra caritatem tenerentur*. Verum animadvertendum, hujusmodi casus raro accidere. Proinde non esse admittendum pro universali regula, licere ob fidelium confessiones, toto etiam die exceptas, vel ob assistentiam etiam tota nocte, immo & per plures noctes præstitam infirmis ab Officio recitando abstinere, sed peculiaribus casibus necessitas, difficultas, labor, defatigatio, aliaque sunt accurate perpendenda, & si forte aliqua occurrat dubita-

bitatio, a Superiore vel dispensatio, vel commutatio in breviores preces petenda.

IX. Nec rerum divinarum meditatio, nec peregrinatio ab onere recitandi pensum horarium liberat. Non primum, quia cum illa meditatio libera sit, & libere suscepta, non debet opus præceptum impedire; immo si ad hoc assumeretur, non pia esset meditatio, sed debitæ orationis fraudatio. Et idem de peregrinatione dicendum, quæ licet opus pium sit & religiosum, nec præceptis præferri debet, nec illorum impletionem impedire.

X. Qui legitimo titulo ab aliqua Officii parte persolvenda liberantur, non censentur tamen a tota recitatione liberi. Id patet ex propositione 64. ab Innocentio XI. damnata, quæ dicebat: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*. Hæc itaque opinio, quam tamen docuere complures Theologi, ut falsa & laxa est reprobanda.

XI. Qui solus non potest Officium persolvere, cum socio vero potest, debet cum illo recitare, si commode illum possit adhibere. Quandoquidem Ecclesiæ mandatum implendum est, & proprio muneri satisfaciendum eo meliori quo fieri potest modo, & modi implendi præsto sunt, & commode queunt haberi: quamobrem qui socium paratum habet, vel habere facile potest, censetur nec præceptum implere velle, nec suo muneri satisfacere, si socium non adhibeat. Quod si socium nonnisi persoluto pretio habere possit, simplex clericus, cum hoc onere non teneri putandum est; si vero Beneficiarius sit, non erit excusandus, cum & ipse utilitatem & fructus ex beneficio lucretur, cujus aliquam partem decerpere potest, ut illud impleat munus, cujus gratia beneficium obtinet, ut docet Suarez.

XII. Qui certus est de aliquo impedimento ad recitandas horas canonicas superventuro, tenetur illud prævenire, Officium recitando, sive impedimentum sit voluntarium, sive involuntarium. Quandoquidem si voluntarium est, puta quia libere iter suscipit, vel opus aggreditur impediens recitationem Officii, nemo est qui ambigat teneri, quia idem omnino esset ac Officium nolle recitare: hinc contraria Caramuelis opinio ceu falsa & laxa ab omnibus Theologis rejicitur. Quod si impedimentum prævisum non sit voluntarium, puta febris imminens, adhuc tenetur illud prævenire, quia qui aliquo urgetur præcepto, & aliquo munere adstringitur, illud tenetur implere eo meliori quo potest modo, alioquin censetur nolle implere; porro qui prævidet impedimentum, illudque non prævenit, non implet præceptum eo meliori quo potest modo, & sic nolle implere convincitur. Hinc qui prævidet a matutinarum precum recitatione in die sequenti impediendum febri, morbo, vel alio impedimento, tenetur vespere præcedentis diei præveniendo recitare. At inquiunt benigniores Theologi, Officium in sero prævenire gratia est & privilegium, quod in favorem conceditur, non in gravamen, & quo proinde nemo uti tenetur. Verum quis non defleat futilibus istis cavillationibus Ecclesiæ præcepta illudi, & in irritum reddi? Est itaque privilegium & gratia [si tamen hoc nomen meretur statutum universale Ecclesiæ, designantis tempus recitandi Matutinum, & quidem pro omnibus] eo solum in sensu, quod possit quilibet aliter facere, nec teneatur in sero Matutinum recitare, si alio tempore velit & possit, non vero eo, quod nisi præveniat recitare non possit ab anticipatione abstinere; tunc enim quod liberum erat, necessarium evadit ad impletionem præcepti.

Ita

Ita sentiunt Navarrus, Pontasius, aliique Theologi.

XIII. Dispensatio recitandi Officium justa de causa a Summo Pontifice concedi potest, etiam Beneficiariis, sine justa causa vero nec licita est, nec valida dispensatio. Et primo quidem Summum Pontificem posse dispensare patet, quia horarum Canonicarum persolutio juris est ecclesiastici, in quo potest Pontifex dispensare. Quod si quis velit respectu Beneficiarii ad jus naturale spectare, quia contractum quemdam involvit, *do, ut facias*, cum Beneficia a Fundatoribus ob Dei laudes sint instituta; adhuc tamen ob justam causam, puta ad majorem Ecclesiæ utilitatem dispensare poterit, cum juxta D. Bernardi regulam superius citatam, *iniquum foret, si institutu pro sola caritate, contra caritatem teneretur*: & æquum sit, ut privatum bonum communi bono cedat. Quod si dispensatio sine justa causa concedatur, nedum illicita dicenda est, sed & invalida, quia tunc est potius dissipatio quam dispensatio: & suprema potestas Summo Pontifici concessa est ad utilitatem & bonum Ecclesiæ, non ad privatum commodum, præsertim, quod contingit in Beneficiariis, cum damno tertii, scilicet Fundatorum, quorum pia voluntas in Beneficiorum fundatione frustratur, & ipsi precum beneficio, & Deus debita laude fraudantur. Ita sentiunt Panormitanus, Turrecremata, Angelus, Major, aliique celeberrimi Canonistæ, & Theologi. Episcopi vero & Prælati Regulares, licet absolute & in perpetuum, etiam justa de causa, dispensare non valeant, quia inferior potestatem non habet in lege a Superiore lata, possunt tamen pro tempore, & juxta circumstantias in occurrentibus casibus dispensare, quod & a Summis Pontificibus concessum præsumitur, & consuetudo jam invecta confirmat. Ita docet Suarez de Relig. lib. 4. cap. 28.

C A P U T IX.

Consectaria praecedentis Doctrinæ.

I. *Canonicus cæcitate laborans non tenetur choro interesse, & inibi memoriter recitare.*

II. *Qui proprii ritus Breviario caret, uti tenetur Breviario alterius ritus.*

III. *Infirmus, qui dubitat, num ad Officii recitationem teneatur, debet judicio prudentum & periti Medici acquiescere.*

IV. *Qui sine gravi periculo nequit Officium persolvere, ab ejus recitatione excusatur.*

V. *Qui ob metum etiam injuste incussum sacros Ordines suscepit, a Breviarii recitatione non excusatur.*

VI. *Qui invitus & coactus Beneficium accepit, ejusque fructus percipit, ad Officium recitandum adstringitur.*

VII. *Non implet præceptum, qui vel Officium brevius recitat, vel tempus recitationis prævenit.*

VIII. *Privilegium aliquibus Regularibus concessum non recitandi Officium, nisi sint in sacris Ordinibus constituti, ad alios Regulares minime extenditur.*

IX. *Quomodo nonnullorum Ordinum privilegia a recitatione Officii solventia sint intelligenda.*

Consectarium Primum.

I. Canonicus cæcitate laborans non tenetur choro interesse, nec memoriter recitare. Oppositum docuere Theologi innixi etiam declarationibus Congregationis Concilii; verum Summus Pontifex Benedictus XIV. in Instit. 107. §. 8. n. 45. alia profert ejusdem Sacræ Congregationis decreta, quæ statuunt, Canonicum cæcum inter

inter ægrotantes esse connumerandum, nec teneri horis canonicis interesse, nec in choro eam Officii partem, quam memoriter tenet, recitare, & nihilominus lucrari distributiones quotidianas perinde ac si interesset. Hoc quidem verum quoad publicam recitationem in choro, non vero quoad privatam, quippe qui tenetur vel socium adhibere, si commode possit, cum quo Officium recitet, vel Officii partem, quam memoriter tenet, recitare, & si Officium proprium nesciat, poterit, & tenebitur de communi recitare, prout memoria retinet, vel a Summo Pontifice Officii commutationem in alias preces obtinere.

Consectarium Secundum.

II. Qui proprio caret Breviario, puta Romano, at præsto habet Breviarium Monasticum, vel Ambrosianum &c. tenetur istud recitare. Quandoquidem in onere persolvendi divini Officii duo clauduntur præcepta, alterum commune & generale Clericos omnes afficiens de horis canonicis persolvendis, aliud vero privatum & particulare, nimirum de tali ritu servando; & illud quidem præcipuum & principale est, hoc veluti accessorium, & secundarium. Porro qui non valet utrumque præceptum implere, ad illud tenetur, quod potest. Nec urget Salmanticensium ratio, qui dicunt unum esse præceptum & de recitatione Officii, & de ritu; qui igitur non potest ritum servare, nec ad recitationem tenetur, eo vel maxime quod S. Pius V. statuit: *Quoscumque ad horas canonicas tenentur, teneri ad dicendum ex præscripto hujus Breviarii, & neminem ex his nisi hac sola formula satisfacere posse*. Si ergo non satisfacit, qui aliam formulam adhibet, planum est nec teneri ad alterius ritus Breviario utendum. Verum, inquam, hæc non urgent, quæ ad eludendum præceptum sunt excogitata. Quandoquidem unum & idem præceptum est de integra Officii recitatione, & tamen certum est, qui integrum Officium recitare non potest, ad eam quam potest partem teneri; ergo pari ratione qui totum præceptum & de Officio & de ritu servare non valet, ad id quod potest tenebitur, scilicet ad ipsas horas aliquo ritu recitandas. Præceptum vero S. Pii V. respicit voluntariam ritus mutationem, quæ cuique interdicitur, non necessariam ad principale præceptum implendum, ut contingit in illo, qui proprio caret Breviario. Quamobrem si proscripta est propositio, quæ a minoris partis Officii recitatione solvebat non valentem majorem recitare, potiori jure illa est rejicienda sententia, quæ a toto Officio liberat, qui totum potest recitare mutato ritu, quod est quid accidentale ad substantiam canonici Officii. Tenebitur igitur eo meliori quo poterit modo Officium recitare qui proprio caret Breviario, ea tamen vel addere poterit, vel demere, quæ magis ab Officio suo recedunt, ritumque mutant.

Consectarium Tertium.

III. Infirmus, qui dubitat, num ad Officii recitationem teneatur, debet prudentum consilio, & periti probique Medici voluntati aquiescere: quod si ipse Medicus dubitet, profecto argumentum est recitationem non obfuturam; experientia itaque videat, num alicujus vel aliquarum horarum recitatio ipsi noceat, in qua recitatione si majorem non experitur vel capitis gravedinem, vel corporis debilitatem, vel infirmitatis augmentum, intrepide Deo fidens debitas preces persolvat. Ad omnes tamen perplexitates tollendas optimum erit a Superiore dispensationem petere, cui potissimum pro hisce circumstantiis est dispensandi concessa potestas.

CON-

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Qui sine gravi periculo nequit divinum Officium persolvere, potest illud omittere, ut si quis inter hæreticos vel infideles versetur, vel iter habeat, a quibus grave malum vel detrimentum timet, si pro Clerico cognoscatur, poterit vel Officium omittere, vel saltem tacite eas Officii partes, quas memoriter tenet, recitare. Quandoquidem humanæ leges cum tanto onere non obligant & cum magno periculo, Ita communiter Theologi.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Qui ob metum etiam injuste incussum sacros Ordines suscepit, probabilius ad divini Officii recitationem adstringitur, quia hujusmodi metus non tollit voluntarium, nec impedit quin characterem vere suscipiat, & inter Clericos computetur, nec ipse absolute ordinationi resistit, sed solum conditionate, & imperfecte, proinde & onera subit, quæ clericali statui sunt adnexa. Quod multo magis verum est, si ex metu gravi, sed juste incusso ad sacros Ordines suscipiendos adigatur; tunc enim nec ulla intervenit injuria. Quod si ipse Ordinationi reluctetur & obsistat, nec nisi vi ordinetur, sicut nec characterem suscipit, sic nec onera clericalis status incurrit.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Qui invitus & metu coactus beneficium ecclesiasticum acceptat, ejusque fructus obtinet, ad Officii recitationem tenetur. Ratio est manifesta, quia cum beneficium sentiat, tenetur & onus illi adnexum subire, licet vero invitus beneficium acceptaverit, percipiendo tamen reditus se sponte tenere manifestat. Quod si reditus recuset recipere, & fructibus non fruatur, profecto & ab onere Breviarii liberatur, cum & simul injuriam patiatur ob metum sibi injuste incussum, & simul nullum ex beneficio percipiat emolumentum.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Non implet præceptum, qui vel Officium brevius recitat, vel tempus recitationis prævenit eo nomine, quia recitat cum socio habente privilegium. Primæ partis ratio est manifesta in propositione damnata 34. *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto*. Alterius vero partis ratio est, quia hujusmodi privilegia sunt ita privatis personis concessa, ut ad alios minime dilatentur. Nec movet ratio quorumdam benigniorum Theologorum, qui id licitum putant ex paritate privilegii concessi viro, quod & ad uxorem extenditur, cum maximum jam appareat discrimen, nam vir & uxor velut una persona juris fictione reputantur in iis præsertim, quæ ipsum Matrimonium respiciunt. At non ita est de socio alterum ad recitationem Officii adjuvante, cum nec necessarium sit socium adhibere, nec recitatio de se societatem importet.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Privilegium aliquibus Religiosis concessum, non recitandi Officium, nisi sint in sacris constituti, ad alios Regulares minime extenditur. Quandoquidem hoc privilegium omnino peculiare est, & contrarium aliorum Ordinum Institutis, legibus, & constitutionibus, quibus specialiter esset derogandum, quod nunquam præstitere Summi Pontifices, qui Religiosis illis hujusmodi privilegium concessere. Confirmat etiam praxis & consuetudo omnium Ordinum Religiosorum, qui nunquam vel hoc privilegium acceperunt, vel ad se extendi arbitrati sunt.

IX. Plu-

Consectarium Nonum.

IX. Plura Privilegia vel bullata, vel vivæ vocis oracula, quæ concessa dicuntur Regularibus Theatinis, Benedictinis, Fratribus Minoribus, Monialibus, ut vel dispensari possint a suis Superioribus a recitatione Officii sive ob quotidianam prædicationem in Quadragesima, sive ob alia ministeria sacra, vel possint loco horarum canonicarum alias preces recitare, vel suspecta sunt, vel revocata, vel ita intelligenda, ut nonnisi vera, gravi, & urgente causa ab ipsis Superioribus coram Deo perpendenda dispensatio sit concedenda. Quandoquidem Regulares omnes jure communi ad divinum Officium quotidie recitandum adstringuntur; concionari vero, legere, confessiones audire nemo in particulari adstringitur. Hinc vi juris communis Regulares quamvis vel Concionatoris munus assumant, vel pænitentium numero obruantur, vel frequentibus discipulis legant, vel studiis etiam utilioribus operam sedulo navent, prius tamen debitum horarum tributum Deo persolvant, & postea his spiritualibus rebus vacent: hic enim locum habet illud Evangelicum dictum: *Oportuit hæc facere, & illa non omittere*. Quare absolute pronuncio, teneri Regulares conciones libere susceptas, studia, & frequentem confessionum auditionem omittere potius, quam impletionem negligere muneris & officii ad proprium statum pertinentis. Nam licet aliquando vel caritas, vel fidelium necessitas postulet, ut quis etiam prætermisso Officio divino alienæ saluti adlaboret, hujusmodi tamen casus rarissimi sunt, & vix semel aut bis etiam in longiori laboriosissimi viri vita contingunt. Id unum itaque præstare arbitror, legitima si quæ sunt Pontificum privilegia, quod videlicet Prælati & Superiores Regularium, si prospiciant Religiosos suos muneribus occupatos laboriosis, & ex obedientia susceptis non posse recitationem Officii cum illis componere, ab ista illos valeant dispensare, & potius quam sacra illa ministeria omittant, a quibus de jure communi cessare deberent, quotiescumque recitationem Officii impedirent, possint illa præeligere horarum penso omisso. Ex hisce privilegiis mirum quam laxas deduxerint benigniores Theologi doctrinas: unam vel alteram indigitabo. Cum concessum dicant vivæ vocis oraculo a Clemente VIII. Monialibus choro deputatis, quæ ignorant distincte divinum Officium recitare, ut possint judicio Prælati vel Confessarii preces, quas aliæ sorores choro non adstrictæ persolvunt, & ipsæ recitare; hinc statim infert Pellizarius, hac facta commutatione Moniales non peccare lethaliter, si illas preces omittant; at quare non peccabunt? nonne si divinum Officium omitterent, gravi culpæ obnoxiæ forent? cur ergo a culpa immunes erunt, si preces loco illius substitutas omittant? mutata quidem est materia præcepti, sed non sublatum præceptum. Salmanticenses quoque inde inferunt, Monialem completo jam probationis anno posse statim professionem emittere, licet divinum Officium recitare nesciat, & interim preces Conversarum loco divini Officii persolvere donec didicerit. Quis enim non videat, non posse professionem emittere, quæ onera professioni adnexa nequit implere, nec posse choro deputari, quæ choro inepta est? Qui plura hac de re noscere cupit, legat P. Concina To. 2. lib. 2. in Decal. cap. 9. §. 5.

CA-

CAPUT X.

De onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis divini Officii.

DOCTRINA.

I. IN Concilio Lateranensi sub Leone X. Decretum hocce latum fuit; *Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura, sive sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio divinum Officium non dixerit legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis Officii, & temporis; sed eos tanquam injuste perceptos in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente Beneficio ipso privetur, cum propter Officium detur Beneficium. Intelligatur autem Officium omittere quoad hoc, ut Beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit. Deo tamen ultra præmissa de dicta omissione redditurus rationem, quæ pœna in habentibus plura Beneficia reiterabilis toties sit, quoties contra facere convincentur.* Ita quidem Concilium.

II. S. vero Pius V. Concilii Decretum confirmavit, & declaravit in sua Constitutione *Ex proxima*, in qua Concilii recitato Decreto subdit: *Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cujusmodi ratæ prædicta ratio sit habenda. Nos autem huic rei evidentius, atque expressius providere volentes, statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat. Tametsi aliquis choro addictus non recitatis omnibus horis canonicis tum aliis præsens adsit, fructusque & distributiones forte aliter assignatas sola præsentia, juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucri fecisse prætendat, is etiam præter fructuum & distributionum amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse. Item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit; nisi legitimum impe-*

pedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse, declarantes præstimonia, prestimoniales portiones, & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum servitium omnino habentia obtinentes cum prædictis pariter contineri. At quicumque pensiones, fructus, aut alias res Ecclesiasticas ut Clericus percipit, eumdem modo prædicto ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.

III. Ex his tum Concilii, tum Summi Pontificis Decretis manifeste patet, Beneficiarios omnes sex elapsis a Beneficii possessione mensibus teneri restituere fructus Beneficii, si Officium culpabiliter, non vero si inculpabiliter ob infirmitatem, oblivionem, vel alia justa de causa omittat. Restitutio autem ex laudatis Decretis hoc pacto facienda est. Si Matutinum cum Laudibus omittatur, dimidia fructuum pars est restituenda, si ceteræ omnes horæ, alia dimidia, si horarum aliqua, pro earum singulis sexta pars; & qui plura obtinet Beneficia, omnium Beneficiorum fructus eadem servata & proportione & partione restituere tenetur.

IV. Num vero etiam primis sex mensibus teneatur restituere, dissident Theologi & Canonistæ. Putant siquidem plures & quidem ex recentioribus, eos restitutioni non esse obnoxios, his innixi momentis, quia, inquiunt, totum onus restitutionis unice oritur ex Decretis Concilii Lateranensis, & Constitutione S. Pii V., porro & Concilium, & S. Pontifex aperte dicunt, illos lethaliter quidem peccare, qui præfatis sex mensibus Officium omittunt, verum de restitutione alte silent, immo ab ipsa eos liberare satis manifeste indicant, dum hoc onus post sex menses solum inculcant. At contra antiquiores Theologi Alexander Alensis, Bartholomæus Medina, Adrianus, Sotus, Suarez, & novissime Jueninus, sive Auctor libri Theologiæ, & Praxis Sacramentorum tom. 3. de hor. canon. cap. 6. §. 1. quibus adstipulantur nobiliores ex Canonistis Covarruvias, Decius, Ancharanus, Baldus, Durantus, aliique censent, onere restitutionis liberari quidem ex juris canonici statutis, non vero ex juris naturalis præcepto. Quandoquidem, inquiunt, jus naturale postulat, ut quod pro aliquo opere datum est retineri non possit nisi opere præstito; porro Beneficium pro Officio datur; ergo jus naturale postulat, ut vel Officium & pensum persolvatur, vel fructus & reditus pro illo dati non percipiantur. Præterea nonne Beneficiorum collatio, ut & ipsi recentiores fatentur, contractum includit *do, ut facias*? In contractibus autem dum altera pars, quod sui est muneris præstat, alia quoque pars implere tenetur, alioquin ad restitutionem adstringitur: Porro Beneficiorum fundatores, quod suum est dant, reditus nimirum, & Beneficiorum fructus; ergo qui Beneficium obtinent, quod suum est præstare debent, scilicet canonicas horas persolvere, alioquin injuste fructus consequuntur. Nec Summi Pontifices naturali juri suis Constitutionibus officere vel derogare velle ullo modo præsumendum est, nec fundatorum voluntates commutasse intelligendi sunt, præsertim cum præjudicio Ecclesiæ, & pauperum, in quorum utilitatem cedere voluerunt beneficii fructus, quoties Beneficiarius munus suum non impleret. Quid quod? Nonne Concilium Lateranense, & S. Pius V. aperte dicunt lethaliter peccare, & culpabilis negligentiæ reum esse, qui sex illis mensibus Officium negligit: at quare? quia, inquit Concilium, inquit S. Pius, *Beneficium datur pro Officio*; porro hæc culpa & negligentia justitiæ adversatur, cum pactum non impleat, ad restitutionem igitur etiam tenebitur

nebitur, qui pensum horarum omittit. Hinc hanc opinionem & probabiliorem & tutiorem censeo, ab eaque in praxi omnino non recedendum.

V. In hac tamen restitutione facienda probabiliorem existimo Suarezii opinionem, nimirum posse Beneficiarium omissionem supplere aliis piis, & spiritualibus operibus, etiam sine fructuum in pauperum, vel Ecclesiæ utilitatem erogatione, videlicet vel bis eodem die Officium recitando, vel psalmis & precibus omissionem Officii æquiparantibus; & ratio est, quia cum Concilium & S. Pius nihil circa priores sex menses statuerint quoad restitutionem, sed quod juris est naturalis servaverint, non hoc juri repugnare videtur, si quis quod omisit suppleat aliquo modo æquiparante culpabilem omissionem; quod quidem locum habere non potest in culpabili omissione horarum canonicarum elapsis prioribus sex mensibus, cum Ecclesia aperte declaraverit ore S. Pii non recitantem, *non facere fructus suos si non recitet suo tempore*, elapso igitur tempore fructus non suos detinet, illos igitur restituere tenetur.

VI. Restitutio ob horas omissas facienda est in foro conscientiæ etiam ante omnem Judicis sententiam. Ita aperte definivit Alex. VII. dum thesim proscripsit n. 20. asserentem; *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, tum sit pœna*. In quâ damnatione illud animadvertas velim, non solum damnatam esse præfatam propositionem, quia asserebat non teneri ad restitutionem ante sententiam Judicis, sed etiam ob rationem in ea allatam, nimirum *cum sit pœna*; nam pœna proprie non est, cum non sit privatio bonorum jam acquisitorum, & de jure criminosi, sed mera privatio mercedis indebitæ, jure enim meretur privari pacta mercede & justa sustentatione pro diutno famulatu rependenda, qui Deo non servit, unde novum consurgit argumentum pro superiori sententia n. 4. exposita, nimirum jure spoliandos esse fructibus Beneficii, qui prioribus sex mensibus Officium non recitat, cum mercedem recipere non debeat, qui non ministrat, & famulatur, & quidem non ex impotentia, sed ex malitia, & culpabili negligentia.

VII. Ad debitam restitutionem non prosunt eleemosynæ a Beneficiario erogatæ ante recitationis omissionem. Ita declaravit laudatus Pontifex in damnatione 37. propositionis asserentis; *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas ante Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerat*. Num vero debitam impleat restitutionem per eleemosynas erogatas post omissionem horarum, licet non mente & intentione satisfaciendi, quia ad hoc non advertit; sunt qui negant, eo quod liberaliter erogata, non videntur debita ex justitia solvere; verum opposita opinio mihi satis tuta & probabilis videtur, nam sunt quidem liberaliter erogata, quæ pauperibus dantur, respectu pauperum, quibus erogantur, cum liberum sit Beneficiario huic vel alteri pauperi dare, vel nulli dare, sed in beneficium Ecclesiæ insumere; proinde hæc liberalis erogatio consistere potest cum restitutione ex justitia facienda indeterminatis personis, & merito præsumi potest in Beneficiario virtualis intentio prius implendi in eleemosynis faciendis præceptum de restitutione si forte urgeat, quam liberaliter erogandi, nisi ipse sciens & onus advertens expresse velit liberaliter erogare, animo vel satisfaciendi oneri ex justitia aliis eleemosynis, vel aliquid in Ecclesiæ utilitatem suppeditando præsertim nisi aliud urgeat præceptum eleemosynam faciendi ex superfluis redituum ecclesiasti-

elesiasticorum. In hac restitutione illud tamen præ oculis habendum, ut debitum adæquet juxta præscriptas ab Ecclesia leges.

VIII. Universim loquendo debitæ restitutioni non satisfacit, qui eleemosynas faciendas sibi applicat titulo suæ paupertatis. Oppositum quidem sentiunt benigniores Theologi, & præsertim P. Viva: Verum licet non denegem aliquo in casu, & quidem raro id posse contingere, tamen universim falsum puto, tum quia nemo potest esse judex in propria causa, & periculosum est judicium de sua paupertate Beneficiario relinquere; item raro evenit, Beneficiarios tanta paupertate premi, ut iis æquiparentur, qui vel ostiatim panem mendicant, vel præ verecundia mendicandi adhuc rigidiori premuntur egestate. Præterea Concilium jubet, ut Beneficiarius male perceptos fructus distribuat pauperibus, quod profecto non præstat, qui sibi eos titulo eleemosynæ retinet. Tertio quia cum per privationem fructuum & punire velit negligentes Beneficiarios; & mercede privare, mens Concilii frustraretur, si sibi fructus aliquo titulo retinere posset. Hinc si quando titulo paupertatis fructus Beneficii sint ipsi Beneficiario in eleemosynam concedendi, judicium requiritur periti Confessarii, vel justi probique viri, cui explorata sit & comperta Beneficiarii vera paupertas, & angustia.

IX. Non faciunt fructus suos, adeoque ad restitutionem tenentur, tum qui Officium sine debita attentione recitant, tum qui in choro alta voce cum aliis Beneficiariis Officium non canunt. Et quidem non desunt benigniores Theologi, qui a restitutionis onere liberant Beneficiarios sine attentione Officium divinum persolventes, hac futili, vanaque ratione, quia restitutio imposita est Officium omittentibus non distracte recitantibus, & qui quovis modo pensum horarium verbis murmurarunt, præceptum quoad substantiam impleverunt. At quis & hujus sententiæ laxitatem, rationis futilitatem non videat, & rideat, seu potius deploret? Præceptum Ecclesiæ est de oratione, quæ Deo cultum offerat, non quæ Deo injuriam irroget: porro recitatio sine debita animi attentione injuriosa est Deo, non religiosa, non pia, qui ergo hoc pacto Officium persolvit, præceptum non implet, & idem est ac si omitteret: nam physica quidem & materialis operis substantia posita est, quæ esse potest & psittacis communis, non forma, spiritus, & anima orationis, qualis hominem & quidem Dei cultui mancipatum decet, cui lex ab Ecclesia imponitur: ut falsa igitur, & satis laxa est rejicienda ea opinio, & qui devote Officium non persolvunt, & peccant lethaliter, & ad restitutionem compellendi. Ita docent Suares, Sylvius, Navarrus, Sotus aliique complures. In confirmationem vero alterius partis lubens omitto & plurium Theologorum auctoritates proferre, & Conciliorum statuta percensere, quæ late videri possunt apud Natalem Alexandrum, Genetum, & Concina; nam rem extra omnem dubitationis aleam posuit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. dum duplici Constitutione definivit 1. juxta Concili Tridentini Decreta Dignitatibus, & Canonicis, qui choro interesse debent, munus impositum in choro ad psallendum instituto hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. 2. Minime sibi compertum, quo peculiari titulo suffulti sibi persuasum habeant Canonici, se muneri suo satisfacere per solam præsentiam in choro absque cantu. 3. Abusum esse morem hunc, & corruptelam Ecclesiæ disciplinæ contrariam. 4. Denique choro interessentes & minime psallentes nullo pacto facere

cere fructus suos, & proinde esse restitutioni obnoxios. En ejus verba in Constit. *Cum super* data 19. Augusti anni 1744. " „ Scimus in aliquibus Metropolitanis & „ Cathedralibus Ecclesiis inter Canonicos „ eam opninionem invaluisse, ut se mu„ nus suum satis implere contendant, dum „ in choro præsentes assistunt, licet ipsi si„ bi silentium imponant, neque psallen„ tibus Beneficiatis, aut Mansionariis in „ cantu se adjungant ... At cum sancta Sy„ nodus Tridentina sess. 24. cap. 12. lo„ quens de Dignitatibus & Canonicis, qui „ choro interesse debent, unum ex eorum „ Officiis esse dicat, *in choro ad psallendum „ instituto hymnis, & canticis Dei nomen „ reverenter, distincte, devoteque laudare*, „ cumque pauca omnino sint Capitula, in „ quibus eo modo a Canonicis assistitur, „ ideoque receptæ in universa Ecclesia di„ sciplinæ paucos illos adversari dignosca„ tur, cum insuper opinio illa nunquam in „ Congregatione Concilii Tridentini inter„ pretationi præposita examinata sit, quin „ statim explosa fuerit, & improbata .... „ Equidem minime nobis compertum est, „ quo peculiari titulo suffulti persuasum „ habeant unius vel alterius Ecclesiæ Ca„ nonici se muneri suo satisfacere per sim„ plicem in choro assistentiam absque divi„ næ psalmodiæ cantu .... jure proinde „ meritoque verendum est, ne isti, dum „ ita se gerunt, Præbendarum ac distribu„ tionum fructus minime suos faciant, & „ consequantur, ac ad eorum restitutionem „ teneantur. Quapropter vestrum erit Ve„ nerabiles Fratres [Catholicæ Ecclesiæ E„ piscopos alloquitur) hæc omnia illis a„ perire, ut neque nobis, neque vobis a„ pud Divinum Judicem fraudi sit in hujus„ modi re, quæ tanti est momenti, utpo„ te quæ ad ipsius Dei cultum proxime „ spectat, abusus & corruptelas, quos ar„ guendo & increpando evellere debebamus, „ dissimulatione ac silentio nostro fovisse, „ & confirmasse inveniamur. " Clarius adhuc eamdem doctrinam inculcat, & suam confirmat Constitutionem in Brevi ad Eminentissimum Cardin. Delphinum Patriarcham Aquilejensem dato Romæ die 14. Januarii 1748. ubi sic eum alloquitur. " Nolu„ mus inter tot tantaque privilegia eidem „ Capitulo, & Canonicis concessa numeran„ dum esse illud, quod quemadmodum Tibi „ atque Nobis notum est, antiqua tradi„ tione contra sacrorum Canonum Sanctio„ nes, ac nostram presertim Constitutio„ nem, cujus initium est *Cum super obla„ tas* invectum ab ipsis Canonicis non mo„ do contenditur, sed etiam servatur in„ teressendi duntaxat choro, & cum ceteris „ Mansionariis, Capellanis, Acolythis, & „ Clericis canentibus, psallentibusque assi„ stendi, nunquam vero cum iisdem canen„ di, psallendive .... Itaque a Te dilecte „ Fili noster poscimus & flagitamus, ut „ non solum hujusmodi ABUSUM & COR„ RUPTELAM ab ecclesiastica disciplina ab„ sonam, & canonicis ordinationibus, ac „ nostræ quoque Constitutioni contrariam „ penitus evellere & eradicare adnitaris, „ verum etiam ipsos suaviter, fortiterque „ admoneas, & horteris, ut in posterum „ ea, qua decet ac tenentur, reverentia „ choro intersint, assistantque, nec non „ pari pietate, attentione, ac vigilantia „ omnino canere vel psallere cum ceteris stu„ deant & contendant. Deinde eisdem e„ dicas, & notum facias, Nos, quemad„ modum per hasce nostras in forma Bre„ vis litteras Tibi declaramus, & injungi„ mus, decernere atque statuere, sicut in „ eadem Constitutione nostra innuimus, ip„ sos suosque successores Canonicos choro „ quidem interessentes assistentesque, mini„ me vero canentes, psallentesve *nullo pac-*

„ *to ex prabendis, & distributionibus facere* „ *fructus suos, atque adeo restitutioni obno-* „ *xios esse, vel fore.*" En igitur doctrina Ecclesiæ clare definita a sapientissimo Pontifice, qui etiam priusquam Apostolicum Solium scanderet omnigena eruditione, argumentorum copia, invictis rationibus hanc eandem doctrinam propugnaverat in sua Institutione 107. §. 3. n. 16. Nulla ergo opposita opinio amplius gaudet probabilitate.

X. Ex S. Pii Constitutione qui etiam beneficium curatum obtinet, tenetur restituere omnes fructus beneficii non solum correspondentes recitationi, sed etiam aliis ministeriis. Id meo judicio manifeste & aperte constat ex ipsa S. Pii Bulla. Nam primo statuit S. Pontifex se decernere de Beneficiis tum *simplicibus*, tum *Curatis*. Sic enim scribit: " Ex proximo Lateranensi „ Concilio emanavit, ut quicumque habens „ Beneficium Ecclesiasticum CUM CURA, & „ SINE CURA animarum, si post sex menses quam illud obtinuerit, divinum Of- „ ficium . . . non dixerit, beneficiorum suo- „ rum fructus pro rata omissionis Officii & „ temporis suos non faciat " &c. Declarat se providere velle suspensioni illorum, qui nesciebant quænam ratio prædictæ ratæ habenda esset. Porro quod præsertim & maxime animos detinebat suspensos, erat, quid restituendum ab illo, qui ratione beneficii non ad solas horas canonicas tenebatur, sed qui alia munera debebat implere. Ut ergo *huic evidentius, & expressius provideret*, quid statuerit S. Pius audiamus: *Statuimus*, inquit, *ut qui horas omnes canonicas* uno die, vel pluribus diebus intermiserit, OMNES Beneficii seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent si quot idie dividerentur, amittat. Porro fructus omnes amittendi sunt illius Beneficii, quod omittans obtinet, Beneficium autem est cum cura, ergo omnes fructus Beneficii cum cura amittit. Id magis patet ex iis quæ sequuntur, quibus statuit, ut Beneficiarius licet choro præsens adsit, licet illi fructus debeantur, & distributiones etiam ob solam præsentiam, tamen adhuc illis privetur, & ad restitutionem teneatur, si Officium recitare omiserit, & tamen juri naturæ adversum videtur, ut eodem modo fructu & emolumento privetur, qui aliquid præstat, & id præstat quod *juxta statuta, consuetudinem, fundationem*, vel alias præstare debet, quam qui nihil omnino præstat. Evidens est igitur S. Pium V. Officium omittentibus non solum emolumenta, & fructus subtraxisse sibi ob recitationem debitos, sed insuper pœna mulctare voluisse illos subtrahendo fructus; ad quos jus quoddam obtinebant ob ecclesiastica alia munera ex natura beneficii præstanda. Ita sentiunt & docent ex Canonistis Garzias, ex Theologis Suarez, Valentia, Petrus Navarra, aliique; & hæc opinio mihi probabilior videtur, & in praxi tenenda, ne dum tap favere volumus ipsi Beneficii fructuum partem concedendo, innocentes pauperes, & Ecclesiam, in quorum utilitatem fructus illi cedere deberent, fraudemus.

XI. Fructus injuste percepti sunt vel Fabricæ Beneficii, vel pauperibus erogandi. Ita statuit Concilium Lateranense, & confirmavit in sua Bulla S. Pius V. Nomine vero Fabricæ intelligitur non solum Ecclesia, cui Beneficiarius inservit, sed etiam quidquid ad temporale Beneficii pertinet; hinc ex illis fructibus male perceptis potest domum Beneficii instaurare, agros excolere, bona ad meliorem statum adducere, & etiam augere; hæc enim omnia veniunt nomine Fabricæ Beneficii, ut communiter sentiunt Theologi. Quoad pauperes vero sunt quidam, qui intelligunt designatos pauperes loci, ubi positum est Beneficium; verum alii Theologi, & quidem sanioris

nioris doctrinæ animadvertunt, nec in Concilio, nec in Bulla S. Pii expresse designari pauperes loci, sicut expresse determinatur Fabrica nimirum ipsorum Beneficiorum, sed universaliter omnes pauperes nominari: hinc tuta conscientia quibus libet vere pauperibus prædicti fructus possunt distribui: memori tamen Fidelium Beneficium instituentium, nec non Ecclesiæ conformius erit, si pauperes loci extraneis præferantur. Puto etiam non posse in Defunctorum suffragium applicari, cum & Concilium, & Summus Pontifex aperte statuant vel Ecclesiæ, vel pauperibus erogandos; nomine vero pauperum communiter non designantur Defunctorum Animæ Purgatorio detentæ, & alias solent Pontifices speciatim eas compellare quando illis prodesse volunt, ut patet in Bullis indulgentiarum, in quibus expresse declaratur, indulgentias etiam Defunctis posse applicari.

XII. Pensionarii quoque Officium omittentes perceptas pensiones pro rata omissionis restituere tenentur. Ita statuit S. Pius, scribens: *Quicumque pensiones .... ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum ... amissioni obnoxium*. Et juste quidem, cum & pensiones ex bonis Ecclesiæ solvantur, & nullo alio onere nisi adeo leve gravetur Clericus. Hic vero si omittat Officium recitare, potest tamen adhuc a Beneficiario pensionem repetere, non sibi quidem retinendam, sed juxta statuta distribuendam, & Beneficiarius communiter loquendo solvere debet, licet re sciat omissum ab eo Officium, cum ipse debitoris partes agat, non judicis. Quod si certo noverit consuevisse omittere Officium Pensionarium, & fructus injuste perceptos non restituisse, sed in pravos usus convertisse, poterit fructus pensionis denegare, & apud se veluti depositos retinere, donec per Episcopum & legitimum Superiorem cogatur ad id quod est sui muneris implendum.

CAPUT XI.

De Distributionibus quotidianis juste percipiendis vel injuste perceptis restituendis.

DOCTRINA.

I. *Quid nomine distributionis quotidianæ intelligatur.*
II. *A Tridentina Synodo approbantur.*
III. *Sunt omnibus horis applicandæ.*
IV. *Illi soli consequuntur, qui reali & propria præsentia choro intersunt.*
V. *Quibus de causis quandoque, etiam absentes, valeant eas distributiones percipere.*
VI. *Quinam infirmi lucrentur distributiones.*
VII. *Quodnam necessitatis genus concedat lucrari distributiones.*
VIII. *Quænam utilitas Ecclesiæ absentibus distributiones concedat.*
IX. *Distributiones quotidianæ ob absentibus deperditæ quomodo distribuendæ.*

I. DISTRIBUTIONES quotidianæ sunt emolumenta quædam, quæ singulis diebus, vel etiam singulis horis canonicis distribuuntur in pecunia, in victu & potu, vel alia specie his tantum, qui personaliter præsentes sunt Officiis divinis. Antiquus sane est mos tribuendi distributiones. Illorum enim meminit Ivo Carnotensis undecimi seculi scriptor, qui eas ex Carnotensi sibi subjecta Præpositura instituisse scribit epistola 229. *Cum in pluribus Canonicorum Carnotensium defecisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigilantes, de tardis assiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam Præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent*

terent tardi, ut ad quæ eos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret, quamvis eorum annua Præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet.

II. Hanc sane utillimam & ad divinum cultum augendum conducentem institutionem approbavit, confirmavit, observandamque decrevit S. Tridentina Synodus sess. 21. cap. 3. de Reform. sic statuens: *Cum beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium præstetur, statuit Sancta Synodus in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis ... tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum, tam Dignitatum, quam Canonicatuum, personatuum, portionum, & officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas converti*: & sess. 24. cap. 12. statuit: *Distributiones, qui statutis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant*. Et juxta Bonifacii VIII. decretum ab ea Synodo in hac sessione confirmatum: *Qui de distributionibus ipsis aliquid absens acceperit... rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat fructus suos, immo ad omnium restitutionem ... teneatur.*

III. Has quotidianas distributiones non solum aliquibus, & majoribus, sed omnibus horis etiam minoribus esse applicandas, & mens Concilii Tridentini satis indicat, dum eas institutas dicit, *ne divinus cultus, & Ecclesiastica munera qua in parte minuantur*; minuerentur autem, si aliquibus tantum horis responderent distributiones quotidianæ; & declaravit Sacra Congregatio Concilii, cujs decretum refert Garzias de Beneficiis par. 3. cap. 2. num. 289. in hæc verba: *Censuit Sacra Congregatio, distributiones quotidianas, quæ excerptæ fuerunt ex tertia parte fructuum Dignitatum alicujus Ecclesiæ, assignari debere non duabus horis tantum canonicis, sed etiam reliquis omnibus aliis, quibus qui non interfuerint, distributionem amittant.*

IV. Has igitur distributiones illi solum legitime percipiunt, qui reali & propria præsentia horis interfuerunt, adeo ut nulla in contrarium consuetudo, seu pecul iare statum valeat, ut absentes in quotidianis distributionibus participes sint, cum Bonifacius VIII. in suo Decreto omnes contrarias tollat, aboleatque consuetudines, & Tridentina Synodus illud confirmans statuat: *Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit* Consuetudinem *Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus*, quod declaravit idem Pontifex etiam ad Officia extra ordinem habenda, & a canonicali munere sejuncta extendendum statuens: *De distributionibus pro defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum*. Quamobrem si quis etiam a Sede Apostolica Rescriptum sive Breve impetrasset, per quod ipsi concessum diceretur omnibus gaudere juribus & utilitatibus *ac si præsens esset*, adhuc tamen quotidianis distributionibus minime gaudere censendus esset, cum hujusmodi Rescripta & Privilegia rerum naturam & conditionem non valeant immutare; distributionum vero hæc est propria & intrinseca natura, ut nisi præsentibus vere & realiter debeantur, ut optime animadvertit Fagnanus super cap. *Licet* extra. de Præbendis n. 10. scribens; *Distributiones non deberentur. Nam harum distributionum ea est natura propria; ut debeantur iis tantum, qui VERE intersunt Officiis divinis, non autem his, qui FICTE resident, aut juris interpretatione.*

V. Nihilo tamen minus jure communi tres sunt causæ, quibus possunt etiam absentes distributiones lucrari, ut definivit Bonifacius

nifacius VIII. cap. unico de *clericis non residentibus*, videlicet 1. infirmitas: 2. justa corporalis necessitas: 3. Ecclesiæ utilitas; *exceptis illis* (verba sunt laudati Pontificis) *quos infirmitas, seu justa & corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*. Quas tamen causas Pontifex declaravit solum habere locum in illis Ecclesiis, ubi mos & consuetudo esset invecta, ut hi pro præsentibus habeantur: nam si qua forte foret Ecclesia, ubi contraria vigeret consuetudo, adeo ut solum vere & realiter præsentes, exclusis absentibus quacumque de causa, lucrarentur distributiones, eam consuetudinem minime velit commutatam, unde verbis mox citatis statim addit: *Juxta Ecclesiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, seu faciendam*. Quamobrem de concedendis, vel recipiendis distributionibus optime notat Van-Espenius Tom. 1. pag. 66. col. 2. *ut recte judicemus, non tantum inquirendum, an corporalis infirmitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas absentiam excuset: sed an etiam aliqua Ecclesiæ ordinatio, vel consuetudo concurrat*. Et revera in aliquibus Ecclesiis mos est & consuetudo, ut infirmis eæ solæ concedantur distributiones assignatæ pro horis, quibus dum sani essent assidue & fideliter interesse consueverant, quod videtur æquitati consonum, ne infirmis id concedatur, quod nec sani lucrabantur. Pari pacto licet Pontifex infirmis etiam extraordinarias, causa exempli, ob celebrata Anniversaria concedat distributiones, in pluribus tamen Ecclesiis contraria viget consuetudo, ut illis non fruantur.

VI. Nomine infirmitatis vero intelligitur non solum quæ Clericum in vitæ discrimine constituit, sed quæ illum vel decumbentem, vel domi detinet, & non nisi cum gravi incommodo ad Ecclesiam, vel chorum valet accedere, immo & convalescentes, & qui ad vires reficiendas brevi aliquo tempore rus concedunt post longam ægritudinem. Pro gravitate morbi dijudicanda standum est consilio periti, probique Medici, qui pro conscientia judicium feret de detrimento subeundo ob accessum ad Ecclesiam, vel chorum: quod si res ad forum deducatur, ad Prælatum pertinet coram Deo judicium ferre.

VII. Justa vero corporalis necessitas illa censetur, cum quis domi detinetur ob medicinam sumendam, vel sanguinis minutionem ex consilio Medici, sicut qui ad thermales aquas, vel ad balnea recuperandæ salutis causa accedit: similiter si ex accessu vel assistentia ad chorum immineat illi grave damnum & periculum vitæ, honoris, vel bonorum, vel injuste in carcerem detineatur, & similibus, de quibus in Confectariis.

VIII. Utilitas evidens Ecclesiæ illa reputatur, qua servitium aliquod magni momenti præstat Beneficiatus Ecclesiæ, vel Capitulo, cujus est membrum, ut cum deputatur ad aliquod negotium utile Ecclesiæ, vel Capitulo, & similibus judicio prudentum dijudicandis. Duo tamen sunt necessario notanda, nimirum primo, quod pro propria Ecclesia laboret & operetur, non pro aliena, nisi forte ageretur de Ecclesia universali, puta si mitteretur tamquam Theologus, vel Canonista, vel Procurator ad Concilium Generale, vel Provinciale, tum quia bonum commune est excellentius privato, tum quia id cedit etiam in utilitatem & bonum propriæ Ecclesiæ. 2. Dummodo Ecclesiæ vel Capituli negotia procurans resideat in loco, licet absit a choro: si enim alio pergere debeat, etiam ad Sedem Apostolicam, fructus quidem percipiet, at distributiones non lucrabitur. Excipiendum tamen, si a proprio Episcopo ad Apostolorum limina ejus nomine visitanda mittatur, tum quia & negotium

gotium agere censetur suæ Ecclesiæ, cujus statum exhibet & repræsentat Pontifici, tum quia & id concessum fuit a Sixto V. Constit. 17. & pluribus Congregationis Concilii decretis a Barbosa & Garzia relatis confirmatum. Hisce tribus titulis in jure designatis addunt etiam Theologi & Canonistæ quartum pietatis & caritatis, si Prælatus vel Superior concederet Beneficiario accedere, vel detineri apud Patrem, vel alium proximum consanguineum graviter ægrotantem.

IX. Distributiones quotidianæ, quas amittunt absentes, diverso modo sunt distribuendæ, nam communes omnibus, sunt inter præsentes dividendæ. Ita statuit Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 3. per hæc verba: *Quæ* (distributiones) *inter Dignitates obtinentes, & ceteros divinis interessentes proportionaliter, juxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur*. Distributiones vero debitæ extraordinarie, competentes alicui ob dignitatem quam obtinet, non præsentibus acquiruntur, sed vel Fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco ad beneplacitum Episcopi sunt concedendæ, ut decernit idem Concilium sess. 22. cap. 3. *Qui eas* (Dignitates) *obtinent, si personaliter competens sibi servitium, juxta formam ab eisdem Episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant, sed Fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, vel alteri pio loco, arbitrio Ordinarii applicetur*. Quod pariter intelligendum communiter docent Canonistæ & Theologi de distributionibus amissis a Pœnitentiariis seu Prebendariis ob aliquod crimen, excommunicationem, vel interdictum, quæ pariter arbitrio Episcopi sunt applicandæ.

CAPUT XII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Beneficiarii legitima causa Officium omittentes nullo modo restituere tenentur.*

II. *Qui etiam uno vel altero die Officium omittit, ad restitutionem tenetur.*

III. *Sicut qui vel unam horam omittit.*

IV. *Et qui certos reditus, quos grossam appellant, acquisivit, si Officium omittat, pro rata restituere debet.*

V. *Non liberatur Beneficiarius a restitutione per recitationem duplicis Officii.*

VI. *Neque qui mente vagante & sine attentione recitat.*

VII. *Ad restitutionem non tenetur, si in lethali peccato existens attente recitet, at contra si sit excommunicatus.*

VIII. *At num teneatur, si Officium pro Officio culpabiliter recitet, disputatur.*

IX. *Fructus male perceptos restituere tenetur Beneficiarius ex bonis patrimonialibus.*

X. *Qui injusta vexatione chorum adire impeditur, distributiones non amittit.*

XI. *Sicut & qui injuste est excommunicatus, secus vero si juste.*

XII. *Lucrantur qui ab Episcopis suis mittuntur ad limina Apostolica visitanda, vel ad Concilium generale, vel provinciale, vel absunt ad sui beneficii jura tuenda.*

XIII. *Canonicus Capituli Vicarius sede vacante distributiones lucratur absens a choro sui causa ministerii; non lucrantur vero docentes vel studentes in aliqua Universitate.*

XIV. *Canonico Pœnitentiario, & Theologo non omnes conceduntur distributiones.*

XV. *Canonici curam animarum habentes quando lucrentur distributiones.*

XVI. *Canonici absentes tribus mensibus vacationum*

tionum non lucrantur distributiones .

XVII. *Lucrantur qui assistunt Episcopo Pontificaliter celebranti , & qui spiritualibus exercitiis vacant* .

XVIII. *Senes septuagenarii non sunt a choro titulo ætatis dispensati* .

XIX *Consuetudo vel statutum Episcopi concedens absentiam a residentia ultra tres menses nullius est valoris* .

XX. *Nullo statuto vel consuetudine concedi possunt distributiones absentibus absque justa causa* .

XXI. *Solus Summus Pontifex concedere potest absentibus , ut distributiones lucrentur ; hæ concessiones quomodo intelligendæ* .

Reflexio .

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. BENEFICIARII , qui legitima causa Officium omittunt , non tenentur perceptos fructus restituere nec jure naturæ, nec jure ecclesiastico . Quandoquidem licet Beneficium importet jure naturæ contractum , *do ut facias* , nihilominus hic contractus ex fidelium Beneficia instituentium mente taliter initus censetur , ut nisi ex culpa Officium prætermittat , non tamen fructus Beneficii perdat , ut declaravit Ecclesia , quæ fructuum amissionem decernit solum illis , qui *legitimo impedimento cessante* diurnum horarum canonicarum pensum renuunt persolvere : eapropter debitum & obligatio fructus restituendi , etiam jure naturæ spectato , culpam supponit in omittente , qua cessante cessat & restitutionis onus . Ita quidem & jure docent plures sanioris doctrinæ Theologi Navarrus de Orat. cap. 22. Jueninus sive Auctor Theoriæ & Praxis Sacramentorum cap. 6. de horis Canonicis §. 2. n. 5. aliique plures .

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Qui etiam uno vel altero tantum die Officium omittit , pro rata omissionis ad restitutionem tenetur . Inficiantur quidem plures benigniores Theologi ea permoti ratione , quia præsumi non debet Ecclesiam piam Matrem , nec pios Beneficiorum fundatores rigide adeo obstringere velle Clericos , ut si semel vel bis tantum in vita pensum non solvant , debeant statim toto rigore puniri , & fructu Beneficiorum suorum privari , cum ceteroquin semper in suo obsequio & munere fideles fuerint, fortes , & assidui ; hinc nonnulli benignam hanc indulgentiam ad octo vel decem dies dilatant . Verum hæc opinio falsa est & laxa , ut clare ostendit ipsa Ecclesiæ piæ Matris voluntas per decretum ore Summi sanctissimique Pontificis Pii V. declarata , qui aperte absque ulla ambiguitate , perspicueque definivit : *Qui uno , vel pluribus diebus omnes horas canonicas intermiserit , omnes fructus amittat , qui illi , vel illis diebus responderent , si quotidie dividerentur* : & jure meritoque , nam juxta D. Paulum *qui non laborat , non manducet* , & juxta Christi Domini effatum : *Dignus est operarius cibo suo*: sicut ergo non laboranti , & non operanti justa de causa & legitimo impedimento cibus non denegatur , & merces adhuc rependitur , ita operario ex malitia non operanti juste & cibus & merces subtrahitur. , & illis privatur ; in quo agendi modo quis Ecclesiæ clementiam non miretur & justum rigorem non laudet, clementiam dum impotenti & præpedito servo beneficium non subtrahit , rigorem dum servo inutili & pravo cibum subtrahit , & mercedum denegat ? Hanc doctrinam tradunt Sylvius 2. 2. q. 83. art. 3. conclus. 4. Suarezius , Vasquez, ipsique benigniore Salmanticenses tract. 16. cap. 2. punct. 4. n. 5. cum aliis pluribus.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Ad restitutionem tenetur, qui integram horam omittit, & qui etiam notabilem horæ partem non recitat, si ad peccatum mortale sufficiat: Et quidem omittentem integram horam ad restitutionem adstringi, declarat ipse Sum. Pontifex PiusV. dum statuit: *Qui Matutinum tantum, dimidiam, qui ceteras horas, alteram dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat.* An vero qui solum partem horæ omittunt, ad restitutionem obligentur, sunt qui negant benigniores Theologi, quia Summus Pontifex nihil de parte horæ canonicæ tamquam de re minima statuit; verum ab hac opinione ex parte recedimus, & probabilius censemus, quod si horæ pars omissa tanta sit, atque adeo notabilis, ut lethale peccatum afferat, idem omnino sit, ac si horam omitteret, ac proinde ad restitutionem pro rata unius horæ teneri: nec dici potest, quod nihil statuerit S. Pius, quia quid minimum sit; nam unius vel duplicis Nocturni, aut Laudum in Matutino omissio vel æquat, vel fortassis unius horæ superat quantitatem. Ita propterea docent ex Canonistis Garzias, ex Theologis vero Suarezius & Salmanticenses cum aliis. Quod si vero omissio partis horæ levis sit, adeout veniale peccatum non excedat, ab omni restitutionis onere liberabitur. Quod si quis ex omnibus septem horis canonicis aliquid omittat, quod tamen simul sumptum gravitatem materiæ adæquet, & peccatum mortale constituat, ad restitutionem non teneri putant Salmanticenses parum sibi cohærentes, quoniam, inquiunt: S. Pius V. pro integræ horæ omissione, non pro parte præceptum restitutionis imposuit, & præceptum recitationis integri Officii a præcepto restitutionis distinguitur; peccare itaque poterit etiam lethaliter, qui singulas horas decurtat, at restitutionis onus vitabit. Verum hæc opinio nullo modo videtur probabilis; quandoquidem pars omissa cum horæ alicujus quantitatem adæquet, idem prorsus est, ac si sextam Officii partem omisisset; parum enim interest, num hæc pars ex integræ horæ omissione resultet, an ex pluribus singularum horarum partibus decurtatis; verum enim semper est, sextam esse Officii partem omissam; ad restitutionem igitur sextæ partis, juxta S. Pii Decretum, tenebitur; immo juxta adversarios duplo & triplo amplius omittere posset Clericus, quin ad restitutionem teneretur, quod certe non concederent benigniores Theologi. Finge enim omitti unum psalmum in Matutinis, alterum in Laudibus, & sic in singulis sex sequentibus horis, en octo psalmos omissos, qui duas horas saltem adæquant, & sic nec duabus omissis horis, quarta ferme parte Officii non recitata, adhuc a restitutione liberabitur. Quis sapiens intelliget hæc? Dicendum igitur est, S. Pii legem non secundum corticem, sed secundum veritatem spectatam jubere, ut qui tantam Officii partem non recitat, quæ horam unam adæquet, sextam partem fructuum deperditam restituere teneatur. Ita Auctor Theoriæ, & Praxis de Sacramentis cap. 6. §. 2. n. 9. aliique Theologi.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Beneficiarius, qui ob præsentiam in choro statutis diebus certos reditus, quos *grossam* appellant, jam sibi acquisivit, si postea Officium recitare omittat, ad restitutionem tenetur. Non desunt benigniores Casuistæ, qui Beneficiarium hunc ab onere restitutionis liberant hac futili ratione, seu potius turpissima cavillatione, quia videlicet S. Pius pœnam infligit non quæ im-

importet ut fructus perceptos & jam factos suos restituat, sed quæ solum indicit, ne *faciat fructus suos*; cum ergo ante omissionem jam fructus sui facti sunt, per subsequentem omissionem minime illos restituere cogitur. Sed quid fraudulentius potest excogitari? Dum enim Pontifex dicit, ut non recitans *non faciat fructus suos*, indicit, ut sive illos ante receperit, sive postea sit recepturus, sciat suos non esse, sed vel pauperibus; vel Ecclesiæ esse dandos. Nam revera fructus, quos percepit, semper obtinuit onere gravatos recitationis Officii, quod si non præstet, ad restitutionem tenetur. Quapropter ita docent communiter feniores doctrinæ Theologi Suarez, Vasquez, sed & benigniores, ut Pellizarius, Castropalao, & ipsi Salmanticenses, qui a recensita opinione recedunt, sed eam non oppugnant, ne si laxitati non favent, saltem non noceant.

Consectarium Quintum.

V. A restitutione non liberatur Beneficiarius, qui die sequenti omissionem Officii, duplex Officium persolvit. Liberant Salmanticenses, quia quod omisit per æquale compensat, & sicut Sacerdos ad restitutionem non tenetur, si cras Missam celebret, quam hodie debebat persolvere; ita nec iste ad restitutionem non erit adstringendus: peccavit siquidem & quidem lethaliter, quia onus Officii est diei affixum, at non talis est restitutio, quæ nullo determinato alligatur tempori. Ita quidem illi, & forrassis non inepte, nec improbabiliter si solum jus naturale spectetur, cujus gratia & nos superius docuimus, Beneficiarium prioribus sex mensibus ab assecutione Beneficii, in quibus ecclesiastica lege non est imperata restitutio, posse vel duplicato Officio, vel æqualitate aliarum precum quod omisit supplere. Verum spectata lege canonica & jussu SS. Pontificis Pii V. improbabilis est omnino laudata opinio, quia sua Constitutione jubet Pontifex, ut pro rata omissionis partem fructuum Ecclesiæ, vel pauperibus tribuat, nec faciat fructus suos; jus igitur amisit ad fructus illius diei, qui jam pauperibus, vel Ecclesiæ debentur, nec ad ipsum, vel Casuistas pertinet leges Pontificias vel immutare, vel interpretari, seu potius fraudare, intelligendo si allo die non suppleat; potuisset siquidem Ecclesia statuere compensationem per alias preces, vel per jejunia, sive alia pietatis opera, at cum præceperit fructuum amissionem, illi est omnino parendum. Nec paritas ex Sacerdote desumpta probat, quia non censetur qui Missam celebrandam tali die petivit, cum tanto onere obligare voluisse, ut nisi eo die celebretur, pro non celebrata habeatur, hinc a restitutione eum liberant Theologi: oppositum autem statutum est pro Officio, nimirum non facere fructus suos qui eo die non persolvit Officium: quod verum esset etiam in Missa, ut si filius Missam peteret a Sacerdote pro sanitate impetranda Patri ægrotanti, & ipse eam celebraret cum jam ad plures abiit. Nostræ sententiæ favent plures Theologi etiam benigniores Diana, Pellizarius, Leander a SS. Sacramento aliique.

Consectarium Sextum.

VI. Ad restitutionem tenetur Beneficiarius, qui sine debita attentione Officium recitat voluntarie & deliberate distractus. Quandoquidem Ecclesia non qualemcumque præcipit recitationem, quæ & psittaco convenire potest, sed humanam, devotam, religiosam, quæ Deum deceat; hinc superius ad impletionem præcepti devotam recitationem contra Probabilistas necessariam propugnavimus. Sit ita ut lubet, (excipiunt Salmanticenses), ergo ad restitutionem cogendus? Consequentiam negamus, quan-

quandoquidem ad implendum præceptum est necessaria attentio, at ad restitutionem requiritur omissio, non enim fructibus privat S. Pius V, qui indevote recitant, sed qui omnino non recitant. Verum reponimus, si indevota recitatione non impletur præceptum, idem omnino est juxta Ecclesiæ mentem, ac si nulla esset recitatio; per actum enim malum, & culpabilem non ponitur opus, cui debeatur merces, sed pœna. Hinc etiam S. Pius V. distributionibus privat etiam designatis pro sola corporali præsentia, Beneficiarios illos, qui præsentes in choro non recitant Officium, quia illa præsentia cum materialis sit, nec Deo cultum adferat, pro absentia habetur, & merces distributionum subtrahitur; pari ergo pacto irreligiosa & indevota recitatio cum mere materialis sit, Deo injuriosa, religioso homine indigna, pro non recitatione habetur, illique merces subtrahitur juste, & pauperibus, vel Ecclesiæ adjudicatur. Hæc itaque sola opinio mihi vere probabilis videtur & tuta, quam tuentur magni nominis Theologi Sylvius 2. 2. q. 82. art. 3, conclus. 4. Sotus, Garzia, Navarrus, quibus adhærent & benigniores Casuistæ Castropalaus, Pellizarius, Lessius, Leander, aliique penes ipsos.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Beneficiarius licet in lethali peccato existens, si devote canonicas horas celebret, ad restitutionem non tenetur; probabilius autem fructibus privatur, si in excommunicatione recitet. Nonnulli a priori beneficio immunitatis a restitutione excludunt, si Beneficiarii peccatum notorium sit & publicum. Verum nec per hoc a perceptione legitima fructuum impediri manifestum apparet, cum status peccati mortalis devotam & ex pio affectu procedentem non impediat recitationem, ac propterea præceptum impleat, suoque muneri rite satisfaciat. Hoc autem beneficio non gaudere excommunicatos, probabilius docent plures Theologi, inter quos Toletus lib. 1. cap. 3. n. 2. Covarruvias, Garzias, Leander, & alii, quorum doctrina maxime nititur cap. *Pastoralis* de Appel. ubi dicitur: *Merito subtrahuntur proventus ecclesiastici, cui Ecclesiæ communio denegatur*. Nonnulli hanc opponunt limitationem, quando excommunicatus est in mora culpabili, idest per ipsum stat, quominus absolvatur: hanc tamen limitationem Panormitanus in supra laudatum Caput non agnoscit.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Qui Officium pro Officio recitat voluntarie, puta de Sancto loco de Feria, cum præcepto non satisfaciat, probabile videtur ad restitutionem teneri; illum non satisfacere præcepto manifeste liquet, tum quia præceptum non solum latum est de quacumque recitatione, sed de tali recitatione, scilicet vel juxta ritum Breviarii Romani, vel alterius Ecclesiæ ab Apostolica Sede approbati, & patet ex propositione damnata: *In die palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto*. Si igitur non implet præceptum, nec fructus suos facit, & ad restitutionem tenebitur. Fateor tamen hanc rationem non esse adeo firmam validamque, ut omnem prudentem excludat dubitationem de veritate etiam oppositæ sententiæ; quandoquidem hic præceptum non violat de Officio recitando, sed de ritu in recitatione servando, præsertim si non adsit fraus in diminutione Officii, quæ clare elucet in doctrina propositionis damnatæ: proinde peccatum non effugiet, verum restitutioni non videtur obnoxius, cum vere pensum horarum persolverit. At solvit per actionem malam, & Deo injuriosam, ut patet, & graviter criminal-

minosam. Fateor & hæreo. Sapientiores videant. Certe in dubiis tutior pars est eligenda.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Si fructus, quos ob omissionem Officii restituere tenebatur: insumpsit Beneficiarius, tenetur restituere ex bonis patrimonialibus, non vero ex fructibus Beneficii, cum præter decentem sustentationem quæ ex illis supersunt, sint jam pauperibus debita. Quod si non nisi ex Beneficio vivat, & sustentetur, debet expensas, quas licite facere posset, minuere, & aliquid de congrua sustentatione decerpere, ut restitutioni aptus fiat: quod si reditus adeo exigui sint, ut annuæ sustentationi solum sufficiant, tenetur eo modo restituere, quo potest per repetitas preces, & orationes quod omisit supplendo, & de peccato commisso condignam agendo pœnitentiam.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Beneficiarius injusto carcere detentus, vel Curiam adire compulsus, sive aliquo modo ab assistentia chori injuste præpeditus quotidianas distributiones non amittit, dummodo antea choro sedulo adesse consueverit. Ratio est manifesta, quia abest justa de causa, & necessitate compulsus. Injustitia carceris judicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in judicatum transierit; nam si interposita sit appellatio, exitus appellationis expectandus est. Sententia in favorem rei illa dicitur, qua reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam; sicut etiam qua *ex hactenus deductis* declaratur innocens, & ex qua absolvitur cum clausula *non molestetur*: non vero qua absolvitur *cum quo satis*. Ex Decretis S. Congregationis relatis Inst. 107. §. 52. 53. Idem omnino est & de infirmis dicendum, licet fortassis morbum sibi accersiverint ut a choro abessent, quia adhuc vera subest causa, idest realis infirmitas, a choro abstinendi: ac proinde si criminis pœniteat, a restitutione liberarem. Mereretur tamen in foro exteriori distributionibus privari, quamvis hoc crimen sit difficilis probationis, in pœnam delicti, & ipsemet si vere pœnitens esset, sponte erogare deberet pauperibus, vel Ecclesiæ perceptas distributiones. Bonacina citat Rotæ decisionem, quæ definivit, Canonicos, qui ante infirmitatem vel legitimum impedimentum a choro se absentare consueverant, non gaudere in infirmitate, vel aliis urgentibus causis absentiæ, distributionibus, quia illæ non essent absentiæ causæ, quibus sublatis adhuc a choro abesset; ideoque merito dixi, dummodo antea choro sedulo adesse consueverit. Quod confirmat & Benedict. XIV. in Instit. Eccl. 107. §. 16. Quod si in angustiis constitutus proponeret emendationem, & chori frequentiam, existimarem adhuc illi non deberi, cum istæ concedantur legitime impeditis in præmium præstitæ servitutis, non præstandæ. Num vero participent etiam de funeralibus, anniversariis, aliisque extraordinariis emolumentis, incertum est: nonnulli enim Canonistæ & Theologi & ista concedunt, at alii probabilius denegant, tum quia hæc non connumerantur in jure canonico inter distributiones, tum quia voluntas Testatorum est, ut præsentibus tantum distribuantur. In hoc tamen Ecclesiæ consuetudo spectanda est. Nam quælibet Ecclesia suos habet mores & usus, quibus, si legitime inducti sint, standum est. Illud tamen pro Beneficiatiis ægrotantibus animadvertendum, quod si extra locum residentiæ degentes absque legitima causa infirmitate corripiantur, non gaudeant distributionibus, quia reputantur absentes ex malitia; si vero absentiæ legitimum adsit motivum, puta Ec-

c'esiæ

clesiæ negotium, licet eo consummato in loco absentiæ infirmentur, distributionibus quasi præsentes gaudebunt, ut communiter docent Canonistæ & Theologi.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Injuste excommunicatus distributionibus non privatur, secus juste, licet choro interesse velit, tunc enim & mortaliter peccat, & fructus etiam præbendæ deperdit, ut docent communiter Canonistæ, Abbas, Innocentius, Covarruvias, Hostiensis, Ugolinus, Garzias, quibus adhærent ex nobilioribus Theologis Toletus, Sylvester, Armilla Summa, Navarrus, aliique. Probabilius etiam Præbendatus juste suspensus & fructibus & distributionibus quotidianis privatur, secus si injuste sit suspensus, licet a choro absit, cum absentiæ rationabilem habeat causam, ne videlicet gravius damnum patiatur. Irregularitas quovis damnum patiatur. Irregularitas quoque Beneficiato superveniens cum assistentiam divinis Officiis non impediat, ipsum si choro adsit, distributionibus non privat. Dixi irregularitas superveniens, si enim hæc Beneficii collationem præcessisset, eo esset privandus, cum Beneficii collatio irregulari facta probabilius nulla sit, & irrita. Si Ecclesia interdicto subjaceat, videndum num Canonici & Præbendati causam dederint interdicto, tunc enim distributionibus privantur; si vero ipsi in causa non fuerint, distributiones lucrantur. Secus vero in cessatione a divinis. Sic enim declaravit Gregorius X. in Cap. *si Canonici* §. *Scituri*; ibidem tamen statuitur, ut qui causam dedit cessationi, omne interesse compensare teneatur, & quidquid deperdunt ob omissionem divinorum Officiorum illis refarcire. Similiter si Ecclesia polluta sit, donec emundetur distributiones lucrantur, cum ipsi nec pollutionis in causa fuerunt, nec per illos stat, quod divina non celebrentur Officia. Hæc traduntur a Canonistis & Theologis ferme communi consensione.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Distributiones lucrantur Canonici, qui ab Episcopis suis mittuntur vel ad Apostolorum limina visitanda, vel tamquam Theologi vel Canonistæ, vel Procuratores ad Concilium vel Generale, vel Provinciale, vel absunt ut jura sui Beneficii tueantur, non vero ut jus suum contra alium cum ipso de Beneficio contendentem. Ratio est, quia ipsorum absentia in utilitatem cedit suæ Ecclesiæ. Et primo quidem de visitantibus sacra limina loco Episcopi constat ex Institutione 107. Benedicti XIV. §. 9. n. 59. sic scribentis: *Canonici, licet absint a choro, distributiones percipiunt veluti si divinis Officiis interessent ... qui Episcopi jussu & loco Romam veniunt ad limina Apostolorum invisenda, vel ipsum Episcopum Romam ob eamdem causam comitantur, ut Sixtus V. decrevit*. Quod confirmatum dicit variis Sacræ Congregationis decretis, *& præsertim in Pen. die 1. Octobris, Sacra Congregatio ...... censuit deberi distributiones quotidianas tempore accessus, mansionis, & regressus visitationis sacrorum liminum, quod tempus constituit esse trium mensium*. Addit tamen hoc privilegio minime gaudere Canonicos Episcopum comitantes in visitatione suæ Diœceseos, & Decretum affert Sacræ Congregationis anni 1616. in Causa Tudertina decernentis: *Canonicos suum Episcopum in visitatione liminum comitantes distributiones quotidianas lucrari debere, comitantes vero in visitatione Diœcesis, si omnes fructus, ut supponitur, in distributionibus quotidianis consistant, lucrari duas partes, omissa tertia, quæ inservientibus accrescit*. Pari pacto iis conceduntur distributiones, qui ad Generale vel Provinciale Concilium mittuntur ut Theologi vel Canonistæ, vel Pro-

Procuratoris nomine, cum & in utilitatem Ecclesiæ mittantur, & bonum commune, ac universale non sit inferius bono privato, & particulari: quamobrem si distributionibus gaudent absentes propter utilitatem suæ particularis Ecclesiæ, æquum est, ut eodem gaudeant beneficio qui absunt vel ob bonum Universale totius Ecclesiæ, vel illius Provinciæ, cujus sunt membra. Tertio denique non privantur distributionibus, qui absunt ut sui Beneficii jura tueantur, cum & hoc in suæ cedat utilitatem Ecclesiæ, cui plurimum interest, ne quid suorum jurium detrahatur vel minuatur. At qui abesset in privatum commodum, ad jura scilicet sua personalia tuenda contra impugnantem, licet ad Beneficium spectantia, distributionibus non frueretur, quia non in Ecclesiæ, sed in sui utilitatem abesset. Hinc duo sunt animadvertenda. Primum non esse usquequaque veram illorum Theologorum opinionem, qui censent, absentes ob utilitatem Ecclesiæ non lucrari distributiones, nisi negotia sint in loco Beneficii, innixi Cap. *Cum non deceat* de Clericis in 6. in quo statuitur, ut Clerici ad Sedem Apostolicam accedentes suarum Ecclesiarum negotia tractaturi quotidianis distributionibus non fruantur, cum ex superioribus pateat etiam extra residentiæ locum agentes iisdem donari, & præterea in Capite *Unico* concedatur absentibus in utilitatem Ecclesiæ facultas percipiendi distributiones absque ulla limitatione, & Caput *Cum non deceat* optime limitetur in accedente ad Romanam Curiam ob electionis instructionem. Secundo loco notandum, omnibus absentibus a choro titulis in jure statutis, tamdiu privilegium de percipiendis distributionibus suffragari, quamdiu in negotii tractatione legitime occupantur, & postulat tempus eundi & revertendi a loco, in quo de negotio tractandum est, cum onere etiam, ut omnem adhibeant diligentiam ad celerem negotii consummationem: quod si aut celerius discedat, vel diutius immoretur, vel negotium diutius, quam par est, protrahat, non poterit omnes distributiones percipere; sed pro rata fraudis, vel negligentiæ restituere, in quo solus ipse Præbendatus in conscientia judex esse poterit, qui coram Deo tem sedulo perpendere debet, ne sibi plus tribuat de bonis pauperum & Ecclesiæ, quam æquitas postulet.

Consectarium Decimumtertium

XIII. Canonicus Sede vacante electus Vicarius Capituli, dum abest a choro sui causa ministerii, distributiones lucratur, quas non percipiunt sive docentes sive studentes publice in aliqua Universitate. Primam partem communiter sustinent Theologi & Canonistæ, quippe qui abest ob utilitatem Ecclesiæ, quod pari ratione docent & de Archidiacono visitante vel Ecclesiam, vel prædia suæ Ecclesiæ, cum hoc pariter in ipsius cedat Ecclesiæ utilitatem. Secus vero dicendum de Vicario generali Episcopi, quippe qui non Ecclesiæ, sed Episcopo inservire censetur. Altera vero pars de docentibus Theologiam sive jus Canonicum in aliqua Universitate, sive sponte sive stipendio conducti doceant, colligitur ex Cap. *Finali de Magistris*, & docet Barbosa in remiss. ad Concil. sess. 5. de Reform. cap. 5. n. 8. qui id etiam a Sacra Congregatione decisum testatur; & jure merito, cum hocce munus in suæ non redundet utilitatem Ecclesiæ. Solus enim Præbendatus in sua Ecclesia docens percipit distributiones. De studentibus vero idem statutum colligitur ex *Cap. 11. de Privilegiis in 6. ex Cap.* Tua *de clericis non residentibus*. Quod si omnes Beneficii fructus non sint nisi distributiones, tunc ex Decreto Congregationis relato a Riccio Decis. 494. n. 4. dempta tantum tertia par-

parte, quæ insciventibus accedit, conceduntur.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Canonico Pœnitentiario, & Canonico Theologo non omnes conceduntur distributiones. Pœnitentiarius enim tunc solum gaudet distributionibus, quando tempore divini Officii in fidelium Confessionibus excipiendis detinetur, ut definivit Trid. Concil. sess. 24. cap. 8. de Reformat. statuens: *Pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, vel Licentiatus in Theologia, vel jure canonico, & annorum quadraginta, seu alius qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur*. Garzias de Beneficiis par. 5. cap. 5. plures affert Sacræ Congregationis Declarationes, quæ statuunt, tunc solum haberi præsentem in choro Pœnitentiarium, quando reapse Confessiones audit, non vero si sedens in Confessionali, vel Officium private recitet, vel cum aliis confabuletur. Quod si sedeat expectans Pœnitentes, quos brevi venturos prudenter credit, non putarem esse distributionibus privandum, licet actu in choro divinum persolvatur Officium, & ipse interim non audiat Confessiones. Quod si loco Pœnitentiarii legittime impediti alius substituatur Canonicus, eodem fruitur privilegio, & tamquam præsens in choro habetur. Canonicus vero Theologus præsens habetur in choro eo die, quo lectiones habet, ut ex pluribus declarationibus Sacræ Congregationis a Garzia relatis declaratur. Extra vero illam diem, si absit a choro, distributionibus caret, immo si absit a Matutinis recitari solitis sero præcedente diem lectionis privatur distributionibus, ut definivit Sacra Congregatio hoc Decreto a Garzia relato: *An Theologus, qui divinis pro præsente habetur diebus quibus legit, censendus etiam sit præsens Matutinis, qui ex antiqua Ecclesiæ consuetudine dicuntur sero præcedenti pro sequenti? Congregatio respondit, non censeri*.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Canonici curam animarum habentes in sua Ecclesia distributiones lucrantur, si divinorum Officiorum tempore parochialia obeant munia, si vero extra Civitatem, fructus quidem Præbendæ, at non distributiones adipiscuntur. Ita ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 3. de Reform. & sic statuit S. Pius V. in Constit. 65. de Canonicis curam animarum extra propriam Ecclesiam obtinentibus: de aliis vero eam in propria Ecclesia obtinentibus declararunt plura Sacræ Congregationis Decreta, quæ omnia late exposuit declaravitque Benedictus XIV. in sua Institut. Eccles. 107. §. 56. omnino legenda.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Canonici absentes a choro tribus mensibus vacationis non lucrantur distributiones quotidianas, nisi concessæ sint illis a Constitutionibus confirmatis à Summis Pontificibus ante Concilium Tridentinum. Ita ex Decreto S. Congregationis allegato in laudata Institut. §. 33. Ut fruantur privilegio vacationum non requiritur licentia Episcopi, si intra Diœcesim consistant, bene vero si ab ipsa se absentent; petita tamen non debet ab Episcopo denegari, ut constat ex Decretis S. Congregationis, ut in laud. Instit. §. 36. Non possunt tamen vigere trimestris Canonici abesse a choro uno & eodem tempore ultra tertiam partem, nec vacationem obtinere tempore Quadragesimæ, & Adventus, & in Festis solemnioribus, ut ostendit ibid. Lambertinus ex Decreto Congregationis §. 32.

Non

Non est autem absentiæ tempus computandum ab hora in horam, sed a die in diem, ut declaravit S. Congregatio sequenti Decreto: *Congregatio censuit, non posse confici ex horis quibus Canonici residentes absunt a choro dies, & ex diebus & horis sic collectis confici menses absentiæ, de quibus in hoc Decreto. Neque ad constituendum servitium novem mensium colligendos esse punctaturas, quasi ii, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint: sed ipsos dies residentiæ & servitii, sive continui fuerint, sive interpolati, numerandos esse ad complementum dictorum novem mensium.*

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Lucrantur distributiones Canonici assistentes Episcopo Pontificaliter celebranti, non vero Missam privatam celebranti; nec illis privantur, sed gaudent Canonici & Beneficiati, qui interdum intra annum in domo Religiosa clausi spiritualibus exercitiis vacant de licentia Episcopi, dummodo tamen hoc non præstent in Adventu, Quadragesima, & Festis solemnioribus, ne chori servitium detrimentum patiatur. Ita Summus Pontifex in sæpius laudata Instit. Eccl. 107. §. 61. & 63.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Senes septuagenarii non sunt titulo ætatis a choro dispensati. Canonicis tamen & Beneficiatiis post diuturnum & assiduum servitium choro studiose præstitum per quadraginta annos indultum conceditur a S. Sede, a qua illud petere, & obtinere debent, ut tamquam emeriti a choro absint, quo obtento etiam distributiones lucrantur. At possunt ab Episcopo compelli ad assistendum choro, si forte divinus cultus detrimentum patiatur. Ita laudata Instit. §. 64. Ex quo apparet, quam falsa sit Bonacinæ, aliorumque benigniorum Theologorum doctrina, qui septuagenarios censent communiter a choro exemptos, quippe quia ipsa senectus morbus est; si enim revera morbo præpediantur, sunt quidem a choro dispensati, at non propter grandævam ætatem, sed infirmitatis causa; at si vegeti adhuc sint & robusti, ut choro valeant interesse, non est cur debeant inter infirmos connumerari.

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM.

XIX. Consuetudo, sive statutum Episcopi, vel Capituli, quo conceditur Canonicis absentia a residentia ultra tres menses, nullius est valoris, sed est abrogandum. Quandoquidem vel hujusmodi consuetudo, & statutum Concilii Tridentini tempus præcessit, vel successit; si primum, non obtinere manifestum est, cum eas omnes consuetudines & statuta idem Generale Concilium omnino abrogaverit. Si vero successit, constat non valere, nam inferiores cujusmodi sunt Episcopi, & Capitulum, legem sancire, vel consuetudinem inducere non valent contra superiorem, Concilium scilicet Generale, & Summum Pontificem, qui hujusmodi statuta & consuetudines abrogant, vetant, & detestantur. Ita communiter Theologi.

CONSECTARIUM VIGESIMUM.

XX. Similiter nullo vel statuto vel consuetudine Episcoporum vel Capitulorum possunt distributiones absentibus absque justa causa concedi. Tum quia id expresse declaratum est a pluribus Congregationibus, tum quia adversatur indoli ipsarum distributionum, quæ eo sunt nomine institutæ, ut solis præsentibus dentur. Hinc conventio inter Canonicos de mutua deperditarum con-

condonatione cum collusoria fit, omnino prohibetur a Tridentino Concilio sess. 24. cap. 12. de Reform. ubi statuitur: *Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant*: eapropter talis condonatio nedum illicita esset, sed & invalida, ut nobiliores docent Theologi, & interdicitur tum respectu distributionum amissarum, tum etiam amittendarum in posterum. Sicut nec illa amicabilis compositio, per quam pars distributionum certo ob absentiam non acquisita condonaretur, licita esset, cum sub tali nomine vera haberetur condonatio a Tridentino vetita. Si vero dubium foret, num Canonicus vel percipere deberet, licet absens, distributiones, sive num male perceperit, transactio non videretur illicita, dummodo tamen omnis abesset fraus ac dolus. Canonicus vero, qui duplex obtineret Beneficium, non duplicis deberet percipere distributiones, ut tamen docent cum Leandro nonnulli benignioris doctrinæ Theologi; cum enim distributiones pro assistentia concedantur, cum una sit, non duplex assistentia, unica quotidiana distributio est concedenda.

CONSECTARIUM VIGESIMUMPRIMUM.

XXI. A solo Summo Pontifice justa de caussa concedi potest Beneficiariis & Præbendatis, ut etiam absentes & reditus Beneficii, & etiam quotidianas lucrari valeant distributiones, ut communiter docent Theologi & Canonistæ. Quando tamen hujusmodi conceduntur dispensationes, sunt semper strictissimo jure interpretandæ, quippe quæ in divini cultus diminutionem vergunt. Eapropter si fructus concedunt, non sunt ad distributiones percipiendas dilatandæ, nisi forte totius Beneficii proventus ex solis constaret distributionibus, tunc enim forent concedendæ, ne privilegium inutile fiat. Quod si etiam distributiones ex tribus superius assignatis caussis conceduntur absentibus, non sunt tamen comprehendendæ & illæ, quæ ob anniversaria conceduntur, nisi id expresse concedat Pontifex. Immo tamquam certissima regula statui potest, emolumenta & distributiones a Testatoribus assignatas assistentibus tali Missæ, Officio, vel alio Ecclesiastico muneri non acquiri ab absentibus quocumque etiam justissimo titulo, cum ex voluntate Testatorum solis præsentibus destinentur, quorum voluntati repugnare esset contra jus naturale, in quod nullus titulus, nulla consuetudo potest prævalere, & quorum testamentariam voluntatem commutare velle non est censendus Summus Pontifex, nisi id expresse declaret, & manifestet. Hinc Canonici Legatis Summi Pontificis vel Cardinalibus inservientes nec fructus præbendæ adipiscuntur, si a choro absint. Sicut nec inservientes Regibus vel Supremis Principibus, cum neutri absint ob Ecclesiæ utilitatem, vel ullum extet privilegium, per quod a choro dispensentur. Et si quod forte esset antiquum Privilegium, revocatum omnino fuit a Tridentina Synodo sess. 6. cap. 2. de Refor. Inservientibus vero Summo Pontifici in munere Capellani, Camerarii, Secretarii &c. conceduntur quidem fructus Præbendæ ex cap. *Cum dilectus* de Clericis non resident. non vero distributiones. Fructus vero & distributiones conceduntur Auditoribus Rotæ Romanæ ex privilegio Clementis VIII. in Bulla *Convenit* anni 1525. Nec non Inquisitoribus hæreticæ pravitatis ex privilegio Pauli III. & S. Pii V. ut refert Garzias 3. part. cap. 11. n. 356. exceptis tamen Inquisitoribus curata Beneficia obtinentibus, ut Sacra Congregatio declaravit. Item Col-

lectorem

lectores, & Subcollectores, aliique Cameræ Apostolicæ Officiales & fructus adipiscuntur, & distributiones suorum Beneficiorum ex privilegio Sixti V. relato a Barbosa 3. par. de potestate Episcopi allegat. 53. n. 157.

REFLEXIO.

I. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*, ajebat Psalmista, ut fideles Domini servos suo exemplo ad Deum orandum laudandumque incessanter urgeret atque impelleret. Porro licet orationes laudesque Dei, quas Christi fideles privatis in domibus & secreta collocutione ad Deum fundunt, sint proculdubio ipsi Deo gratæ plurimum & acceptæ, præsertim si ex divini Spiritus afflatu progrediantur; nihilo tamen secius quæ publice in Ecclesia, & ab Ecclesia in unum collecta fiunt, proculdubio & acceptiores sunt, majoremque nanciscuntur efficacitatem ad divina promerenda auxilia, & subsidia procuranda & toti Ecclesiæ corpori, & singulis ejusdem membris. Expropter qui & Deum excellentiori modo laudare cupit, & gratiarum tum spiritualium, tum temporalium uberiorem copiam sibi impetrare, publicis fidelium cætibus Deum laudantibus & orantibus se associet, & cum illis Deo psallat, cum Ecclesia roget & obsecret; fieri enim quandoque poterit, ut ea nobis privatim petentibus etiam spiritualia munia deneget Deus, quæ nobis intuitu Ecclesiæ nobiscum orantis elargiretur, cum in ea plures sint Electi mystici hujus corporis Christi pretiosiora membra, quorum preces Deus libenter audit & exaudit. Opime itaque ajebat D. Ambrosius in Lucam cap. 5. *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscat aliis .... Si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam, quæ pro te precetur, cujus contemplatione quod tibi Deus negare posset ignoscat.*

II. Quam gloriosum itaque Deo, quam laudabile, quam utile fidelibus, si privatis non contenti precibus, vel illis etiam omissis cum tota Ecclesia orarent diurnis, nocturnisque ejus Officiis in Templo assistentes, cum juxta Patrum & Catholicorum doctrinam, non alia de causa sint divina instituta Officia & Dei laudes, nisi ut facilius Christi Redemptoris nostri præceptum de perpetua oratione impleamus, ut observat Eligius hom. 11. ad Popul. & ad Pœnit. *Cui dicendum est*, Oportet semper orare & non deficere, *nisi ei, qui canonicis horis quotidie, juxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare, & rogare non desistit?* Eo ut optime subdit Amalarius lib. 4. de Officiis Ecclesiæ cap. 1. *Ne omittamus servitutem, quam Deo debemus, statuerunt Patres nostri, ut tot orationes psalmodiarum fierent, quot horæ sunt nobis datæ ad laborandum pro sustentatione corporis. Et quia non possumus ita semper operari, sequitur nox, & ut pro quiete Deo servitium reddamus, cantamus duodecim psalmos pro duodecim horis noctis. Tendimus ad tale servitium, quale primus Adamus exhibuit Deo antequam peccaret, & quale speramus futurum post hanc vitam, ut continui simus in Dei præsentia.* Hac etiam de causa Virgini Eustochiæ scribebat S. Hieronymus: *Quamquam Apostolus orare nos semper jubeat, & Sanctis etiam ipse sit somnus oratio, tamen divisas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad Officium tempus admoneat.* Curent itaque fideles, nec eos vehementer hortari desistant Ministri Domini, ut communibus Ecclesiæ precibus divi-

divinisque Officiis frequentes assistant, diebus præsertim Dominicis, Festisque, quos sanctificare tenentur, utpote divino cultui, atque servitio destinatos; & sic anima, *quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, & curis secularibus impeditur, ex intervallo saltem ad divina respiret*, ut ait S. Leo Magnus serm. 4. de Jejun. septimi mensis.

III. Verum sanctissimum hoc opus Deo laudes canendi, & Ecclesiæ nomine ipsum orandi, quod olim, teste S. Justino in Apologia, commune erat fidelibus omnibus, modo peculiare munus & officium effectum est Religiosorum omnium etiam sequioris sexus, qui divino servitio ex sua voluntate mancipati, & a seculi negotiis omnino feriari hoc sibi peculiare vindicarunt officium, ut Dei laudes nocte & die canerent, & Deo pro totius populi Christiani salute piae preces incessanter offerrent, de quibus S. Gregorius Nazianzenus scribit: *Ecquid beatius, quam hominem in terra concentum Angelorum comitari, ineunte statim die in orationes ire, & hymnis: & canticis Creatorem venerari? Psalmodia siquidem* (subdit Antiochus Monachus sanctissimus hom. 105. de Psalmodia) *est apud incorporearum virtutum Deo administrantium, & indivulse assistentium, juxta quod dicitur*: Laudate Dominum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. *Hoc opus competit & hominibus*; Omnis enim spiritus laudet Dominum, *Monachis autem peculiari quadam prærogativa vel in primis convenit, quod institutum vitæ prorsus Angelicum delegerunt*. Quanta igitur reverentia, quanta sedulitate & pietate debent divinam Psalmodiam tractare Religiosi omnes choro aliqua ratione addicti! Hæc enim est, quæ maximas Dei laudes continet, nostræ Religionis arcana commemorat, contemplationem nutrit, gignit amorem, perfectam orandi formam exercet, Dæmones fugat, lætificat Angelos, delicias spirituales subministrat, & quamdam in terris cælestis gloriæ felicitatem repræsentat. Conqueruntur pii Sacerdotes & Ministri Domini de frequenti mentis evagatione, qua, dum ad Deum conantur ascendere; ad infima & abjectissima hæc terrestria deprimi se sentiunt; verum hos consulatur Angelicus Præceptor 2. 2. q. 83. art. 13. in resp. ad 1. 2. & 3. scribens: *In spiritu & veritate orat, qui ex instinctu spiritus ad orandum accedit, etiamsi ex infirmitate postea evagetur. Mens enim humana propter infirmitatem naturæ diu stare in alto non potest, quia pondere infirmitatis deprimitur anima ad inferiora. Evagatio vero mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit*. Et S. Basilius subdit serm. de orando Deo: *Si debilitatus a peccato fixe nequis orare, quantumcumque potes te ipsum cohibeas, Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram eo*. At hæc nihil iis prosunt, nec ad illos pertinent, qui nulla præparatione a foro, a confabulationibus, a negotiis ad chorum accedunt vel ne lucrum perdant, vel necessitate subjectionis compulsi, vel quadam veluti animali consuetudine tracti, quos mirum proinde non est, si aliena prorsus ab iis, quæ ore pronuntiant, mente revolvant.

IV. Longe sim ab his, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum, cum laudes tuas cantaturus accedo; sed ut piissimi servuli tui Cardinalis Bonæ pios affectus usurpem: *Utinam possim laudare te tam excellenti voce, tam pura mente, sicut unquam laudatus es ab aliqua creatura tua in cælo, & in terra. Utinam possem omni momento vacare tibi, & a laude tua*

de tua

de tua nunquam cessare. Ubi est enim bonum meum, & lætitia mea, ubi pax, & requies animæ meæ, nisi in laude Creatoris mei? Sed quomodo potero te digne laudare, qui nec te satis mirari dignus sum? Nam socordia depressus ad te, qui justus es, ipse non justus erigi nequeo, & cum adhuc simulacrum mundi hujus circumferam, vel invitus ad terrena alidor, neque speciosa laus esse potest in ore peccatoris. Verumtamen ante te est omne desiderium meum, & multiplex gemitus cordis mei pro defectibus meis. Suscipe igitur ardentissimum desiderium languentis animæ meæ in laudem & gloriam nominis tui. Suscipe vota cordis mei in holocaustum matutinum; ascendat oratio mea ad te sicut incensum vespertinum, da sermonem rectum, & bene sonantem in os meum, ut placeant verba mea, & cantus mei in conspectu tuo in æternum.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE ECCLESIASTICIS BENEFICIIS.

HANC subjicimus hoc loco disputationem de Ecclesiasticiis Beneficiis, quæ etiam commode ad Tractatum de Ordinis Sacramento, ut nonulli præstant Theologi, transferri poterat, tum quia & Beneficia, ut patet, Religiosis tantummodo viris concedenda, optime tractatui de Religione convenire possunt, & subsequi immediate de horis canonicis disputationem, ad quas recitandas jam Beneficiarii tenentur. Accedit, recta methodo agendum de vitiis oppositis Religioni, inter quæ maximum est Simonia, quæ locum habet præsertim tum in collatione, tum in acceptatione Beneficiorum. Doctrinæ itaque videtur consonum, si tractationi de Simonia disputationem præmittamus de Beneficiis. Rem satis implexam, & in multas disputationes a Canonistis protractam, nos majori qua poterimus & perspicuitate & brevitate evolvemus, ita tamen ut nihil necessarium, utileque Theologo desit.

CAPUT I.

De definitione & divisione Beneficiorum.

DOCTRINA.

I. *Beneficii definitio.*
II. *Ejusdem plures divisiones.*
III. *Beneficiorum origo quoad substantiam ab exordio Ecclesiæ. Eorum divisio quomodo invecta.*

I. BENEFICIUM Ecclesiasticum tum Canonistæ, tum Theologi sic communiter definiunt.

Jus perpetuum Ecclesiæ auctoritate constitutum, & Clericis concessum, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ratione alicujus quod præstare debent, spiritualis ministerii, vel officii.

Dicitur primo loco *jus*, quia rependitur loco mercedis, & residet semper in electo, sive fructus percipiat, sive a perceptione vel juste, vel injuste arceatur: subditur *perpetuum*, ut a pensionibus secernatur, quæ perpetuæ non sunt, cum vel ad tempus concedantur, vel pensionarii obitu extinguantur, proinde minime inter Beneficia ecclesiastica connumerandæ, quæ morte quidem Beneficiarii vacant, at minime cessant, sed alius est subrogandus: additur *Ecclesiæ auctoritate constitutum*, cum sint enim Beneficia juris spiritualis, non nisi ab habente spiritualem potestatem queunt constitui; proinde vel a Summo Pontifice, vel ab Episcopo sive in limine fundationis, vel ex diuturna præscriptione illud conferendi: subditur *Clericis concessum*, quia ut docet S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. *Beneficia ecclesiastica non competunt nisi habenti officium clericale*: additur *percipiendi fructus ex* bonis

bonis ecclesiasticis, tum quia illorum dominium & proprietas penes Ecclesiam semper residet; unde Beneficiarii fructus quidem percipere valent, fundos tamen minime distrahere queunt, nisi forte aliquibus in casibus, & servatis juris formulis, tum quia bona illa Ecclesiæ donata sunt in ministrorum & pauperum sustentationem. Postrema denique verba indicant, Beneficiis semper adnexum onus aliquid spirituale præstandi, puta Missam celebrandi, Sacramenta administrandi, Officium saltem recitandi, unde optime inquit Concilium Tridentinum sess. 25. de Reform. cap. 3. *Beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda sunt constituta*. Et tamquam axioma statuitur de Refer. 16. cap. ultim. *Beneficium datur pro Officio*.

II. Varia distinguuntur a Canonistis Beneficia, ut videre est apud Garziam. Alia enim majora dicuntur, cujusmodi sunt Papatus, Episcopatus, & Abbatiæ. Minora vero cetera inferiora. Item alia Secularia, alia Regularia; hæc sunt, quæ solis Religiosis Professis conferri debent, ut Abbatia, Prioratus, & nonnullæ etiam Parœciæ; illa vero, quæ secularibus Clericis conferuntur. Et de his hanc duplicem statuunt Canonistæ regulam, nimirum 1. præsumendum semper Beneficium Seculare esse, nisi probetur esse Regulare. 2. Beneficii possessionem dandam juxta statum illius, ob cujus obitum vacavit, quare si Beneficium per Secularis obitum vacaverit, Seculare habendum est, si per Regularis, Regulare judicandum. 3. Dividitur Beneficium in duplex, & simplex. Primum illud est, quod adnexam habet vel curam animarum, vel jurisdictionem in Clerum, vel populum, sive rerum Ecclesiasticarum administrationem, vel saltem localem aliquam præeminentiam, uti sunt Episcopatus, Decanatus, Primiceriatus, vel Cantoratus. Simplicia vero illa dicuntur, quæ iis carent præeminentiis, & solum sunt instituta ad Deo laudes decantandas, ad Altaris ministerium, & chori servitium, cujusmodi sunt omnes Canonicatus Ecclesiarum sive Cathedralium, sive Collegiatarum. 4. Beneficium dividitur in electivum, collativum, & mixtum. Primum illud est, quod confertur per electionem a Superiore confirmandam. Alterum, quod Superiorum libera & absoluta confertur voluntate. Tertium, quod & Patronatus dicitur, est, quod designante Patrono, & Episcopo instituente confertur. Denique alia in titulum conferuntur, alia in Commendam: priora sunt, quæ per totam vitam conferuntur cum tota juris plenitudine; posteriora vero ea dicuntur, quæ, cum Regularia sint, a Summo Pontifice Clericis secularibus velut administratoribus custodiæ causa conceduntur, & hæc in titulum transeunt, quoties perpetua sint, & per totam Commendatarii vitam conferuntur, & tunc illis collata intelliguntur jura omnia, quæ titularibus conveniunt.

III. Beneficia quoad substantiam semper fuere in Ecclesia, nam semper extitere, qui munus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Parochi, & Pastoris obtinuerunt, & quibus ex communibus Ecclesiæ bonis alimenta debebantur, ex bonis scilicet, quæ a fidelibus conferebantur, ut ex iis tum Clerici & Ministri Ecclesiæ, tum pauperes alerentur. Immo Hierosolymis Apostolorum tempore, ut S. Lucas testatur, fideles omnes ex communibus alebantur bonis, quæ tamen bonorum communitas non in omnibus Ecclesiis viguit; nam in Corinthi Ecclesia plures erant, qui sua sibi retinentes de proprio vivebant, ut colligere est ex 2. ad Corinth. epist. cap. 9. Hæc tamen bonorum communitas non diu apud fideles perduravit, sed diutius penes Clerum viguit, & tunc Episcopi, quibus erat Ec-

clesi-

clesiasticorum bonorum cura & administratio commissa, Clericis & pauperibus, prout opus erat, alimoniam & necessaria vitæ subsidia impertiebantur. Non desunt & nostris temporibus hujus apostolicæ clericalis vitæ vestigia in nonnullis Ecclesiis. Verum deserta & a Clericis communi vita, segregatoque Clero a suo Capite, divisio quoque bonorum ecclesiasticorum inducta est, præsertim cum integritas Episcoporum & Œconomorum a suo pristino gradu pietatis & justitiæ instituto declinasset, unde conquerebantur frequentissime Clerici se a dispensatoribus fraudari Ecclesiæ proventibus sibi debitis, & ab Episcopis & Administratoribus in proprios usus, & quidem non semper Ecclesiastico statui congruos consumi. Hinc assignatæ singulis Presbyteris, qui Ecclesiæ tunc officium,& ministerium exhibebant, fidelium oblationes & portio fundorum, unde proventus & fructus perciperent, quibus ipsi viverent, & superflua si quæ superessent pauperibus distribuerent. Et ita inducta Beneficia. Hæc omnia breviter complexus est S. Carolus Borromæus I. suo Mediolanensi Concilio tit. 63. " Sacrorum Canonum Decretis statutum „ est, & Sanctissimorum Patrum testimo„ niis celebratum, quæ bona fidelium pie„ tas Deo consecravit, ut vel illorum ne„ cessitatibus honeste sublevandis, qui divi„ nis dicati obsequiis, Christi Ministri, & „ dispensatores mysteriorum Dei effecti es„ sent, vel Ecclesiis reficiendis, earum „ ornamentis ad divinum cultum necessariis „ comparandis, vel pauperibus sustentan„ dis addicta essent: siquidem ubi primum „ Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam natu„ ram & conditionem consecuta sunt, ut in „ alium, quam sacrum & pium usum eo„ rum fructus converti nefas esset .... Ita„ que nos Sacrorum Canonum, & SS. „ PP. auctoritate innixi, atque iis inducti, „ quæ Sacra Tridentina Synodus de officio „ administrandi bona ecclesiastica significa„ vit eos omnes, qui ea obtinent, vehe„ menter monemus, ut memores sui mu„ neris ... omni diligentia cognoscere stu„ deant, quibus oneribus eorum Ecclesiæ „ & Beneficia ... subjaceant, illisque inte„ gre satisfaciant. Quod si facere omise„ rint ... se ex Sacris Canonibus & SS. „ Patrum sententia sacrilegii reos esse in„ telligant, & eorum omnium restitutione „ teneri. . Ii vero, quibus Ecclesias & Be„ neficia ecclesiastica .... quorum fructus ad „ eos tamquam divinorum obsequiorum Mi„ nistros honeste sustentandos proprie sunt „ attributi, uberiores sint, quam ad tuen„ dam vitam, conditionisque suæ rationem „ requiratur, dubitare non debent ad eum „ finem hanc copiam esse illis attributam, „ ut præter ea, quæ ad victum & „ cultum eorum satis essent, suppeterent „ etiam quibus divinus cultus, ornatus, ac „ splendor conservaretur, & pauperum ino„ pia & indigentia sublevaretur ". Nec dissentit S. Th. qui in Epist. 2. ad Corinthios cap. 12. lect. 5. docet: *Divitias & bona a Principibus & fidelibus largiter erogata non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes; & ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Prælatis autem dantur tamquam pauperum dispensatoribus*. Verum de iis fusius infra, ubi de dominio Clericorum.

CAPUT II.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Conditiones ad ecclesiasticum Beneficium constituendum*.

II. *Nonnulla officia & dignitates, Beneficia vere non sunt habenda*.

III. *De jure communi nec sæculares regularia*,

nec

nec Regulares secularia Beneficia valent obtinere.

IV. *Praeceptoriæ, Commendæ, Prioratus Ordinis Hierosolymitani a Theologis inter Beneficia non computantur, dissentientibus tamen juris canonici Doctoribus.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. AD Beneficium ecclesiasticum, ex Canonistis sex requiruntur conditiones. 1. Quod sit Ecclesiæ, vel Episcopi auctoritate fundatum. 2. Quod sit spirituali adnexum officio. 3. Quod ab ecclesiastica persona conferatur. 4. Et quidem soli Clerico. 5. Perpetuum sit, non temporarium. Et denique a Collatore non sibi ipsi conferatur. Ita Salmanticenses cap. 1. punct. 1. n. 4.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Hinc nec Patrimonia, quorum titulo ordinantur Clerici, sunt inter Beneficia computanda, quippe quæ per obitum Clerici non vacant, sed ad hæredes transeunt. Sicut nec dignitates & officia, cujusmodi sunt Generalatus, Provincialatus, Prioratus, & similia, quia hæc afferunt solum jus, & quidem regulariter temporale, regendi subditos, & res ecclesiasticas administrandi, non vero jus percipiendi fructus ecclesiasticos. Nec Episcoporum Vicarii generales hoc solo nomine Beneficio gaudere dicendi sunt, cum solum officium & dignitatem afferat, nec in perpetuum detur titulus, sed ad nutum Episcopi revocabilis. Vicarius in aliqua Ecclesia parochiali, si sit perpetuus, Episcopi auctoritate constitutus, & a munere nunquam amovibilis nisi ab Episcopo & justa interveniente causa, & redditibus gaudeat ex Ecclesiæ proventibus, est vere & proprie Beneficiarius, & talis Vicariatus verum Beneficium. Secus vero, si sit ad nutum Parochi delectus, vel pro aliquo tempore absentiæ Parochi substitutus, vel ad nutum revocabilis, non est Beneficiarius, nec tale officium nomen meretur Beneficii. Præstimonia vero, idest annui proventus, ex redditibus Beneficiorum detracti in Clericorum substentationem, ut litteris operam navent, inter Beneficia recensuit Concilium Tridentinum, & S. Pius V. de illis sic statuit Constitut. *Ex proximo* data 12. Kal. Octob. 1571. *Declaramus Præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum servitium habentia, tum prædictis pariter contineri.* Capellaniæ vero privata Testatoris auctoritate institutæ Beneficia non sunt. Si vero erectæ sint auctoritate Episcopi, & in perpetuum Clericis conferantur, unde & *collativæ* dicuntur, veri Beneficii obtinent prærogativam. Pensiones quoque non solum laicales, sed ecclesiasticæ Beneficia non sunt, ut diximus. Coadjutoria sive temporalis & revocabilis, sive etiam perpetua cum spe sive jure succedendi in Beneficio non adnumeratur inter Beneficia. Tridentinum Concilium sancivit: *In Coadjutoriis cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque Beneficiis permittantur.* Soli itaque Summo Pontifici reservatur hujusmodi Coadjutorias justa de causa concedere.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. De jure communi nisi accedat dispensatio, nec Clerici seculares debent Beneficia regularia obtinere, nec Regulares secularia. Hinc Regulares eligi non possunt ad Beneficia curam animarum habentia, immo nec ad simplicia Beneficia. Ita enim & in jure canonico statuitur, & pluribus est confirmatum Decretis relatis a Gonzalez, Garzia, aliisque juris canonici Magistris, qui tamen omnes conveniunt, posse ex jure communi Regulares ad Episcopalem dignitatem assumi, tum quia textus juris

juris canonici prohibentes Beneficia secularia Regularibus conferri Episcopatum excipiunt, tum qua Episcopatus abstrahit a Beneficio seculari & regulari. Non desunt tamen Religiosi Ordines, qui huic privilegio seu capacitati renuntiantes, vetant ne has Dignitates admittant. Canonicos Regulares Præmonstratenses Beneficiorum Parochialium & Vicariatuum tam secularium, quam Regularium capaces esse etiam sine Apostolica dispensatione declaravit Sum. Pont. Bened. XIV. in Bulla *Onerosa*, Bull. To. 3. num. 33.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Præceptoriæ, Commendæ, Prioratus, seu dignitates Ordinis Hierosolymitani inter *Beneficia* non enumerantur a Theologis, cum nec adnexum habeant ministerii spiritualis exercitium, nec Clericis conferantur, quæ duo ad *Beneficia* constituenda necessaria sunt. Obstant tamen Canonistæ. Hinc Clemens XI. in litteris in forma *Brevis* datis ad magnum Magistrum Ordinis abstinens a declaratione, num Beneficia sint, nec ne, eas tamen obtinere pretio, pactionibus, pollicitationibus severissime vetuit, & omnes earum collationes, electiones, provisiones tali modo factas, nullas, atque irritas fore statuit, nec ullo diuturno possessionis, vel bonæ fidei obtentu teneri posse decrevit. Insuper pœnas omnes a Sacris Canonibus & ab Ordinis statutis inflictas innovavit, restituit, & integravit. Ita Benedict. XIV. in Synodo Diœces. lib. 12. cap. 5. §. 15.

CAPUT III.

De Subjectis ad Beneficia idoneis, & de conditionibus ad ea obtinenda requisitis.

DOCTRINA.

I. *Clerici tantum ecclesiasticorum Beneficiorum capaces sunt.*

II. *In his requiritur divina vocatio.*

III. *Recta intentio.*

IV. *Morum probitas, & a censuris immunitas.*

V. *Ætas legitima.*

VI. *Prima Tonsura vel Ordo, quem postulat Beneficium.*

VII. *Cœlibatus.*

VIII. *Scientia gradui & officio respondens.*

IX. *Conditiones ad pensionem obtinendam requisita.*

I. CLERICI tantum, tanquam subjecta, capaces sunt ecclesiasticorum bonorum, quæ, ut vidimus, non nisi Clericis queunt conferri. In his tamen plures tum a Canonistis, tum a Theologis requiruntur, ut sint ad ecclesiastica Beneficia obtinenda idonei, conditiones, & quidem nonnullæ ad omnia Beneficia necessariæ, nonnullæ vero juxta Beneficiorum diversitatem. A prioribus incipientes, eas omnes dilucide, breviterque explicabimus.

II. Prima conditio omnibus necessaria est vocatio divina ad clericalem & ecclesiasticum statum. Periculosum siquidem est absque divina vocatione vitæ statum amplecti, qui peculiarem postulat pietatem, & perfectionis studium; qui enim sibi ea polliceri poterit gratiæ auxilia summopere necessaria ad ecclesiastica munia rite & recte obeunda, qui non vocatus, sed ultro, & quidem humano fortassis impulsus motivo in Clerum irreit? *Nemo*, igitur juxta Apostoli monitum, *sibi sumat honorem, sed qui vocatus est a Deo tamquam Aaron.*

III. Altera conditio est recta intentio Deo scilicet, & Ecclesiæ inserviendi, ac in ecclesiastico statu perseverandi, sacrosque Ordines a Beneficio requisitos suscipiendi. *Qui enim* (inquit S. Dionysius Carthusianus lib. cont. plural. Benef.) *ecclesiastica beneficia optant, quærunt, impetrant,*

strant, *suscipiunt non intuitu spiritualis boni puta divini Officii*, *ut scilicet competentia habentes Deo devote quietiusque ministrent*, *sed intuitu commodi temporalis, isti sunt subversores rectissimi ordinis rerum, atque in temporalibus sibi finem constituunt*. *Idcirco mortaliter peccant etiam unicum Beneficium competens cupiendo*, *optando*, *habendo*.

IV. Tertia est, ut sit bonis moribus prædictus. *Ad Beneficium promovendus* (ait Clemens V. in Clement. *Cum ei* de concessione præbendæ) *debet esse vita laudabilis*, *& conversationis honestæ*. Et Innoc. III. sic Promotores & Patronos monet cap. *In Later*, de præbend. & dignitatibus: *Sane adjicimus*, *ut illos repræsentare procuret, quos vel conversatio notos reddit*, *vel commendat probabile testimonium Prælatorum*. Quæ omnia complexa Tridentina Synodus sess. 22. de Reform. cap. 1. sic statuit: *Quapropter sic decet omnes Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere*, *ut habitu*, *gestu*, *incessu*, *sermone*, *aliis omnibus rebus nihil nisi grave*, *moderatum*, *ac religione plenum præseferant*, *levia etiam delicta*, *quæ in ipsis maxima essent*, *effugiant*, *ut eorum actiones cunctis afferant venerationem*. Oportet proinde, ut nulla sint censura innodati, excommunicatione majori, interdicto, suspensione, aut irregularitate etiam occulta, alioquin Beneficiorum collatio, electio, & præsentatio non solum illicita est, sed, ut probabilior docet sententia, etiam invalida. Spurii etiam & illegitimi sunt ab ecclesiasticis Beneficiis exclusi, nisi sint a Pontifice, Principe, vel alio potestatem habente legitimati. Ita de his omnibus statuunt jura, & docent communiter Canonistæ.

V. Quarto loco requiritur legitima ætas. Hæc juxta variam Beneficiorum conditionem est quoque diversa: sic itaque statuit Tridentinum Concilium sess. 23. de Reform. cap. 6. *Nullus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere*. Et sess. 24. cap. 12. *Nemo ad dignitates quascumque*, *quibus animarum cura subest*, *promoveatur*, *nisi qui saltem vigesimumquintum ætatis annum attigerit*. Pro aliis dignitatibus sufficit annus 22. completus. At si dignitas sit Subdiaconalis, eadem ætas sufficit, si sit Diaconalis, annus 23. si Presbyteralis, 25. requiritur. Ad Præbendam Pœnitentiariæ Tridentinum annum postulat 40. De Episcopis vero statutum est, *Nullus in Episcopum eligatur*, *nisi qui jam trigesimum ætatis annum exegerit*. Ubi aliter statutum non est sufficit si annus sit incohatus, licet non completus. Aliam in Galliis disciplinam vigere docet Gennetus de Benef. cap. 2. quæst. 9. Concessum est enim in Concil. Later. sub Leone X. ut ad Episcopatum eligi possit constitutus in anno 27. ad Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus agens annum 14. completum, in Collegiatis decimum, & simplex Beneficium etiam intra octavum annum posset obtineri. Plura habentur T. 2. tract. 3. cap. 9. § 4.

VI. Requiritur quinto loco, ut qui Beneficium obtinere cupit, sit saltem prima Tonsura initiatus, sine qua Beneficii collatio foret invalida: & præterea si Beneficium ex lege vel sua institutione aliquem requirat Ordinem, qui tali Ordine non est insignitus, ineptus efficitur ad Beneficium obtinendum. Usus tamen & consuetudo concedit, ut intra annum Ordo sacer suscipiatur, ulterius tamen differre illicitum. Ita statuit Trid. Synodus sess. 24. de Reform. cap. 12. *Neminem etiam deinceps ad dignitatem*, *canonicatum*, *aut portionem recipiant*, *nisi qui eo Ordine sacro sit initiatus*, *quem illa dignitas*, *præbenda*, *aut portio requirit*, *aut in tali ætate*, *ut intra tempus a jure*, *& ab hac sancta Synodo statutum initiari valeat*. Et sess. 7. cap. 12. decrevit, ut sa-

ut *facultates de non ordinato promovendo concessæ, ad annum tantum suffragentur*.

VII. Sexto requiritur cœlibatus. Nam Clerici conjugati Beneficiorum incapaces sunt, ut habetur in cap. 2. de Cler. conjugato: *Provideat attentius* [Episcopus] *ne deinceps Clericus conjugatus ad Beneficia ecclesiastica, vel sacros Ordines, vel administrationes ecclesiasticas admittatur*. Hinc si quis Clericus Beneficium obtinens uxorem ducat, eo Beneficio privatur, quod ipso facto pro vacante habetur, ut suo loco dicemus.

VIII. Septimo necessaria est scientia, quæ gradui dignitatis, muneri & officio respondeat, ut illa recte valeat obire. Sic statuit Trid. Concil. sess. 24. de Reform. *Nemo deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui ... in Clericali Ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur. Archidiaconi autem, qui oculi dicuntur Episcopi, ubi fieri poterit, sint Magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in jure canonico*.

IX. Ad Pensiones obtinendas requiruntur nonnullæ ex præfatis conditionibus ceteris Beneficiis communes, nimirum ut sit ex legitimo matrimonio procreatus, nisi dispensatio accedat, primam Tonsuram habeat, sit ab irregularitate, excommunicatione, aliave censura immunis, & si forte ob aliquod spirituale officium detur, puta docendi Clericos, prædicandi, rudes catechizandi, sit ad hæc munia idoneus; requiruntur vero aliæ propriæ & particulares, videlicet ut sit pensio a Summo Pontifice concessa justo, honestoque titulo. Ab Episcopis vero pensiones dari non possunt, nisi, ut statuit Tridentinum sess. 21. cap. 6. & sess. 23. cap. 8. in quibusdam peculiaribus casibus, nimirum ob paupertatem, vel senectutem Beneficiarii Beneficium resignantis, ad litem dirimendam &c. confirmanda tamen semper est a Pontifice pensio concessa; 2. ut sit moderata, nec Beneficiarium privet necessariis ad honestam juxta suum gradum sustentationem.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Graviter peccant, qui sine vocatione Beneficia præsertim curam animarum habentia occupant*.

II. *Talia Beneficia petere vitio non caret*.

III. *Non est tamen absolute illicitum ad concursum se præsentare*.

IV. *Peccant, qui Beneficia petunt, vel occupant solo honorum, & temporalium redituum intuitu*.

V. *Et qui corruptis moribus Beneficia recipiunt*.

VI. *Et parentes, qui filiis corruptis moribus fœdatis Beneficia procurant*.

VII. *Et qui sine voluntate perseverandi in statu Clericali, & quandoque ad restitutionem tenentur*.

VIII. *Irregulares quomodo inepti sint ad Beneficia*.

IX. *Capellania, in qua fundator statuit, ut Capellanus vel quotidie, vel pluries in hebdomada celebret, vel statuit, quod sit Sacerdos, non potest conferri Clerico inferioris Ordinis*.

X. *Qui tanta pollet ignorantia, ut ad Beneficii munia complenda non sit idoneus, incapax est Beneficii, & peccat acceptando*.

XI. *Illegitimi quomodo Beneficia possint obtinere*.

XII. *Neophyti, & hæreticorum filii quomodo idonei reddantur ad obtinenda Beneficia*.

XIII. *Leges statuentes solis nationalibus Beneficia conferenda sunt servandæ, sicut & illæ, quæ a fundatoribus ponuntur*.

XIV. Ee-

XIV. *Beneficia non sunt pensionibus gravanda.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. PECCANT graviffime, qui fine vocatione Beneficia, præfertim prælationem aut curam animarum habentia, occupare cenfentur, qui in illa fe ultro ingerunt, vel illa ambiunt. Ita S. Leo M. *Principatus, quem ambitus occupavit, etiamsi moribus aut actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo, & difficile est, ut bono peragantur animo, quæ malo sunt inchoata principio.* Rationem addit D. Angelicus quodlib. 2. art. 11. fcribens: " Qui appetit prælationem, aut eft „ fuperbus, aut injuftus. Injuftitia enim „ eft, quod aliquis velit fibi plus de ho„ nore accipere, aut de poteftate, aut de „ aliis bonis, nifi fit majoribus dignus. „ Quod autem aliquis æftimet fe effe ma„ gis dignum prælatione omnibus illis, fu„ per quos prælationem accipit, fuperbiæ „ & præfumptionis eft. Unde patet, quod „ quicumque prælationem appetit, aut eft „ injuftus, aut fuperbus. Et ideo nullus „ fuo appetitu debet ad prælationem perve„ nire, fed folum Dei judicio ".

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Petere Beneficium, cui fit adnexa animarum cura, vitio non caret; Beneficia vero fimplicia a dignis peti poffunt. Ita S. Raymundus in Summa lib. 1. tit. 1. §. 7. *Ego distinguo, salvo meliori judicio, quod non potest pro se petere Ecclesiam vel Dignitatem, vel aliud Beneficium habens curam animarum adnexam. Et in hoc sentio cum Hugone. Beneficium vero simplex, si indiget, & sentit se dignum, potest petere absque metu peccati, & simoniæ.* Confirmat S. Antoninus in Summa p. 3. cap. 5. §. 4. fcribens: *Si porrigat preces pro se pro obtinenda Dignitate, vel Beneficio, seu Ecclesia habente curam animarum, tales preces inducunt simoniam secundum Hugonem, Reymundum, & Thomam ... etiam quantumcumque esset dignus, quia eo ipso quod se ingerit, præsumptuosus, & ambitiosus videtur, & per consequens indignus.* Et D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. docet: *Licite potest aliquis, si sit indigens, pro se Beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum.*

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Non eft illicitum examini fe fiftere in concurfu indicto ab Epifcopo ob Ecclefiarum vacantium provifionem. Cum enim Trid. Synodus feff. 24. cap. 18. de Reform. ftatuerit, ut Epifcopi ad Beneficia conferenda feverum examen inftituant, & *per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari*, manifeftum eft; licere cuilibet fe huic examini exponere, alioquin vel quod illicitum effet decreviffet, vel ejus intentio fruftraretur. Nec inde inferas, falfum effe, quod fuperiori ftatuimus Confectario, nimirum vitio non carere Beneficii petitionem, hujufmodi enim concurfus vel eft Beneficii petitio, vel eam intime involvit. Nam refpondeo: per fe concurfus, & ad examen fui oblatio non eft petitio Beneficii, fed mera exhibitio & oblatio fui facta Superiori, ut ipfe videat, num idoneus fit ad Ecclefiæ inferviendum. Quod fi in hac oblatione involvatur defiderium & petitio Beneficii, hoc ex fubjecti oritur defectu, qui vel ex infirmitate, vel ex cupiditate nequit, vel non vult illa duo fejungere, ut contingit in pluribus aliis cafibus, in quibus humana malitia cum bono quod malum eft conjungit, cum poffet, licet difficile, feparare; fic divitias poffidere non eft illicitum, illas amare, illis adhærefcere eft illicitum: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*: difficile utique eft utramque fejungere, at hoc non ex rei natura, fed

sed ex imbecillitate & malitia divitis proficiscitur. Qui itaque examini se sistit ad Beneficium obtinendum, prius serio perpendere debet, num eas obtineat dotes, quæ ad tantum sunt ministerium necessariæ, nimirum vocationem, scientiam, talenta, & aptitudinem ad opus præstandum. Sapientium etiam & proborum consilium adhibeat, & denique se examini subjiciat, animo plane indifferenti, & ab omni Beneficii humana appetitione spoliato. Sic fiet, ut ejus concursus sit & vocationis divinæ argumentum, & ejus assecutio Ecclesiæ judicium. Recolantur, quæ dicta sunt Diss. 4. de Vitiis capit. cap. 2. Consect. 7.

Consectarium quartum.

IV. Peccant & tuta conscientia Beneficia non obtinent, qui ea petierunt, vel optaverunt solo honorum & temporalium redituum intuitu. Ita statuit Tridentinum Concilium sess. 25. de Reform. cap. 1. *Optandum est, ut ii, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.* Quod non de solo Episcopatu dictum est intelligendum, sed & de aliis Beneficiis debita servata proportione. Et universim S. Thom. quodlib. 11. art. 15. " Si " quis hac intentione plura Beneficia ha- " beat, ut sit ditior, ut lautius vivat, ut " facilius ad Episcopatum perveniat ....non " tolluntur deformitate, sed augentur, quia " cum tali intentione & *unum Beneficium* " *habere*, quod nullam inordinationem im- " portat, *esset illicitum*.

Consectarium Quintum.

V. Peccant & æternæ perditionis discrimen subeunt, qui corruptis moribus, licet id publice non appareat, Beneficium recipiunt. Hos enim velut indignos repellit ab Ecclesiæ ministeriis Apostolus, dum de Episcopo scribit ad Timoth. 3. 7. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum ..... & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt*, quæ posteriora verba indicant esse debere probatæ vitæ coram hominibus. Repellit etiam jus canonicum statuens, ut *nullus ad regimen parœcialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia, & ætate*. Periclitatur vero eorum salus æterna, quia non vocati se ad Beneficia intrudunt, ea non ut pastores administrant, sed ut fures & latrones, vel saltem ut mercenarii quæ sua sunt quærentes, non quæ Jesu Christi, & sua se pravitate reddentes contemptibiles efficiunt, ut sicut populus, sic Sacerdos.

Consectarium Sextum.

VI. Gravissime peccant parentes, qui filiis suis adolescentibus, quos pravis moribus corruptos sciunt, Beneficia conferri procurant. Et quidem pluribus nominibus peccant; 1. quia filios sine vocatione in Clerum adscribunt, unde Clero dedecus redundat, & filiorum æternam salutem discrimini exponunt. 2. Quia plerumque non moventur, nisi desiderio redituum, & fructuum Beneficii, non Dei gloriam, & servitium spectantes, sed temporale familiæ emolumentum. 3. Peccant, quia cum illos prava indole corruptisque moribus infectos prospiciunt, evidens habent argumentum, nec ad ea ecclesiastica munia esse a Deo vocatos, nec ad sacra ministeria idoneos, proinde Beneficiis prorsus indignos. Si quis ergo paterfamilias Beneficium habeat domesticum, curet ut illi ex filiis conferatur, quem coram Deo judicaverit, & perspexerit esse meliorem, suavioris indolis, pietati, studio propensum, reditus vero in ejus educatione procuranda solum expendat, omni

ni adhibito studio, ut Ecclesiæ ministeriis fiat idoneus. Si qui vero supersint, pauperibus distribuat. Collationes tamen factæ Clericis improbis non sunt ipso facto irritæ, sed irritandæ, nisi forte improbitas vel irregularitatem induceret, vel censuræ redderet obnoxium.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Peccant lethaliter & ad restitutionem tenentur, qui Parœciam vel Beneficium aliquod acceptant sine voluntate perseverandi in statu clericali, vel cum animo dubio & ancipiti, seu conditionato recipiendi Ordines sacros. De prioribus aperte definitum in jure canonico cap. *Commissa* de electione in 6. *Ceterum si promoveri ad Sacerdotium non intendens, parœcialem receperis Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipias, ipsam* postmodum *dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem, cum eos receperis fraudulenter*. Idem etiam dicendum de posterioribus, cum & isti, dum sunt animo dubio vel conditionali, puta si frater uxorem duxerit, si consanguineus ipsum hæredem non instituerit, & similia, profecto indicant se Beneficium quærere, & accipere non absolute ad Dei, & Ecclesiæ servitium, sed ad propriæ cupiditati, avaritiæ, & ambitioni inserviendum, vel saltem ad victum sibi sine domesticæ rei detrimento comparandum, proinde & ipsi aliquo modo fraudulenter Beneficia obtinent, & occupant, unde eos peccati lethalis reos pronuntiat Sylvius in 2. 2. q. 63. art. 2. quæst. 2. Quid si statuant ecclesiasticum statum amplecti, & ad sacros promoveantur Ordines, adhuc ne ad fructuum eo anno perceptorum restitutionem tenebuntur? Negant Salmanticenses, Lessius, Sanchez, Navarra. Affirmant Soto, Toletus, & novissime P. Concina. Hæc opinio tutior est proculdubio; verum prior, nisi mea me fallit opinio, mihi videtur probabilior, & cui favere jus & Pontifices videntur. Nam, ut ex superioribus verbis patet, Pontifex declarat quidem eum ad restitutionem teneri, qui sine animo permanendi in statu ecclesiastico, sed dispositus ad renunciandum Beneficio post annum, illud acceptaverit: addit tamen, *Nisi voluntate mutata promotus fuerit*; mutata igitur voluntate, & sacra ordinatione suscepta, ad restitutionem a Pontifice non obstringitur. Accedit ipsum eo anno vel per se, vel per alium omnia munia, ut supponimus, Beneficio adnexa implevisse; non videtur igitur mercede spoliandus. Nec dicas idem contingere & in illo, qui statuit post annum Beneficium dimittere, quippe qui iste manifeste ostendit se non Dei servitium quæsivisse, sed reditus. & munia, quæ obivit, non alia de causa obivisse, nisi ut fructus lucraretur, queis proinde jure in suæ fraudis pœnam privari meretur. At qui anceps est & dubius, vel conditionate Beneficium accipit, peccat quidem, cum non plene recto animo incedat, sed nec adeo fraudulenta videtur ejus actio, ut sanari non possit meliori consilio, permanendi scilicet in statu Clericali, & sacros Ordines de facto suscipiendi, quod revera præstat; a restitutionis onere proinde eum liberarem.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Irregularis ex culpa obtinere non potest Beneficium absque dispensatione, qui vero sine culpa irregularitatem incurrit, ineptus est ad ea sola Beneficia, quæ Ordinem illum expostulant, cujus respectu est irregularis. Prima pars statuitur in Jure Canonico, ubi in Extrav. de Clericis pugnantibus in duello Cœlestinus III. dicit: *Poterit tamen cum eo circa habendum Beneficium*

semi-

misericorditer dispensari : Ergo statuit Pontifex sine dispensatione Beneficium obtinere non posse. Altera vero pars sola indiget declaratione. Nam si contingat Presbyterum sine sui culpa irregularem fieri ad munia sacerdotalia obeunda, poterit diaconalem præbendam obtinere, & similiter irregularis quoad diaconatum, beneficii subdiaconalis capax erit, vel simplex obtinere Beneficium.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Qui adprobante Episcopo Capellaniam fundavit statuens ut eligatur Capellanus, qui quotidie, vel plures Missas in hebdomada celebret, ad eam eligi non potest qui non sit Sacerdos, vel intra annum non sit ad Presbyteratus Ordinem promovendus, idque multo magis verum est, si addat, quod eligatur *Sacerdos*. Ita statuit Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. dicens: *Quando ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione .... qualitates a quo requiruntur, seu certa illi onera sunt injuncta, in Beneficiorum collatione, seu quacumque alia dispositione eis non derogetur*. Præterea fundatorum voluntati standum est, nec ab ea recedendum, nisi gravi urgente causa, multoque magis si testamento ita mandatum fuerit, cum ultimæ voluntates sint semper attente custodiendæ. Ita sentiunt plures Canonistæ Guttierez, Garzias, aliique, quibus ex Theologis adhæret Azorius. Minus igitur probabilis est habenda Salmanticensium doctrina, qui censent, licere eligere etiam Clericum annorum 14. qui per alium Missas celebrare faciat, qui enim *per alium facit, per se ipsum facere videtur*. Verum hujus principii nullam rationem habuit Tridentinum Concilium in suo superius recitato decreto, ubi statuit, ne dispositionibus fundatorum derogetur. Num latebat sanctissimos Antistites axioma illud? Addunt nonnullas decisiones Sacræ Congregationis, quæ cum sint de privatis casibus, generalem regulam nequeunt constituere, eo vel magis, quod & ipsi alias decisiones afferunt plane contrarias, dum secundam posiri Corollarii partem defendunt, nimirum soli Sacerdoti esse conferendam Capellaniam, si in fundatione dicatur eligendum Sacerdotem, quem talem esse debere docent dum eligitur, nec sufficere, si intra annum sit ordinandus.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Qui tanta pollet ignorantia, ut munera Beneficiis adnexa implere non valeat, incapax est Beneficii, & peccat ea acceptando. Id manifeste patet, quia cum Beneficium detur pro officio, qui munus vel officium implere nequit, neque Beneficii est capax; immo si plane rudis & illiteratus sit, adeo ut nec legere sciat vel scribere, ita est Beneficiorum incapax, ut si quod forte illi collatum fuerit, sit ipso jure collatio invalida. *Illiteratos* (sic statuitur dist. 36.) *nullus præsumat ad Clericatus ordinem promovere, quia litteris carens, sacris non potest esse aptus officiis*. Scientia autem debet esse muneribus, ad quæ Beneficia destinantur, proportionata. Hinc de Clericis prima Tonsura initiandis statuit Trid. Concilium sess. 23. de Refor. cap. 4: *Prima tonsura non initientur, qui Fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant*, & hoc quoque saltem requiritur, ut quis possit simplex Beneficium obtinere, cui non aliud sit onus adnexum præter Breviarii recitationem. Ad Canonicatus vero, & Præbendas longe uberior requiritur scientia; nam cum Episcopis in suæ jurisdictionis usu, & in gravioribus suæ Diœcesis negotiis, Capituli consilia adhibere opportunum sit, sic Canonici *tales esse debent*, subdit laudatum Concilium

cilium sess. 24. c. 12. *ut doctrina ad suum munus exequendum necessaria & morum integritate commendentur*. Qui vero ad curam animarum assumuntur, requiritur, *ut sciant Scripturas Sanctas, & Canones, & omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificet cunctos tam fidei scientia, quam morum disciplina*, ut habetur cap. *Ingnorantia* dist. 38. Nam subdit ibidem Cœlestinus Pontifex: *Nulli Sacerdotum licet Canones ignorare, ne quidquam faciat, quod Patrum regulis possit obviare*. Nosse etiam debet Moralis Christianæ practica principia, & ea, quæ ad virtutes, & vitia discernenda pertinent, & doctrinam in Romano Catechismo contentam, juxta quam populos, & oves sibi commissas erudire teneatur. Uno verbo licet non eminentis scientiæ sit oportet, requiritur tamen, ut sit saltem convenientis. Eminentem vero scientiam eam reputat Innoc. IV. capite Cum in cunctis, *quæ subtiles quæstiones discutere, & definire novit, & in promptu responsiones habet*. Ille habet mediocrem, *qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, & qui in libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habeat*. Nec par in omnibus Parochis scientia requiritur, sed longe majori opus est scientia & doctrina in Pastoribus majoris & frequentioris urbis, quam in illis, qui in Oppidis, vel villulis rudiores, & a magnis negotiis, & mundanis rebus & pompis, fraudibus, & negotiis remotiores, ac simpliciorem vitam ducentes, regere debent & instruere. Similiter ubi statuitur, ut Beneficia non nisi iis conferantur, qui aliquo Magisterio vel Doctoratus laurea sunt insigniti, nisi revera vel gradum in Universitate obtinuerint, vel falso titulo, & sine requisita scientia gradum impetraverint, peccant Beneficium acceptando, tum quia legem in re gravi violant, tum quia & publicam fidem fallunt, & iis injuriam faciunt, qui gravi & diuturno studio gradus illos merito sunt consecuti. De Episcopis vero satis erit id commemorare, quod ab eis quoad scientiam exquirit Apostolus, nimirum, quod sint doctores, *ut potentes sint exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*.

Consectarium Undecimum.

XI. Illegitimi, id est nati extra legitimum Matrimonium, nullum *Beneficium* obtinere possunt, sive impedimentum hoc occultum sit, sive manifestum. *Dispensatione* itaque indigent, quæ quantum ad primam Tonsuram, & minores Ordines ab Episcopo potest concedi, quoad majores vero Ordines, & Dignitates, Personatus & Beneficia curam animarum habentia, non nisi a Summo Pontifice dispensantur. Ita statuitur in Jure Canon. Extrav. *de filiis presbyterorum* in 6. Observandum tamen, quod dispensationes hujusmodi sunt stricte accipiendæ, ut optime observat Sylvius in 2. 2. quæst. 63. a. 3. sic scribens: *An illegitimus cum quo est dispensatum, ut possit accipere primam Tonsuram, & minores Ordines, eo ipso sit habilis ad Beneficia simplicia? Respondeo sententiam negativam esse communiorem, eo quod juris ac legis relaxatio, cum sit odiosa, est restringenda*. Et propterea si quis dispensetur a Pontifice ut Ordines recipiat, restringenda est dispensatio ad minores tantum Ordines, non ad majores; si ad omnes concedatur, non per hoc concessa intelligitur ad Beneficia obtinenda; si ad Beneficia detur, non est ad Dignitates dilatanda, & si ad Dignitates etiam, non tamen Beneficia complectitur, quæ curam habent animarum adnexam. De filiis autem Clericorum sic statuit Concil. Trid. sess. 25. de Refor. cap. 15. *Non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati*

nati sunt Matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum Patres Beneficium aliquod habent, aut habuerunt, quodcumque, etiam dissimile, Beneficium obtinere, nec pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerint, habere. Filiis quoque Presbyterorum, etiam ex legitimo Matrimonio natis, non conceditur sine dispensatione obtinere Beneficium Patris successione immediata, eo quod ut in jure dicitur: *Successionem in Ecclesiis Dei hereditariam apostolica decreta detestantur*. Optime tamen notat Bened. XIV. de Syn. Diœcef. lib. 13. cap. 24 §. 15. N. E. nihil esse quod vetet, quominus Pater obtinere valeat Beneficium a filio præhabitum, quod verum est etiam respectu Beneficii a filio illegitimo obtenti. Licet etiam Filio legitimo Patris Beneficium habere, si transivit in tertium, at illegitimis non licet. Quatuor vero modis illegitimi idonei fieri possunt ad Beneficia obtinenda, nimirum 1. ex subsequenti Matrimonio, dummodo nati sint ex parentibus, qui tempore illicitæ conceptionis validum Matrimonium valebant contrahere. 2. Si a Pontifice legitimentur. 3. Si ab eodem dispensentur. 4. Per professionem Religiosam. Expositi vero, quorum parentes ignorantur, pro legitimis habendi sunt, tum quia plerique legitimi sunt, & solum ob necessitatem expositi, tum quia dum non constat de crimine, interpretatio fieri debet in meliorem partem.

Consectarium Duodecimum.

§ XII. Neophyti ad Beneficia promoveri non debent juxta regulam Apostoli: *Non Neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli*. Post biennium tamen, si probæ vitæ comperiantur, & firmitas in fide appareat, ab Episcopo tum ad Ordines, tum ad Beneficia possunt promoveri. De filiis autem hæreticorum, qui in hæresi objerunt (secus autem si etiam paulo ante mortem catholicam fidem sint professi) in Jure Canonico statuitur cap. *Quicumque* Extra. de hæreticis: *Hæretici autem, credentes, receptores defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane*. Hoc tamen statutum in Galliis non obtinet.

Consectarium Decimumtertium

XIII. Leges, quæ statuunt, Beneficia nonnisi naturalibus, natis scilicet in Regno, Ditione, Provincia esse conferenda, sunt servandæ, utpote justa de causa latæ, & in æquitate ac justitia fundantur; nonnisi igitur loci naturalibus, extraneis exclusis, sunt illa conferenda. Quæ hac de re moveri possunt quæstiones ad externum forum pertinent, proinde omittendæ. Similiter cum in Beneficiorum fundatione statuitur, ut Beneficia Fundatorum consanguineis conferantur, huic statuto standum est. Nam cum Fundatores fuerint absoluti fundorum, de quibus Beneficia instituerunt, domini, juste imponere poterant, ut Beneficiarii de tali familia, gente, vel domo eligerentur, dummodo alias idonei essent, & digni. Si ergo Fundator velit unum ex suis consanguineis eligi, tunc propinquior est præferendus, spuriis tamen & illegitimis exceptis; nisi legitimati sint vel a Pontifice, vel a Principibus, & tunc semper naturales legitimatis sunt præferendi, licet sint in remotiori gradu, multoque magis si in pari. Gradus autem differentia desumenda est a jure civili, ut probabilior fert opinio, non a Jure Canonico.

CON-

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Beneficia, quæ tenuiores reditus habent, non sunt pensionibus gravanda. Ita statuit Trident. Concilium sess. 24. de Reform. cap. 12. jubens: *Ad hæc in posterum omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.* Quod est intelligendum non solum de tempore, quo ponitur pensio, sed etiam de futuro, adeo ut, si reditus Ecclesiarum ita decrescant, ut non supersint mille pro Episcopo, & centum pro Parocho, ad pensionis solutionem Beneficiarii non teneantur, & ideo ejus consensus in statuenda pensione requiritur. Tenetur tamen Beneficiarius in conscientia pensionem solvere, eum id illi præcipiatur sub pœna excommunicationis, quam tamen non incurrit, nisi expresse coram Judice protestetur se nolle pensionem solvere. Cum vero pensio præcipue super Beneficium fundetur, si pensiones non fuerint a priore Beneficiario solutæ, tenentur ejus hæredes, qui si non possint, & pensionarius probet se debitam non omisisse diligentiam pro pensione suis temporibus obtinenda, tenetur successor in Beneficio easdem solvere. Ita docent Canonistæ Garzias, Barbosa, Cardinalis de Luca, aliique. Licet pensio detur pro sustentatione Clerici, nihilominus si quid supersit, nequit Pensionarius de superfluis pro libito disponere, nec ad hæredes transferre, sed tenetur in pauperes erogare, cum pensiones sint ex bonis Ecclesiæ, quæ patrimonium pauperum constituunt, ut suo loco ostendemus. Pensionarius tenetur ad recitationem parvi Officii B. Virginis, quod si omittat, tenetur ad restitutionem pro rata. Tenetur etiam pro rata concurrere ad reparationem Ecclesiæ non minus quam ipse Beneficiarius, nec non ad solutionem decimarum præstandam Principi, & ad cetera Beneficiorum gravamina, nisi fuerit a Papa dispensatus, & concessa pensio ab omni onere libera. Extinguitur autem pensio ob obitum Pensionarii, vel si militiæ etiam levis armaturæ adscribatur, si uxorem ducat, vel in aliqua Religione professionem emittat, vel ad Episcopatum non titularem promoveatur, si habitum & clericalem tonsuram non deferat, ita ut laicus reputetur, si pensionem vel in totum vel in partem remittat, dummodo tamen non sit titulo pensionis ordinatus, tunc enim sine Episcopi venia nequit pensionem dimittere. Non potest tamen vendi, vel redimi anticipata solutione sine Apostolico beneplacito & Papæ auctoritate. Transferri etiam potest pensio de una persona ad aliam; verum facultas transferendi pensiones concessa non præsumitur, sed esse debet expressis verbis concessa. Si pensio sit reservata in persona unius, sed in commodum, & utilitatem alterius, ille in cujus commodum est reservata ad Officii recitationem tenetur. Extinguitur autem morte alterutrius.

CAPUT V.

De modis Beneficia obtinendi.

I. *Quot modis obtineri possint Beneficia.*
II. *Quid sit collatio Beneficii.*
III. *Quid electio.*
IV. *Quid præsentatio.*
V. *Jus Patronatus quomodo habeatur.*
VI. *Quid postulatio.*
VII. *Quid resignatio & renuntiatio.*
VIII. *Quid permutatio & quando licita sit.*

I. SEX modis Beneficia valent obtineri, nimirum 1. per liberam collationem, 2. per præsentationem, 3. per electionem, quæ aliquando confirmationem postulat, aliquando ea non indiget, 4. per postulationem, 5. per resignationem, 6. per approbatam permutationem. De singulis pauca dicemus.

II. Collatio proprie dicta communiter definitur: *Concessio canonica Beneficii facta ab habente potestatem*. Hæc dividitur in liberam, quæ ex solo jure collatoris pendet independenter ab electione, præsentatione, nominatione alterius; & in non liberam, quæ nimirum ad aliquam personam coarctatur ratione juris alterius nominandi, præsentandi &c. & hæc vocatur proprio nomine Institutio. Juris Canonici Doctores Summo Pontifici jus concedunt conferendi Beneficia in tota Ecclesia. Verum hac suprema potestate minime utuntur Pontifices, sed in aliquibus Ecclesiis quædam habent Beneficia reservata, vel certum tempus, in quo quæ vacaverint Beneficia ipsi libera collatione impertiuntur, sicut & eo jure utuntur in devolutionibus ratione criminis, vel negligentiæ collatoris, quando scilicet Dignitates & Beneficia infra Episcopatum, & Abbatias intra sex menses, qui hoc jus habent non contulerint, vel indignis dederint. Servandus tamen juris ordo, ut prius devolutio fiat ad Archiepiscopum, Primatem, Metropolitanum, vel alium proximiorem Superiorem, & ex hoc ad Pontificem. In sua Diœcesi Episcopus est primus Beneficiorum collator, nisi ex fundationibus, conventionibus, vel consuetudine aliter sit statutum, unde collationes ad alios spectent, puta Capitulum, Decanum, Præpositum, aliosque Ecclesiasticos viros. Capitulum vero Sede Vacante non succedit Episcopo in libera Beneficiorum collatione, si quæ ei competat soli, sive jure collationis strictæ talis, sive jure præsentationis. At pleno jure succedit, si collatio, vel confirmatio, vel institutio ad Episcopum pertineat ex præsentatione Patroni, vel collatio spectet ad Episcopum cum Capitulo, vel Beneficium debeatur certæ personæ. Hinc Sede Vacante Capitulum concedere valet Electis confirmationem, & institutionem Præsentatis, resignationes recipere, ut docent juris Canonici Doctores, & communis confirmat usus & praxis.

III. Electio stricte sumpta est designatio sive destinatio personæ ad certum Beneficium canonice facta per suffragia eorum, qui jus obtinent eligendi. Per electionem electus nonnisi jus ad Beneficium adipiscitur, nam jus in Beneficio sola confirmatione consequitur. Hinc qui ante confirmationem sibi Beneficii administrationem usurpat, censetur intrusus, & jus deperdit, quod per electionem obtinuerat. Differt a nominatione, quæ esse potest de pluribus, cum electio sit unius tantum, & a petitione, per quam plebs, vel populus, seu Communitas postulat & rogat sibi talem in Pastorem concedi, per quam petitionem electus nullum jus adipiscitur, & Prælatus potest non concedere. Ut electio sit canonica requiritur, ut eligentes sint saltem Subdiaconi, ut statuit Concil. Trid. sess. 22. cap. 4. ut vocentur omnes, qui jus habent in electione, licet aliquis venire renuerit, vel non potuerit, ut electus ille intelligatur, in quem omnes, vel major, vel sanior pars Capituli consenserit. Sanior pars illa designatur, quæ in electione canonicas servat leges, minus sana, quæ illas præterit. Electio per sortes reprobatur in jure. Approbatur autem sive fiat per inspirationem, ut quando eligentes subito quodam motu in unum communiter consentiunt, vel per compromissum, quando Capitulares præsentes in unum

vel

vel plures facultatem transferunt eligendi, qui omnium vice eligere censentur ; & ad hoc requiritur consensus omnium vocalium, nemine excepto , & Compromissarius sive unus ex Compromissariis nequit seipsum eligere : & denique quæ fit per scrutinium , quo quis per votum secretum aliquem nominat , vel eligit , & in hoc eligendi modo plures requiruntur conditiones tum ex communi jure , tum ex particularium Capitulorum , Ordinum , Monasteriorum statutis , de quibus latissime disputant Juris Canonici Interpretes .

IV. Præsentatio describitur actio , per quam Patronus etiam laicus exhibet Episcopo , seu Superiori ecclesiastico idoneam personam pro Beneficio illi concedendo . Ex hac præsentatione oritur in præsentato jus ad Beneficium , facta autem institutione a Superiore jus resultat in Beneficio . Tres interveniunt in hoc actu personæ , nimirum Patronus , qui , ut diximus , esse potest & Laicus , Præsentatus , qui Clericus esse debet , & conditiones obtinere , quæ ad munus ecclesiasticum , ad quod eligitur rite obeundum sunt requisitæ , & Prælatus sive Superior ecclesiasticus Præsentatum instituens & in Beneficium admittens , qui licet debeat Præsentatum admittere, potest tamen , si indignum compererit , repellere . Sed de his redibit sermo , quando de Simonia agemus , & in sequentibus cum de eligendis ad Beneficia sermonem habebimus: hic tamen nonnulla subjicienda sunt de Jure Patronatus .

V. Juspatronatus itaque a Canonistis definitur , seu describitur *Jus , sive potestas nominandi , seu præsentandi aliquem clericum instituendum in Beneficium vacans.* Triplex est, nimirum laicum , ecclesiasticum , & mixtum . Laicale juspatronatus illud est , quod laico competit , quia ipse , vel aliquis ex suis prædecessoribus Ecclesiam vel fundavit, vel erexit , vel dotavit ; juxta tritum effatum hoc versiculo contentum *Patronum faciunt dos , ædificatio , fundum* , cui additur præscriptio , nimirum , ut ait Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. de Ref. *Ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum , qui hominum memoriam excedat* . Ecclesiasticum , quod clerico competit ratione alicujus Dignitatis ecclesiasticæ , puta Decanatus , Rectoratus , vel licet in sua institutione laicale , postmodum tamen datum est Ecclesiæ , vel Monasterio , tunc enim ratione donationis , vel cessionis factæ ecclesiasticæ Communitati transit in ecclesiasticum . Mixtum denique , quando patronus ecclesiasticus & laicus concurrunt in usu jurispatronatus , sive id fiat cumulative simul præsentando , vel disjunctive , idest per vices , & modo Ecclesiasticus per turnum præsentat , modo laicus . Ad juspatronatum obtinendum præter titulos fundationis, erectionis , dotationis Ecclesiæ requiritur consensus Episcopi , aut Capituli Sede Vacante . Jurispatronatus certa debent esse documenta , ut statuit Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. Transfertur autem vel hæreditario jure , per quod transit ad hæredes nedum necessarios , sed & liberos , vel donatione etiam laico viro facta , si juspatronatus sit laicale, & hoc etiam sine Episcopi consensu , vel per venditionem fundi , cui adnexum est , ut docet S. Th. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. Patronus suos habet honores , & onera , quæ his versiculis continentur :

Patrono debetur honos , onus , emolumentum,
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

Honores sunt jus præsentandi ad Beneficium , primus locus in choro , in Ecclesia, in processionibus , & quod in communibus obsequiis ceteris præferatur, unde primus , obtineat

obtineat osculum pacis, candelas, ramos benedictos, & thurificationes, & si ad egestatem devenerit, ex bonis Ecclesiæ sustentetur. Onera sunt obligatio protegendi tum Ecclesiam, tum ejus jura, & bona, invigilandi circa divini Officii celebrationem, & Sacerdotes monere, si bona Ecclesiæ juxta fundatoris mentem non administrent, quod si spernant monitiones, eos Episcopo, vel Judici corrigendos deferre poterit. Finitur vero juspatronatus cessione, privatione ex delicto, ut si juspatronatum præsumpserit pretio vendere, vel bonorum promeruerit confiscationem, denique præscriptione.

VI. Postulatio locum habet, cum quis ineligibilis ob aliquem defectum, vel canonicum impedimentum rationabili de causa dispensatione dignum per vocales postulatur a Superiore, ut sublato impedimento eligi possit ad Beneficium vel Dignitatem, vel ipse dispensando instituat. Cadit vero hæc postulatio, si major, vel sanior eligentium pars ad electionem deveniat, quia electio prævalet utpote juri conformior.

VII. Olim resignatio, & renunciatio synonyma erant; modo tamen ex stylo Curiæ distinguuntur. Renunciatio enim importat simplicem absolutamque Beneficii cessionem absque ulla conditione. Resignatio vero est cessio Beneficii cum aliqua conditione. Hinc omnis resignatio renunciationem continet, at non e contra. Renunciatio pura & absoluta fieri potest penes Superiorem, ad quem spectat conferre Beneficium, & cuicumque licita est. Resignatio vero pluribus modis fieri potest, nimirum 1. si quis resignet ea conditione, ut tertiæ conferatur personæ, & hæc dicitur resignatio in favorem tertii. 2. Si quis resignet Beneficium ea conditione, ut fructus partem sibi quotannis accipiat, & dicitur resignatio cum pensione. 3. Si quis resignet ea conditione, ut si resignatarius præmoriatur, valeat ipse in Beneficii possessionem regredi, & hæc resignatio dicitur cum regressu. Si duo Beneficio abrenuncient cum conditione, ut alter alterius Beneficium obtineat, & hæc dicitur resignatio cum permutatione. De iis plura in Confectariis.

VIII. Permutatio itaque ex dictis habetur, cum quis Beneficium in manu Episcopi resignat ea conditione, ut alterius simile, vel dissimile consequatur Beneficium, unde duo sint oportet, qui Beneficio se abdicant, ut alterius Beneficium obtineant. Primis Ecclesiæ seculis hæ permutationes non aliud erant, nisi simplices translationes, quas Episcopi propria voluntate ad utilitatem Ecclesiarum faciebant, & de iis sic statuit Urbanus III. in cap. de rer. permut. *Si Episcopus inspexerit causam necessariam, licite poterit de uno ad alium locum transferre personas, ut quæ ubi minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.* Progressu temporis hujusmodi permutationes exquiri cœperunt ab ipsis Beneficiariis, proinde suspectæ fuerunt de Simonia, præsertim si præcessisset pactum, & a jure communi reprobatæ. Absolute tamen hæc permutatio omni Simonia carere potest, ut optime observat D. Thom. in 4. sent. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 8. scribens: " In permutatione est Simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius permutatio fiat. Si autem pro spiritiuali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est Simonia. " Ex qua D. Ang. doctrina patet hujusmodi permutationes fieri nequaquam posse sine justa causa, & nisi cedant in utilitatem Ecclesiæ. Præterea si Beneficia permutanda sint in diversis Diœcesibus, utriusque Episcopi est necessarius assensus. Requiritur etiam consensus Electorum, sive Patroni,

si Beneficium sit electivum, vel jurispatronatus. Si vero fiat cum adjectione oneris, vel pensionis, beneplacitum & Summi Pontificis auctoritas interveniat oportet. Quod tamen onus vel pensio adjici non potest eo quia Beneficia sint inæqualia in dignitate & jurisdictione, nam esset Simonia, cum dignitas & jurisdictio res sint spirituales; si vero inæqualitas sit in Beneficii reditibus, poterit justa de causa Pontifex pinguiori Beneficio pensionem imponere; non tamen, ut docent quidam Theologi, vel in compensationem, vel ut alterum servet indemnem, sed titulo honestæ sustentationis, cui permutatum Beneficium non sufficiat.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Beneficiorum ecclesiasticorum collatio & institutio Laicis convenire non potest.*

II. *A quibus majora Beneficia conferantur.*

III. *Qui Beneficium fundat ex bonis suis postulans ut sibi primo Beneficium conferatur, a Simoniæ labe videtur immunis.*

IV. *Patroni quando ad Beneficium debent præsentare.*

V. *Patronus non potest se ad Beneficium præsentare.*

VI. *Præsentati a Patronis quomodo debent institui.*

VII. *Vetitum est Collatoribus Beneficia resignata consanguineis, familiaribus, vel suis, vel Resignantis conferre.*

VIII. *Resignantes cum pensione si pactum ineant de redimenda pensione, quas pœnas incurrant.*

IX. *Resignare Ecclesiis Episcopis non licet, nisi cum clare appareat, concredita sibi plebi Pastorem prodesse non posse.*

X. *Resignationes etiam simplices vel cum pensione quando illicitæ sint.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. CUM cap. 1. de Reg. Juris in 6. aperte dicatur: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri*: inde Canonistæ non immerito deducunt, jus collationis, seu institutionis laicis competere non posse, quippe qui titulos vel Beneficia instituere nequeunt.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Electiones ad Beneficia respectu Episcopatuum & Abbatiatum, nec non aliquorum Prioratuum pene in tota Europa locum non obtinent. Sed vel Summus Pontifex ea Beneficia confert, vel ex Concordatis Principum cum Pontificibus ipsi Reges Principes, Respublicæ ad ea nominant & præsentant; quin Clerus suffragium ullum ferat. Excipiuntur tamen in Germania Ecclesiæ, in quibus Canonici jus adhuc servant electionis. Sicut & Ordines Religiosi suos sibi eligunt Superiores Generales, Provinciales, & locales.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Si quis de suis bonis Beneficium fundaverit cum pacto, ut tamquam Beneficiatius illis fruatur, & post obitum suum transeat ad hæredes, simoniam committere nonnulli censent. Verum, ut optime animadvertit Sapientissimus Pontifex Bened. XIV. Instit. eccles. 96. §. 7. ab omni labe simoniæ immunis est habendus, cum sufficiens assignari non valeat discrimen inter eum, qui Beneficium fundat cum pacto, ut conferatur filio, vel fratri suo, cum utrinque pactum interveniat. Addit vero §. 7. quod si Beneficium jam erectum quis bonis suis augeat, quin juspatronatus acquirat, nequit sine Simonia pacisci, ut sibi conferatur Beneficium illud, ex Cap. *Tua nos* de Simonia. CON.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Patronus laicus intra quatuor menses, & ecclesiasticus intra sex menses a notitia vacationis Beneficii præsentare tenentur, quod si negligant poterit Episcopus cui sibi libuerit Beneficium conferre. Patronus ecclesiasticus si primo loco scienter indignum præsentet, licet postea successive alium, vel alios nominet, a jure præsentandi pro illa vice decidit. De Syn. Diœcef. lib. 12. cap. 7. n. 6. Quando plures sunt Patroni, & quilibet distinctum præsentat Clericum, poterit Episcopus vel Superior ex præsentatis instituere quem digniorem existimat. Si Patronus Ecclesiasticus duos successive præsentet, tenetur Episcopus vel Superior primo loco præsentatum instituere; secus vero dicendum de laico Patrono, tunc enim in potestate Superioris est, quem mavult præeligere, cum de Patrono Ecclesiastico præsumatur primo loco digniorem præsentare, & Laicum discernere nescivisse. Si Patronorum suffragia sint scissa, ille est instituendus, qui a pluribus eligitur, ut definitum est Cap. *Quoniam, de jurepatronatus*. Si tamen a majori parte præsentatus idoneus non habeatur, poterit alter præsentari a paucioribus, ut docet Bened. XIV. loc. cit. *n.* 6 qui tamen approbatum narrat statutum Diœcesanum Episcopi Pampelonensis, qui vetuit admitti præsentatum a minori parte, sed permisit alium præsentari, quia licet in jure statuatur, ut præsentatus a minori parte possit a Superiore institui, nullo tamen jure ad hoc compellitur Superior.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Patronus non potest se præsentare ad Beneficium, ut ex Cap. *Per vestras, de jurepatronatus*; potest tamen, ut docet laud Pontif. Inst. eccl. 95. §. 5. Episcopum rogare, ut si se dignum censeat, instituere non dedignetur; vel ut ipse subdit, juspatronatum alteri donare, donatione vera & sincera, per quam jurepatronatus se perpetuo spoliet, donatione ab Episcopo approbata; vel saltem Episcopus absque ulla præsentatione illi Beneficium conferat, quod ipse acceptet, & post collationem tanquam Patronus assensum præstet. Patronus, si Beneficii Rectorem interficiat, ipse & omnes hæredes patronatus jus illud amittunt, ex cap. In quibusdam de pœnis. Ib. n. 21.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Præsentatus a Patrono ecclesiastico ad Ecclesias Parochiales, debet Synodale examen subire per concursum aliorum; præsentati vero a Patrono Laico satis est, si sine concursu examinentur & idonei reperiantur. Ita statuit Trid. Concil. sess. 24. cap. 18. de Refor. Locum habet concursus etiam in præsentatis a laicis si plures sint, & habeant æquales voces; tunc enim instituetur concursus inter solos præsentatos, & Episcopus eum eliget, quem ceteris digniorem judicaverit. Si collatio vel institutio ad Episcopum pertineat, & juspatronatus est ecclesiasticus, ad Patronum spectat inter approbatos de digniore ferre judicium, illumque Episcopo præsentare; si vero collatio, vel institutio ad alium ab Episcopo pertineat, puta ad Sedem Apostolicam, tunc judicium, seu facultas designandi digniorem non ad Patronum, sed ad Episcopum spectat. Ita laud. Pont. de Syn. Diœc. lib. 4. cap. 8. n. 7. & seqq.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Cum Beneficium resignatum fuerit in manu Episcopi vel collatoris, vetitum est illis ex Bulla S. Pii V. de eisdem providere consanguineos, affines, familiares, vel suos, vel ipsius resignantis; ideo si Beneficium conferatur per concursum, & concurrant consan-

sanguinei, affines vel collatoris, vel resignantis, illis non conferatur Beneficium, licet digniores judicati fuerint; proinde ex Decreto Congregationis Concilii, confirmato a Gregorio XIII. vetitum fuit illos ad concursum admittere. Ita laud. Pont. lib. cit. 13. c. 24. n. 2. & 3.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Resignantes Beneficia cum pensione, si clam pactum cum resignatario inierint de cedenda pensione, vel utilitate exigendi fructus ejusdem pensionis, soluta per hoc anticipata pecunia, pactum illud irritum, & inane declaratur, & insuper resignans, & resignatarius ab omni jure Beneficii decedunt ipso facto, quin ulla requiratur Judicis declaratio, & sub peccato lethali restituenda est pecunia non ei qui dedit, sed Ordinario, qui eam piis locis applicat. Eisdem pœnis etiam subjecti declarantur, si hæc pacta ineant intra sex menses a die acceptæ per resignatarium possessionis. Ita statuit Bened. XIV. Bulla *in sublimi*. Bull. T. 1.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Resignare Ecclesias Episcopis non licet, nisi cum clare pateat resignantem concreditæ sibi plebis saluti prodesse amplius non posse. Ita statutum legitur in Decr. *Licet* de Regularibus, ubi hæc habentur: *Quando potest Episcopus præesse pariter & prodesse, non debet cedendi licentiam postulare, aut etiam obtinere*. Rationem reddit D. Th. 2. 2. q. 85. art. 4. ad 1. scribens: " Perfectio Religiosorum & Episcoporum secundum diversa attenditur. Nam ad perfectionem Religionis " pertinet studium, quod quis adhibet ad " propriam salutem. Ad perfectionem autem " Episcopalis status pertinet adhibere studium " ad proximorum salutem. Et ideo quamdiu " potest esse aliquis utilis proximorum saluti, " retrocederet, si ad statum Religionis vellet " transire, ut solum suæ saluti insisteret, qui " se obligavit ad hoc quod non solum suam " salutem, sed etiam aliorum procuraret." Legatur Bened. XIV. de Synodo lib. 13. cap. 16. n. 2. & seq.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Resignationes etiam puræ in manu Superioris illicitæ sunt, nisi fiant ob justam causam, utilitatem videlicet Ecclesiæ, vel ipsius resignantis bonum spirituale; hinc peccant qui ob temporales utilitates vel fines Beneficiis abrenuntiant, puta ut Beneficium perseveret in familia, ut amico gratificetur, ut quiete & otiose vivere possit, in his enim motivis Simonia saltem mentalis latitare potest. Si vero resignatio fiat cum pensione, præter allata motiva requiritur ulterius & concessio Summi Pontificis & justa causa pensionis recipiendæ, quæ profecto esse non potest ipsa resignatio, cum ex lege naturæ, & jure canonico statutum sit, *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, nec ex ministerio præstito etiam per longum tempus & soletter, cum per illud tempus justam jam acceperit mercedem, & posset percipere si velit Beneficium retinere; una igitur semper est causa recipiendi pensionem respectu resignantis, nimirum indigentia ipsius, adeo ut illi sit loco alimentorum, & quidem in moderata quantitate, & non ex partium pactione. Hæc serio meditentur resignantes ne de sua salute periclitentur. Quod de resignatione diximus, sunt & de Permutatione intelligenda. De resignatione tamen nonnulla addemus Cap. 12.

CAPUT VII.

De dignioribus ad Beneficia eligendis, & de vetita Beneficiorum pluralitate.

DOCTRINA.

I. *Quinam sint ad Beneficia indigni.*
II. *Quinam digni reputentur.*
III. *Quinam digniores habendi.*
IV. *Ubi digniores quærendi.*
V. *Non licet indignis Beneficium ullum conferre.*
VI. *Beneficia tum simplicia, tum curam animarum habentia sunt dignioribus tantum conferenda.*
VII. *Beneficia alia compatibilia, alia incompatibilia.*
VIII. *Certum est non licere duo obtinere Beneficia incompatibilia.*
IX. *Nec plura compatibilia, si unum congruæ sufficiat sustentationi.*
X. *Pluralitas Beneficiorum absolute & secundum se jure naturæ interdicitur.*
XI. *Pluralitatem Beneficiorum damnant Concilia, detestantur Pontifices, reprobant nobiliores Theologi.*
XII. *Pluralitas Beneficiorum non ita mala est, ut nullo in casu licita sit.*
XIII. *Justæ subesse possunt causæ, ut quis plura habeat Beneficia, quæ tamen non bonum habentis, sed necessitatem & utilitatem Ecclesiæ respiciant.*

§. I.

De dignioribus ad Beneficia eligendis.

I. INDIGNI ad Beneficia illi censendi 1. qui pravis moribus sunt defœdati, ut statuit Trident. Concil. sess. 24. cap. 12. de Reform. declarans: *Nemo deinceps ad Dignitates quascumque promoveatur, nisi morum integritate commendetur*, Et S. Th. Quodl. 8. art. 6. scribit, dicendum " quod oportet „ eligere ad prælationem, vel Ecclesiasticum „ Officium aliquem, qui sit bonus simplici„ ter. " Porro qui pravis moribus fœdatur, non est integritate morum commendabilis, nec est bonus simpliciter. Sicut vero ut quis corruptis dicatur moribus, non requiritur ut in graviora sit prolapsus facinora, vel ea admiserit crimina, quæ seviori pœna a legibus puniuntur, ita nec sufficit, si semel ob fragilitatem in aliquod peccatum lapsus sit, nisi forte ex illis sint, quæ ob inductam sive censuram sive irregularitatem non solum indignum, sed & ineptum reddunt ad Officia ecclesiastica, vel adeo in aliorum offensionem cesserint, ut difficile ex hominum memoria aboleantur, de quo peccato locutus est S. Thom. cum dixit: *Per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exercendum*. Sed indignus est, qui pravo aliquo habitu irretitur vel ebrietatis, vel blasphemiæ, vel fornicationis; vel qui in clericali statu jam constitutus ludo indulget, epulis, conversationibus, familiaritatem suspectam cum mulieribus ostentat, secularibus negotiis se se immiscet, & ut scribit Turnelius, *minus ejus crimen sit vita otiosa*. Hunc ego ex defectu probitatis indignum existimo ut Ecclesiastica Beneficia consequatur. Præterea indignus, est ille, qui ea caret scientia, quæ ad Officium recte obeundum est necessaria, vel ob ingenii hebitudinem, & cujusdam naturalis solertiæ carentiam animarum saluti vel Ecclesiæ servitio sufficienter nequit operam navare.

II. Dignus vero ille est dicendus non solum qui juxta seculi judicium a gravioribus culpis & pravis habitibus immunis apparet, sed

fed qui pietatem in Deum oftendit, caritatem erga proximos exercet, & fi Ecclefiæ fit addictus, orationi vacat, Ecclefiæ fuæ infervit, ftudio indulget, ab otio abhorret, uno verbo eam vitæ agit rationem, quæ probum decet Ecclefiafticum.

III. Quis autem dignior dici poffit fapientiffime explicat S. Th. 2. 2. q. 83. art. 2. fcribens " Confiderare oportet, quod dignitas alicujus perfonæ poteft attendi dupliciter. Uno modo fimpliciter & fecundum fe, & fic majoris dignitatis eft ille, qui magis abundat in fpiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque, quod ille, qui eft minus fanctus & minus fciens, poteft magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel induftriam fecularem, vel propter aliquod hujufmodi. Et quia difpenfationes fpiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, fecundum illud 1. Corinth. 12. *Unicuique datur manifeftatio fpiritus ad utilitatem*. ideo quandoque abfque acceptione in difpenfatione fpiritualium illi, qui funt fimpliciter minus boni, melioribus præferuntur, ficut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis. " Et rurfum rem amplius declarat. Quodl. 6. art. 9. fubdens: " Contingit autem quandoque aliquem effe meliorem fimpliciter, qui tamen non eft melior quantum ad hoc quod Beneficium percipiat, quia aliquis forte poteft Ecclefiam magis juvare, vel per confilium fapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia fervivit in Ecclefia. Non ergo Epifcopus tenetur femper dare meliori fimpliciter, fed tenetur dare meliori quoad hoc. Non enim poteft effe quod unum præferat alteri, nifi propter aliquam caufam, quæ fiquidem pertineat ad honorem Dei, & utilitatem Ecclefiæ, jam quantum ad hoc, ifte eft melior. Si autem illa caufa ad hoc non pertineat, erit acceptio perfonarum, quæ tanto eft gravior, quanto in rebus divinis committitur. " Ex qua S. Thom. doctrina patet, majorem dignitatem unius præ alio non effe abfolute fpectandam & fimpliciter, fed refpective ad utilitatem Ecclefiæ, & bonum fidelium.

IV. Quando Beneficia ex fundatione, five ex jufta aliqua lege, ftatuto, confuetudine funt certo perfonarum generi vel cœtui tribuenda, tunc non funt quærendi digniores, vel etiam digniffimi extra cœtum illum, fed fufficit fi dignior eligatur inter perfonas ad Beneficium vocatas vel defignatas, alioquin perturbatio fequeretur in Ecclefia, ut cum quis alienigenam quæreret digniorem ut illi Beneficium conferret, quod ex lege nonnifi nationalibus, vel naturalibus eft conferendum. His prænotatis.

V. Non licet indignis ullum Ecclefiafticum Beneficium conferre. Ita ftatuit Trid. Concil. feff. 7. cap. 3. *Inferiora Beneficia præfertim curam animarum habentia perfonis dignis & habilibus conferantur .... aliter autem facta collatio & provifio omnino irritetur*. Antea idem edixerat Later. Conc. IV. in hæc verba: *Grave nimis, & abfurdum, quod quidam Ecclefiarum Prælati cum poffint viros idoneos ad Ecclefiaftica Beneficia promovere, affumere non vereantur indignos, quibus nec morum honeftas, neque litterarum fcientia fuffragatur, carnalitatis fequentes affectum, non judicium rationis: unde quanta in Ecclefia damna proveniant, nemo fanæ mentis ignorat*. Sed in re fatis aperta, & quam nullus eft qui impugnet, utpote naturali lumini conformem, non eft diutius immorandum.

VI. Beneficia tum fimplicia, tum curam ani-

animarum habentia dignioribus tantum sunt conferenda. Ita docuit D. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. scribens: " Dicendum, quod „ quantum ad hoc, quod electio impugnari „ non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, „ quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum „ commune. " Et ita statuit Trid. Concil. sess. 24. de Ref. cap. 1. dicens: " Omnes, „ & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habeat .... „ aut aliquam operam suam præstant ... „ hortatur, & monet ... alienis peccatis „ communicando mortaliter peccare, nisi „ quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles „ ipsi judicaverint, non quidem precibus, „ vel humano affectu, aut ambientium „ suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint. " Et licet Sacra Synodus præsertim loquatur de Beneficiis, quibus cura animarum commissa est, hunc tamen ordinem de digniore præferendo etiam in simplicibus beneficiis non excludit, & illum pervertere grave peccatum esse, nemo est qui non videat. Nam cum Beneficia quæcumque duplici titulo sint instituta, nimirum & ad utilitatem Ecclesiæ, & in præmium, ac mercedem illorum, qui & morum probitate excellunt, & litteris ac scientiis impensius operam navant, hunc duplicem titulum violat, qui minus dignum digniori præfert, etiam in beneficiis simplicibus; nam & Ecclesiam utiliore ministro privat, & digniorem debita privat mercede & præmio. Ideoque S.Th. loc. sup. laud. nullum apponit discrimen inter Beneficia simplicia & parochialia, & ordinis perversionem agnoscit in quacumque prælatione digni respectu dignioris 2. 2. q. 63. a. 3. ad 1. scribens: „ Si minus digni & simpliciter & per respectum ad bonum commune dignioribus præferantur, est peccatum acceptionis personarum in dispensatione spiritualium, quorum Prælatus Ecclesiasticus non est dominus, ut ea possit dare pro libito, sed est „ dispensator. " Legatur & aliud D. A. testimonium superius allatum ex Quodl. 6. a. 9. Sed videantur quæ diximus T. 2. Tract. 3. cap. 9. §. 5.

§. II.

De Beneficiorum pluralitate.

VII. Præter varia, quæ superius distinximus, Beneficiorum genera, aliam classem assignant juris canonici periti, scilicet in ea, quæ comparibilia dicuntur, & quæ incompatibilia. Priora sunt, quæ uniri simul possunt, quia unius Beneficii non impediunt officia, cujusmodi forent Beneficium parochiale, & Beneficium simplex sine residentiæ onere, vel duo Beneficia simplicia in eodem loco. Posteriora vero, quæ uniri non possunt, quia unius officia alterius munia impediunt. De jure incompatibilia sunt Beneficia, quæ fundatione vel consuetudine personalem residentiam requirunt in Ecclesiis, ubi sunt constituta, & hujusmodi sunt omnia Beneficia parochialia, & curam animarum habentia, ut Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus &c. Secundo sunt incompatibilia ea, quæ Officia, Dignitates, & Personatus dicuntur, ut Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Abbatiæ, Prioratus. Tertio Portiones & Canonicatus in Cathedralibus & Collegiatis, præcipue si sub eodem tecto sint. Et jure merito, cum hæc Bene-

Beneficia & personalem requirant residentiam, & pluralitatem, ac distinctionem personarum, ut Dei cultus ea qua par est decentia & honestate præstetur.

VIII. Certum est non licere duo obtinere Beneficia incompatibilia. Ita statuit Trid. Concil. sess. 24. de Ref. cap. 17. *Qui in præsenti plures parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere; alioquin tam parochiales, quam Beneficia omnia, quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur, nec ipsi ante illa obtinentes, tuta conscientia, fructus post dictum tempus retineant.*

IX. Nec plura Beneficia comparibilia licite obtineri possunt, sed lethaliter peccant qui obtinent, si unum congruæ sufficiat sustentationi. Ita laud. Concil. statuens cit. sess. *Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum* UNUM *tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.*

X. Beneficiorum pluralitas absolute & secundum se jure naturali interdicitur. Ita docet S. Th. quodl. 9. art. 15. " Habere plures præbendas plures in se inordinationes continet. „ Primo quia sequitur diminutio divini cultus, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiæ contulerunt, „ ut certus numerus Deo deservientium ibi „ esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum „ unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest. "

XI. Pluralitatem Beneficiorum damnant Concilia, detestantur Pontifices Summi, reprobant nobiliores Theologi. Damnatam eam vidimus, & quidem gravissimis verbis a Tridentina Synodo. Addimus X. Canonem Concilii Chalcedonensis jubentis: *Ne liceat Clericum conscribi in duabus Ecclesiis. Si vero jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel Martyriorum, quæ sub ea sunt, & Ptochotrophiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet.* Nicænum II. sedente Adriano I. act. 8. can. 15. statuit: *Clericus ab instanti tempore ne connumeretur duabus Ecclesiis. Negotiationis enim hoc est, & turpis lucri proprium, & ab ecclesiastica consuetudine alienum.* Basileense Concilium aperte dicit: *Fovetur pluralitate Beneficiorum ambitio execrabilis.* Detestantur Pontifices, Urbanus II. *Nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas prabendas habere.* Alexander III. in Concil. Later. scribit: *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diversas ecclesiasticas parochiales contra Sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere, ita ut cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicant plurimorum, ut de cetero ne fiat districtius prohibemus.* Reprobant Tgeologi. Thomas Cantipratensis lib. 1. Apum cap. 19. n. 5. scribit: *Vala, ut quicumque hac legerit, sciat, me anno ab Incarnatione Domini 1238. fuisse Parisiis, ubi Venerabilis Gulielmus Parisiensis Episcopus, qui in Theologia rexerat, conventionem fecit omnium Magistrorum in Capitulo FF. Prædicatorum. Proposita ergo quæstione de pluralitate Beneficiorum, solerti, & valde longa disputatione probatum est, duo Beneficia, dummodo unum valeret quindecim libras Parisienses* (putabatur satis

ſatis ad honeſtam ſuſtentationem] *teneri cum ſalute animæ non poſſe.* Genebrardus ſcribit : *Anno 1238. Theologi Pariſienſes poſt longam diſputationem definiunt , neminem poſſe duo Beneficia , ſi unum ſufficeret ad eum alendum , obtinere ſine mortali peccato* . Durandus in Libro de modo celebrandi generalis Concilii oblato Patribus in Concilio Viennenſi anni 1307. Rubrica 21. ſcribit : *Theologorum communiter hæc habet opinio , quod ſi unum habens Beneficium , de quo poteſt non laute , nec ad elationem , & pompam , ſed convenienter , & mediocriter ſuſtentari , recipiat , vel retineat aliud , mortaliter peccat* . Dionyſius Carthuſianus librum integrum conſcripſit *contra pluralitatem Beneficiorum* . Cardinalis Cajetanus in ſummula V. *Beneficium* §. *Mortale* , aperte docet : *habentem plura Beneficia, quorum unum ſufficiat ad ſui ſuſtentationem , peccare mortaliter* , & ſubdit : *Non eſſet abſolvendus , ut clariſſime patet* . Nec diſſentiunt recentiores Theologi . Cardinalis Bellarminus ad Nepotem ſuum ſcribit : *Sacri Canones horrent multiplicitatem Beneficiorum* . Contra quam citat S. Bernardi effatum : *Qui non unus , ſed plures eſt in Beneficiis , non unus, ſed plures erit in ſuppliciis* . Navarrus in Manuali *cap.* 25. n. 125. ſcribit : *Peccat mortaliter , qui habet multa Beneficia diviſim in titulum ... quare Confeſſarius non debet abſolvere habentem plura Beneficia* . Leſſius de juſt. & jur. lib. 2. cap. 34. diſp. 27. n. 137. ſcribit : *Pluralitatem Beneficiorum eſſe perverſionem totius ordinis eccleſiaſtici, & certum continere animarum periculum* . Et diſp. 28. n. 149. ſtatuit : *Eſt contra jus divinum naturale , ut unus habeat plura Beneficia, niſi aliqua juſta ratio id excuſet* . Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 8. dicit : *Ordinarie non eſt licitum , ſed cum naturali jure pugnat , quod Clericus habeat plure Beneficia, quorum unum ad honeſtam ejus ſuſtentationem ſufficiat.* Aliique pene innumeri afferri poſſunt .

XII. Pluralitas Beneficiorum non ita mala eſt , ut nullo in caſu unquam liceat . Ita S. Th. laud. quodl. 9. ubi ſic ſcribit : *Sunt vero quædam actiones , quæ abſolute conſiderata deformitatem , vel inordinationem quamdam important ; quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus bonæ efficiuntur ; ſicut occidere hominem , vel percutere , in ſe deformitatem quamdam importat ; ſed ſi addatur occidere malefactorem propter juſtitiam, vel percutere delinquentem cauſa diſciplinæ , non erit peccatum , ſed virtuoſum . In numero harum actionum videtur eſſe habere plures præbendas . Quamvis enim aliquas inordinationes contineat ; tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita honeſtantes actum , quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur : ut puta , ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequii , vel poſſit plus ſervire Eccleſiæ , vel tantumdem abſens , quam alius præſens , & ſi qua alia ſunt hujuſmodi . Et tunc iſtis conditionibus ſupervenientibus cum recta intentione , non erit peccatum , etiam nulla diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantum jus naturale : quia diſpenſatio ad jus naturale non pertinet , ſed ſolum ad poſitivum* .

XIII. Juſtæ ſubeſſe poſſunt cauſæ, ut quis plura habeat Beneficia , quæ tamen non bonum obtinentis reſpiciant , ſed ſolam neceſſitatem & utilitatem Eccleſiæ . Ita docet S. Bernardus lib. 3. ad Eugen. cap. 4. *Ubi neceſſitas urget , excuſabilis diſpenſatio , ubi utilitas provocat , laudabilis eſt ; utilitas dico communis , non propria . Nam cum nihil horum eſt , non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt* . Confirmat D. Th. laud. Opuſc. ſcribens : " Licitum non eſt habere „ plures præbendas , ſi non adſint illæ cir„ cumſtantiæ , quæ iſtud vetitum poterunt „ cohoneſtare , *quantumcumque diſpenſatio in„ terveniat* : eo quod diſpenſatio humana „ non

„ non aufert ligamen juris naturalis, sed „ solum ligamen juris positivi, quod per „ hominem statuitur, ac per hominem dis- „ pensari potest ... Non est contra jus na- „ turale habere plures præbendas, si præ- „ dictæ inordinationes (*habentur in textu citato n. 12.*) totaliter evacuentur, ut „ puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis „ ejus obsequii, ut possit plus servire Ec- „ clesiæ, vel tantumdem absens, quam „ præsens, & si quæ aliæ hujusmodi [quæ „ videlicet *vel necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ respiciant*). Si vero aliquis hac in- „ tentione plura habeat Beneficia, ut sit „ ditior, ut lautius vivat, ut facilius ad „ Episcopatum perveniat(ne utilitates perso- „ næ) non tolluntur prædictæ deformitates, „ sed augentur.

C A P U T VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Indignus, qui Beneficium cum cura animarum petit, peccat mortaliter*.

II. *Sicut qui sibi tanquam digno, excluso digniore, postulat*.

III. *Et etiam qui sibi tanquam digniori procurat*.

IV. *Beneficia etiam simplicia sunt solum dignioribus conferenda*.

V. *Licet tamen Beneficium simplex etiam digno conferre, si indigeat*.

VI. *Patroni, Electores, Collatores, Institutores Beneficia tam curata, quam simplicia sub gravi peccato tenentur dignioribus conferre*.

VII. *Resignantes vel permutantes Beneficia tenentur digniorem eligere*.

V. *Peccat Clericus & quidem graviter, si concurrat ad Beneficium cum alio, quem novit se digniorem, licet id faciat honoris causa*.

IX. *Ad Examinatores in concursu non pertinet judicium ferre, quinam sit dignior, nisi interrogentur*.

X. *Licet non sit vetitum Episcopis, vel Superioribus in pari merito, aptitudine, & dignitate suos consanguineos præferre, ab eorum tamen electione abstinere debent, si scandalum vereantur*.

XI. *Non licet dignum præferre digniori, nec quando excessus, seu disparitas unius supra alium sit levis, vel exigua*.

XII. *Propositio ab Innoc. XI. damnata*.

XIII. *Qui in Beneficiis quoquo modo concedendis male se gessit justitiam violando, ad restitutionem tenetur, quandoque & injuste læso, & Ecclesiæ, sive Communitati*.

XIV. *Regulares quoque suos Superiores quocumque nomine nuncupatos curam animarum habentes ex dignioribus seligere debent*.

XV. *Sola Pontificia dispensatio non sufficit ad plura Beneficia sive compatibilia sive incompatibilia tuta conscientia, & sine gravi peccato retinenda, sed etiam justa requiritur causa*.

XVI. *Ad habenda plura Beneficia non satis est, si adsit justissima causa, sed requiritur etiam dispensatio*.

XVII. *Justa causa possidendi plura Beneficia non est sublimis nobilitas obtinentis*.

XVIII. *Nec merita, nec prærogativæ personæ sunt de se sufficientes causæ obtinendi plura Beneficia*.

XIX. *Nec splendor aut decentia gradus Episcopalis, vel Archiepiscopalis esse potest justa causa habendi plura Beneficia*.

XX. *Nulli licet etiam eminentissimæ dignitatis causa plura Beneficia ne quidem simplicia retinere, quando unum sufficiens est ad Beneficiati sustentationem*.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. INDIGNUS, qui nimirum est doctrina, vel virtute & prudentia destitutus, Beneficium cum cura animarum petens peccat

cat gravissime, sicut qui illum nominat, eligit, instituit, & confirmat. Evidens est propositio, quia ille nec est a Deo vocatus, cum istos potius ipse repellat. Ecclesiæ autem, fundatorumque voluntates eludit, qui non nisi dignis volunt Beneficia conferri, denique & suam & proximorum animas periculo æternæ damnationis exponit, cum nec ipsa munia sua implere valeat, & proximorum saluti & necessitati nequeat providere. Hinc audiendi non sunt Casuistæ, qui docent, qui est Indignus, si officium vel Beneficium ambiat, peccare venialiter, nec fieri mortale nisi ratione materiæ vel medii, puta quærendo per Simoniam, vel ratione damni. Pariter quoque gravissime peccare, qui tales nominat, eligit, instituit, confirmat, patet: quia [inquit Tridentinum Concilium] *alienis peccatis, & quidem gravissimis, communicant.*

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Qui Beneficium cum cura animarum appetit pro se, utpote digno, excluso digniore, peccat gravissime, & pariter gravi crimine polluuntur eligentes, instituentes, confirmantes. Et primo quidem peccat dum se dignum reputat, cum nemo dignus sit, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron; porro qui pro se vel per se, vel per alium Beneficium petit, non est vocatus tanquam Aaron, sed ultro se ingerit. Peccat præterea, quia judicium & quidem gravissimum, & difficillimum de dignitate ad Beneficia, quod ad alios spectat, sibi attribuit, & in sui favorem sententiam pronuntiat. Audiatur S. Th. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. „ Si aliquis pro se roget, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione „ redditur indignus, & sic preces sunt de „ indigno. " Tertio injuriam irrogat Ecclesiæ, & proximo, cum illam digniore ministro privet, & digniorem repellat. Ipsius autem electores, confirmatores, institutores graviter peccare constat ratione superius allata, & aliis cap. præced. n. 6.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Qui Beneficia præfata petit pro se, utpote digniore, peccat lethaliter, & eo ipso se indignum ostendit. Ipsum excusare videtur Layman, qui lib. 4. cap. 15. n. 10. sic scribit: *Episcopatum, aliamque prælaturam appetere principaliter propter Dei honorem, & salutem animarum promovendam, secundario vero propter bona temporalia, non est illicitum, si aliquæ conditiones adsint. Primo, ut qui Prælaturam appetit, ea dignus sit. Secundo, ut alius non adsit ad regendum magis idoneus, ex cujus promotione Ecclesia majus commodum acceptura sit.* At amabo quis judicium fert de dignitate ejus, qui petit Beneficium, nonne ipse qui petit, licet fortassis aliorum suggestione, adulatione? Ergo jam indignus factus est, ut docet S. Th. mox citatus, & confirmant omnes Patres. D. Bernardus de Consid. cap. 4. *Alius pro alio, alius forte & pro se roget. Pro quo rogaris sit suspectus, qui ipse pro se rogat jam judicatus est, nec interest per se, an per alium quis roget.* S. Gregorius M. can. *Sicut* Caus. 1. q. 6. *Sicut is, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est Altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius ad profunda descendat?* Quid quod? Hic non solum se dignum judicare debet, sed juxta Laymanum omnium dignissimum, quippe qui judicare debet, quod *non alius adsit ad regendam Ecclesiam magis idoneus.* Quis non videat hanc esse superbiam pharisaica longe pejoram? Pharisæus enim ajebat: *Non sum sicut*

ut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri; hic autem debet dicere Deo & Ecclesiæ, non sum sicut ceteri hominum probi, pii, justi, idonei, sed optimus, piissimus, justissimus, supra omnes idoneus. Et tamen juxta Laymanum ita de se sentire debet, ut in petitione Episcopatus, alteriusve Beneficii non peccet, nec quid illicitum committat. Pugnantia itaque docet laudatus Doctor, & licitum esse statuit, quod ex appositis conditionibus omnino illicitum esse patet manifeste. Recolantur quæ dicta sunt Dissert. 4. de vitiis capitalibus cap. 2. consect. 7 & 8. ubi argumenta desumpta ex Apostolo, tum ex consuetudine, tum ex concursu ad Beneficia omnino soluta sunt.

Consectarium quartum.

IV. Beneficia etiam simplicia solum dignioribus sunt conferenda. Ita aperte docet D. Thomas 2. 2. q. 63 a. 2. ubi quæstionem instituens in universali, *num in spiritualibus locum habeat acceptio personarum*, in resp. ad 3. hanc autem statuit regulam: *Dicendum, quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem: quia sic omnis electio posset habere calumniam: sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc sit propter aliquam causam: quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus; si vero non pertineat ad negotium, id quod consideratur ut causa, erit manifeste acceptio personæ.* Ubi notanda est ratio S. D., quæ sic explicari potest: ob aliquam causam debes unum alteri præferre; porro hæc causa est vel extranea negotio, id est Beneficio, ministerio, ad quod ille eligitur, vel extranea utilitati Ecclesiæ, & bono communi, & tunc est acceptio personarum, & eligens minus dignum peccat; vel pertinet ad negotium, idest præeligis qui est aptior ministerio, quia utilior Ecclesiæ, vel bono communi, & sic quidem optime facis, quippe qui digniorem præfers, & eligis. Bene optime, inquiunt Wigandt, Belluart Thomistæ, Lessius, Cabassutius, aliique Theologi, at hæc acceptio personarum non est peccatum mortale, sed veniale, ac proinde in Beneficiis simplicibus, præsertim minoris momenti, præferens digniorem digno non peccat lethaliter. Addunt etiam aliqui consuetudinem prævalere, quippe quia *Prælati, & etiam ipse Papa* (scribit Wigandt) *parum curantes de dignioribus, Beneficia simplicia conferunt dignis*. At hæc doctrina certe minus probabilis mihi videtur. Nam certum est, acceptionem personarum, cum justitiam violet, & damnum pariat & bono communi & proximo, esse de se mortale sicut sunt omnia crimina contra justitiam, nec fieri venialia, nisi ratione parvitatis materiæ. At quis Beneficia Ecclesiastica, quæ munia secum ferunt divina, vel choro adsistentiam, & Ecclesiasticorum negotiorum procurationem, ut Canonicatus & Dignitates, vel Sacrificii celebrationem, vel onus concionandi, & catechizandi, dicat esse res minoris momenti, & facile negligendas? Accedit damnum, quod infertur digniori, qui jus habet præ alio ad Beneficia, qui privatur & dignitate & emolumento, qui conqueri jure poterit non de levi, sed de gravi injuria, & damno sibi irrogatis. Denique & ipsum bonum commune Ecclesiæ violatur, quæ Ministros, non quoscumque, sed aptiores dignioresque, cum potest habere, jure exposcit. Nec ab hac doctrina

dissentit D. Ang. dum in corp. art. spiritualia enumerat inter res non levis, non gravis, sed gravioris momenti, scribens: *Acceptio personarum est peccatum in quantum contrariatur justitiæ* l.c. " Quanto autem in „ majoribus aliquis justitiam transgreditur, „ tanto gravius peccat. Unde cum spiri„ tualia sint temporalibus potioria, gravius „ peccatum est personas accipere in dis„ pensatione spiritualium, quam in dis„ pensatione temporalium ". Ad consuetu„ dinem, quam objicit, jam diximus in „ Diss. 4. de peccatis capitalibus cap. 2. confect. 7. Christum non dixisse, *Ego sum consuetudo*, sed, *Ego sum via, veritas, & vita*, ut probe intelligeremus, non ex pravis hominum moribus esse humanæ vitæ officia dijudicanda. Hic vero addimus, falso hanc consuetudinem præsumi, & gravem injuriam inferri Prælatis, & Summis Pontificibus, dum eos parum sollicitos esse supponunt de gloria Dei, de Ecclesiæ bono, quod maxime a dignioribus Ministris pendet, & de ovium suarum salute. Quod quam verum sit, audiant quid statuerit Benedictus XIII. in Synodo Romana cap. 5. *In conferendis Canonicatibus, aliisque etiam Beneficiis simplicibus Episcopi non carnem respiciant, & sanguinem, sed servitium attendant, & qualitates providendorum. Advigilent etiam in faciendis collationibus, ne alii esuriant, & alii ebrii sint, justitia semper distributiva servetur prudenti Collatorum arbitrio regulata.* Ita docent Pontifices Summi, ita operantur Episcopi communiter. Quod si quis fortassis exorbitaverit, non illico obtrudenda consuetudo, sed humanæ tribuendum infirmitati, & falsæ doctrinæ nonnullorum, quibus ipsi fortassis bona fide adhæserunt.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Licet tamen Beneficium simplex etiam digno conferre, si indigeat. Ita docent D. Th. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. cujus verba attulimus laud. super. Diss. 4. c. 2. confect. 9. & S. Raymundus l. c. laudatus. Nec hocce Consectarium superiori adversatur doctrinæ, nam indigentia, & paupertas, licet alium alio digniorem non reddat, pertinet tamen ad bonum commune Ecclesiæ, ut ejus Ministri indigentes ab ipsa Ecclesia sustententur, præsertim cum ecclesiastica Beneficia sint etiam in sustentationem pauperum instituta. Sic Parocho seni & infirmo, qui Parœciam non valet amplius administrare, & reditus sunt adeo exigui, ut pensione non debeant gravari, licebit simplex Beneficium conferre, quo senectam, & vitam suam valeat sustentare. Ratio autem communis boni in alio casu efficere potest, ut dignus digniori præferatur. Exemplum affert Sylvius. *Si duo Beneficia simul vacent, unum simplex & optimum, aliud Parochiale & tenue, potest subinde conferri illud optimum minus digno, & tenue digniori absque culpa, ut quando iste dignior est necessarius isti Ecclesiæ, utpote requirenti doctum quempiam, & industrium Pastorem, utilitas enim Ecclesiæ debet præferri privatæ.* Quod verum puto etiam in duobus Parochialibus Beneficiis, si idem contingeret.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Patroni, Electores, Collatores, Institutores tenentur Beneficia tum simplicia, tum curam animarum habentia dignioribus conferre sub gravi peccato. Hujus propositionis veritatem ostendunt ea omnia, quæ superius protulimus, argumenta ex SS. PP. & Conciliorum doctrina, desumpta ex utilitate Ecclesiæ, ex justitiæ distributivæ justa administratione, ex peccato acceptionis personarum, quo polluuntur qui digniore relicto dignum eligunt. Solum tunc Episcopus vel

vel Superior non peccat instituens dignum a Patrono sibi præsentatum, nam ipsi liberum non est alium in Beneficio instituere, nisi quem præsentaverit Patronus, nisi sit ineptus, vel indignus, qui tamen tenetur digniorem præsentare juxta Concilii Trid. Decretum, quod ab hoc onere eligendi digniores neminem prorsus excipit, hisce gravissimis verbis: " Omnes vero & singulos, qui " ad promotionem præficiendorum *quodcumque jus*, *quacumque ratione* a Sede Apostolica habeant, *aut aliquam operam præstant*, " hortatur & monet . . . . eos al enis peccatis communicantes mortaliter peccare, " nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint ". Porro Patroni & *jus habent*, & *aliquam operam præstant* in promotione præficiendorum; ergo tenentur digniores præsentare. Quod verum est etiam respectu ipsius Fundatoris Beneficii, cui quidem Ecclesia concedit, ut præsentare possit quem ipse digniorem reputaverit, non vero quod digniorem digno postponat, cum hoc sit contra Ecclesiæ Canones, & distributivæ adversetur justitiæ, & acceptionis personarum vitium importet. Hinc optime monet Sylvius 2. 2. q. 63. art. 2. concl. 4. *Quando agitur de Beneficiis curatis, non videtur licitum ea sic fundare vel dotare, ut perpetuo futuris temporibus debeat assumi dignus de sanguine fundatoris, aut aliquis de ipso pago, vel oppido, etiamsi alius notabiliter magis idoneus se offerat, neque talis conditio est ab Ecclesia acceptanda.*

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Resignantes, vel permutantes Beneficia digniorem eligere tenentur. Non desunt Theologi, qui hos ab onere eligendi digniorem eximunt, quia ipsi non sunt nec Collatores, nec Institutores, nec Patroni Beneficiorum, & cum ipsi jus habeant Beneficium sibi retinendi, possunt, quibus sibi libet, vel resignare, vel commutare, dummodo digni sint, est enim vel gratuita cessio, vel favorabilis permutatio. Verum falsa est, & improbabilis hæc doctrina, cum & ipsi in Decreto Concilii Trid. comprehendantur in illis verbis. *Qui aliquam operam præstant*. Proinde jure meritoque illos refellunt Dominicus Soto lib. 3. quæst. 6. art. 2. & Navarrus Miscell de Oratione 38. docentes: *Ejusmodi resignatorem non esse excusandum, quia, etsi ipse non sit Collator, vel Patronus, est tamen causa, cur illud Beneficium conferatur minus idoneo. Qui autem causam dat, damnum dedisse videtur. Neque illi soli peccant, qui ipsum opus peccati faciunt, sed etiam qui vel causa sunt ut fiat. Ac proinde sive cognati, sive amici sint, qui talem resignationem procurant, graviter delinquunt.* Causas autem, sive quas obtendunt excusationes, optime refellit Sylvius scribens: *Talem excusationem nos haud facile admitteremus: partim quia ipse Beneficiarius jus acquisitum habet in Beneficio, quæ causa est, ut illud retinere possit, non habet jus acquisitum ut in eum conferri curet, quem noscit minus idoneum alio, qui posset illud consequi si vacaret: partim quia plerumque accidit, quod resignans sit senex, & spes affulget successurum ei alium notabiliter magis idoneum, resignatarius vero sit juvenis post quem non est spes de magis idoneo successore, nisi post annos plurimos.* Inde concludit: *Ex his similibus causis etiam improbandas arbitramur permutationes, seu renuntiationes illas, quibus aliqui senes, alioquin exemplares & eruditi, magna & singula Beneficia resignant in favorem nepotum, & amicorum exiguæ eruditionis ac virtutis, hoc spectantes, tum ut eis ante mortem provideat, tum ne istiusmodi Beneficia extra suam familiam, aut amicos conferantur.*

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Peccat Clericus & quidem graviter, si ad Beneficium curatum concurrat cum alio, quem novit longe se digniorem, licet id faciat honoris causa, non intentione obtinendi Beneficium. Ita docet Sylvius in 2. 2. q. 63. art. 2. concl. 4. scribens: *Minus dignus concurrens cum eo, qui certe ac manifeste est notabiliter dignior, non videtur a peccato mortali excusandus, quia quantum in se est, partim impedit digniorem, partim dat causam Examinatoribus aut Patronis peccandi mortaliter in sua promotione. Ita Navar. de Orat. cap 40. Dixi certo ac manifeste, quia si alterius major idoneitas sit dubia, putetque Examinatores posse aliquid in ipso advertere, ob quod eum judicarent æque dignum, non peccat bona fide se præsentans, remque totam Examinatorum judicio relinquens.* Quod autem non liceat nec honoris causa, ostendit idem Auctor subdens: *Respondent Navarrus non excusari, quia non licet quærere honorem, vel commodum cum injuria proximi, quemadmodum S. Ambrosius can.* Si quis vero quæst. 3. *dicit, Ex veritatis est regula, ut nihil facias commendandi tui causa, quo minor alius fiat.* Vide T. 2. tract. 3. cap. 3. n. 9.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Ad Examinatores in concursu judicium ferre non pertinet, quinam sit dignior, nisi interrogentur. Quod non teneantur suum judicium proferre, patet tum ex Tridentino statuente sess. 14. cap. 8. *Peracto examine renuntientur ab his* (Examinatoribus) *qui idonei judicati fuerint ..... ex hisce Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit*: tum ex Sacra Congregatione, quæ, ut refert Card. de Lugo lib. 2. cap. 9. *Censuit non pertinere ad Examinatores, sed ad solum Episcopum judicare, quis ex concurrentibus ad Parochialem vacantem sit magis idoneus: & in Concilio Tridentino tantum habetur, ut Examinatores peracto examine renuntient Episcopo quicumque ab ipsis idonei judicati fuerint.* Si vero interrogati fuerint, procul dubio tenentur veritatem dicere, cum ex officio Examinatoris, ad quod assumpti sunt, ad adjuvandum Episcopum in electione dignioris teneantur.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Licet non sit vetitum Episcopis, vel Superioribus in pari merito, aptitudine, & dignitate consanguineos suos præferre, ab eorum tamen electione abstinere debent, si scandalum vereantur. Hocce Consectarium est ex S. Thom. doctrina depromptum, qui 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1. scribit: " Circa „ consanguineos Prælati distinguendum est. „ Quandoque enim sunt minus digni & sim„ pliciter, & per respectum ad bonum com„ mune: & sic si dignioribus præferantur, „ est peccatum personarum acceptionis in „ dispensatione spiritualium, quorum Præ„ latus ecclesiasticus non est dominus, ut „ possit ea dare pro libito, sed dispensator, „ secundum illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos exi„ stimet homo, ut ministros Christi, & di„ spensatores mysteriorum Dei*, Quandoque „ vero consanguinei Prælati ecclesiastici sunt „ æque digni ut alii: & sic licite potest abs„ que personarum acceptione consanguineos „ suos præferre: quia saltem in hoc præemi„ nent, quod de ipsis magis confidere po„ test, ut unanimiter secum negotia Eccle„ siæ tractent. Esset tamen hoc propter „ scandalum dimittendum, si ex hoc ali„ qui exemplum sumerent, etiam præter „ dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis „ dandi ". Recolantur dicta T. 2. tract. 3. cap. 10. n. 3.

CON-

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Non licet dignum præferre digniori, nec quando excessus, sive disparitas unius supra alium sit levis vel exigui momenti. Et certe veniale peccatum esse fatentur etiam benigniores Theologi, inter quos Sylvius in 2. 2. q. 63. art. 3. concl. 1. scribit: *Si disparitas est valde exigua, sicut in aliis peccatis levitas materiæ excusat a mortali, ita etiam in hoc.* Verum res mihi videtur plena periculi; quis enim adeo justas lances habet, & perfectas, ut & minutiora discrimina ponderare valeat & metiri? & fortasis quod uni leve videtur, alteri grave apparebit, & in re obscurissima versamur, ex qua plura consequi possunt, quæ in electione non discernantur; ea enim major dignitas licet exigua, temporis progressu multa bona parere potest tum Ecclesiæ, tum populo fideli, quibus bonis careret, vel ea non perciperet a minus digno licet exigue. Præterea in præferendo digniore & Tridentini præceptum custoditur, & justitia distributiva rite administratur, & omne damni abest periculum. Qua ergo ratione salutem animæ discrimini committere debet Elector, Collator, Patronus minus dignum eligendo? At certe vera mihi non videtur, nec probabilis doctrina Sanchezii asserentis, minus dignum etiam longe digniori præferre veniale esse, si excessus ex parte Beneficii sit exiguus, quia tunc exiguum detrimentum illi affertur. Nam primo hoc detrimentum non est adeo leve reputandum, cum Beneficia perpetua sint, & per plures annos possidenda, ac proinde non exiguo privatur emolumento dignior, qui excluditur. Finge Beneficium unum centum aureos in reditibus habere, alterum vero centum & decem, excessus videtur ex se exiguus, at progressu temporis adeo crescit, ut non amplius detrimentum exiguum appareat, sed grave. At esto leve sit privati damnum, verum Ecclesia illa, quæ uberiores reditus habet, etiam digniorem expostulat habere Rectorem, at hoc Beneficio privatur illa, dum minus dignus illi conceditur, & hoc damnum non leve est, nec exigui momenti, cum supponamus alterum postpositum notabiliter alio esse digniorem, proinde notabile est detrimentum, & eo gravius, quia in Beneficiorum distributione primo ratio habenda est splendoris, honoris, utilitatis Ecclesiæ, & secundo loco tantum majoris vel minoris redituum opulentiæ. Non licebit ergo in eo casu sine gravi culpa minus dignum alteri notabiliter digniori præferre. Vide loc. superius citatum, num. 10.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Rejicienda est ut falsa omnino & improbabilis doctrina Tamburini, Pilliucii, aliorumque Theologorum, qui Concilium Tridentinum male interpretantes docent, posse Beneficia etiam majora, & curam animarum habentia sine lethali culpa solum dignis conferri, rel ctis dignioribus. Id patet manifeste ex propositione 47. ab Innoc. XI. damnata, quæ docebat: *Cum Tridentinum Concilium dixit, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesiam promovent, Concilium vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundo, locutione minus propria ponit* digniores, *ut excludat indignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Quam propositionem hac censura notavit Conventus Cleri Gallicani anno 1720. *Hæc propositio Concilio Tridentino contraria est, Ecclesiæ utilitati ac saluti animarum, quæ a Pastorum delectu præcipue pendet, adversatur.*

CON.

Consectarium Decimumtertium

XIII. Qui in Beneficiis quoquomodo concedendis male se gessit, justitiam violando, ad restitutionem tenetur, quandoque & injuste læso, & Ecclesiæ, sive Communitati. Et primo quidem quod & quomodo teneatur læsum resarcire, explicat & ostendit S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. scribens: „ Aliquis potest impedire aliquem, ne habeat præbendam, multipliciter. Uno modo juste; puta si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procuret quod detur alicui personæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel ad aliquam recompensationem faciendam. Alio modo injuste; puta si intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujusmodi: & tunc si impedit, ne præbenda detur digno, consulens quod non detur, antequam sit firmatum quod ei detur tenetur quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotii secundum arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero jam firmatum sit, quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret, quod revocetur, idem est ac si jam habitam ei auferret: & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem ". Quod autem restituere teneatur Ecclesiæ, vel Communitati illi, cui damnum affert præficiendo vel indignum, vel minus dignum, patet ex ipso naturæ jure percipientis, ut illata damna reparentur. Attendant itaque, & sibi consulant, qui hujusmodi præfecerunt, & serio videant, quæ & qualia intulerint damna Ecclesiæ isti male promoti, vel muneri suo non satisfaciendo, vel bona Ecclesiæ dissipando, vel scandalis oves suas perdendo, & omni quo possunt meliori modo ea studeant reparare.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Regulares quoque suos Superiores quocumque nomine nuncupatos curam animarum habentes ex dignioribus seligere debent. Licet enim Regulares Præposituræ proprie Beneficia non sint, ut superius diximus, quippe quia nec perpetuitatem habent, nec jus percipiendi fructus, nihilominus tamen secius Beneficiis æquiparantur in muneribus & officiis, cum & curam habeant animarum, & ex illorum probitate, prudentia, sapientia, aliisque dotibus maxime Regularis observantia dependeat. Præterea locum habet etiam in istis vitium acceptionis personarum; quod in re magni momenti non leve peccatum est. Et quidem negotium magni momenti esse Præsulum & Superiorum in sacris Ordinibus delectum, nemo esse potest non dicam alicujus pietatis, sed sanæ mentis, qui possit inficiari, cum in his etiam ad litteram verum appareat Prophetæ effatum *Sicut populus, sic Sacerdos*. Si enim Præsul Regularis sit morum probitate, zelo regularis observantiæ, prudentia, sapientia, caritate egregius, plurimum vigent & florent in Monasterio Regularis observantia, pietas, frequentia orationis, silentium, & litterarum studium; e contra heu quanta irruunt mala, dum præsunt Superiores desides, faciles, libertatis amatores, indocti! Non satis itaque sibi cavere possunt electores, ut suæ saluti prospiciant, facile enim subrepunt philautia, partium studia, affectiones, quæ in his electionibus facile intellectum obnubilant, & voluntatem pervertunt. In aliquibus etiam Religiosis Ordinibus, vel sub formali præcepto, vel per jusjurandum, quod præstare debent, ad electionem digniore

ris coarctantur, ac proinde in illis electorea speciali nomine ad electionem dignioris tenentur.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Sola Pontificia dispensatio non sufficit ad plura Beneficia sive compatibilia, sive Incompatibilia, tuta conscientia, & sine gravi peccato retinenda, sed etiam justa requiritur causa. Ita expresse D. Th. Quodl. 9. art. 15. " Si an„ tiqua jura sunt per desuetudinem abro„ gata, tunc prædictis circumstantiis su„ pervenientibus etiam sine dispensatione „ licitum est plures Præbendas habere, sine „ quibus circumstantiis licitum non est, „ quantumcumque dispensatio interveniat, „ eo quod *dispensatio humana non aufert li*„ *gamen juris naturalis*, sed solum juris po„ sitivi, quod per hominem statuitur, & „ per hominem dispensari potest. " Doc„ trinæ A. P. adhæret Cardinalis Cajetanus „ ejus fidissimus interpres, scribens in summula V. *Beneficium*: *Nec excusatur peccatum mortale propter dispensationem Papæ sine rationabili causa, quoniam dispensatio Papæ cadit super jus positivum, & non super jus divinum & morale. Pluralitas autem Beneficiorum sine rationabili causa est contra jus divinum & morale, quo communia Ecclesiæ bona distribui juste debent partibus Ecclesiæ. Et propterea qui hæc parvipendet, quia sic communiter a tot fit, & quia forte Papa dispensando dissipavit, non esset absolvendus, ut absque alia probatione clare patet*. Cardinalis Bellarminus iu Epistola ad Nepotem suum: *Sed quia multi multa Beneficia ex dispensatione Pontificia possident, sciendum est, Pontificiam dispensationem, quando non est justa causa dispensandi, valere in foro fori, non in foro poli, ut aperte docet S. Thomas*. Cardinalis Toletus lib. 5. cap. 80. *Sed adverte in foro exteriori, ut possit quis habere plura Beneficia, satis est dispensatio. Tamen ut in conscientia, & coram Deo tutus sit, necessaria etiam est causa dispensationis, hæc autem causa debet esse in utilitatem Ecclesiæ*.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Ad habenda plura Beneficia non satis est, si adsit justissima causa, sed requiritur etiam dispensatio. Manifesta est hæc propsitio. Quia plura habere Beneficia, nisi adsint legitimæ causæ, quæ deordinationem tollant, adversatur, ut vidimus, juri naturæ. At quando & istæ adsunt, adhuc obstant Conciliorum & SS. Pontificum decreta hujusmodi pluralitatem vetantia; quare necessaria est Ecclesiæ dispensatio. Unde optime subdit Cardinalis Toletus post verba mox citata: *Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo. Rursus quamvis ista causa sit, non potest sine dispensatione habere plura Beneficia pinguia, quia est contra Concilium, sed utrumque est necessarium, dispensatio cum causa conveniens*. Nec adversatur D. Th. cum dicit: *Si antiqua jura sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circumstantiis supervenientibus etiam sine dispensatione licitum est plures prœbendas habere*. Nam D. Ang. non absolute pronuntiat antiqua jura esse abrogata, sed hypothetice si sint abrogata ut ostendat pluralitati Beneficiorum obsistere nedum leges canonicas, sed & naturæ jura. Non esse autem contraria consuetudine abrogata certum est, cum semper contra hanc consuetudinem reclamaverint Concilia & generalia, & provincialia, & Summi Pontifices, & novissime ea omnia instauraverit, & suo decreto munierit Tridentina Synodus.

CON-

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Justa causa possidendi plura Beneficia non est sublimis nobilitas obtinentis. Patet primo, quia Concilium Tridentinum a pluralitate Beneficiorum *quascumque personas etiam Cardinalatus honore fulgentes repellit, & Decretum suum mandat observari ... & statuit, ut in posterum UNUM tantum Beneficium ecclesiasticum singulis conferatur.* Præterea nobilitas licet eximia, & sublimis, nisi in utilitatem influat Ecclesiæ, vel ex necessitate fit in promovendo requirenda, extranea omnino est servitio & ministerio Ecclesiæ, cui æque, & multo utilius servire possunt etiam inferioris gradus & nobilitatis Clerici. Quod autem de se fit extranea ministeriis ecclesiasticis, ostendit D. Paulus, dum ait 1. ad Corinth. 1. v. 26. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ... & ignobilia, & contemptibilia elegit Deus ... ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Et revera hujusmodi est praxis etiam hodiernæ Romanæ Ecclesiæ, nam Clemens XII, duo edidit hac de re decreta a Benedicto XIV. in suo Opere vero au eo de Synodo Diœcesana primo vulgata T. 2. lib. 13 cap. 8. n. 8. in quorum primo sic statuit: *SS. Dominus Noster Clemens XII, animadvertens minime expedire, quod Episcopus in Germania, etiamsi sublimibus familiis orti sint, tam facilis concedatur dispensatio ad effectum retinendi simul tres, vel quatuor, ac etiam quinque Cathedrales Ecclesias ... Si iis, cui alicui jam præsint Ecclesiæ, justis de causis a Sede Apostolica aut jam jure concessum, aut deinceps concedi contigerit indultum eligibilitatis ad aliam, declarat Sanctitas sua non per hoc censeri liberam eandem dispensationem ad ejusdem simul retinendi prædictam quoque aliam Ecclesiam, postquam electio peracta fuerit; sed antequam electio ipsa a Sede Apostolica confirmetur, summa maturitate esse examinandum, an UTILITAS, vel NECESSITAS earum Ecclesiarum, & Catholicæ Religionis tuendæ ratio postulet impertiri hujusmodi dispensationem pro omnium retentione.* In altero vero Decreto statuit, *ut nec indultum eligibilitatis ad aliam concedatur, nisi causæ cognitione præmissa.* Non est ergo probabilis habenda doctrina Busembaum, & aliorum Theologorum, qui inter justas causas obtinendi plura Beneficia enumerant etiam *insignem nobilitatem personæ*, ut quid distinctum ab utilitate & necessitate Ecclesiæ.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Nec merita, nec prærogativæ per se sunt de se sufficientes causæ obtinendi plura Beneficia. Nam & hæ, si non conferant ad utilitatem Ecclesiæ, vel necessariæ omnino sint, non tollunt inordinationes, quas D. Th. dicit in se continere habere plures præbendas, cujusmodi sunt *diminutio cultus divini, fraudatio testatorum, qui ad hoc aliqua bona contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset, inæqualitas dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum ce u vere potest.* Præterea inter eximias prærogativas præsertim enumeratur singularis probitas, summa scientia, præclara merita. Verum qui his decorantur dotibus, fugiunt potius pluralitatem Beneficiorum, & detestantur, quam vel petant vel quærant, vel etiam ultro oblata excipiant: quod si expetant, jam evanescit decantata probitas; se enim vix dignos ostendunt Beneficio quod obtinent, cum nihil sit magis viro Religioso indigoum, quam avaritia & cupiditas abundandi. Nec huic doctrinæ adversatur Innoc. III. lib. 3. Decret. tit. 5. cap. 28. de multa dictum, Circa-

Circa sublimes tamen & literatas personas, quæ majoribus Beneficiis *sunt honoranda, cum ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari*, ut plures obtineant præbendas. Nam Pontifex præter *sublimitatem* & *litteras*, addit etiam *cum ratio postulaverit*: porro quænam alia ratio postulabit plura Beneficia uni sublimi & litterato concedi, nisi ipsa utilitas vel necessitas Ecclesiæ, quæ tales postulet sublimes & litteratas personas? Eximia vero merita remunerantur Pontifices non per pluralitatem Beneficiorum, sed per sublimiores Cathedras, & nobiliores Dignitates.

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM

XIX. Nec splendor aut decentia gradus Episcopalis, vel Archiepiscopalis esse potest justa causa habendi plura Beneficia. Ratio est, quia vix reperire est ullum tale Beneficium, quod possidenti necessaria non suppediter ad status sui decorem & decentiam, si intra limites suos se velit continere juxta Synodorum & Canonum Ecclesiæ statuta. Concilium Carthaginense IV. de Episcopis sic statuit: *Episcopus vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide ac vitæ meritis quærat*. Et S. Bernardus ad Fulconem Archidiaconum sic scribebat: *Conceditur tibi, ut si bene deservis, de Altario vivas; non autem ut de Altario luxurieris, ut de Altario superbias, ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea a collo & manibus ornatu purpureo diversificata*. Quod si forte reditus Episcopatus vere ad decentem Episcopi sustentationem non sufficiant, jam huic indigentiæ consuluit S. Synodus Tridentina concedens, ut superaddi possit Beneficium simplex, quod residentiam non postulet.

CONSECTARIUM VIGESIMUM.

XX. Nulli licet etiam eminentissimæ dignitatis plura Beneficia nequidem simplicia obtinere, quando unum sufficiens est ad Beneficiati sustentationem. Ita jam statutum legimus in Tridentino Concilio jubente: *A quibuscumque personis, quocumque titulo, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, mandat observari, ut in posterum UNUM tantum Beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri*. Ita postulat recta distributricis justitiæ ratio, ita divini cultus debitum studium, ita & fundatorum voluntas, qui bona sua eo fine contulerunt, ut plures essent, qui divino servitio operam navarent, qui Ecclesiæ inservirent, qui christiano populo morum sanctitate, orationum frequentia, catechismo, concionibus, altaris sacrificio prodessent. Ista utique certa, comperta, & plana sunt. At quales & quot esse debeant Beneficii fructus, qui sufficientes dici valeant ad Beneficiati sustentationem? Pudet me nonnullorum Casuistarum referre, nescio an dicam, deliramenta, vel somnia, queis in Clero distinguentes non ecclesiastica munia & officia, sed personarum conditionem, nobilitatem, terrenas prærogativas, plebejum hominem a nobili secernunt, rusticanum Pastorem a civico, Episcopum Principem ab Episcopis inferioris nobilitatis, & redituum quantitatem metiuntur, & statuunt Beneficiario infimæ sortis sufficere, ut ducentis aureis vivat, si vero Doctor & Licentiatus, duplum concedunt; si vero nobilis, duplicant adhuc stipendium. Episcopis tot concedunt tanquam sufficientes reditus, quot necessarii sunt præter propriam sustentationem, ut possit

alere duodecim aut quatuordecim famulos. Cardinalibus communiter ad sufficientiam concedunt duodecim mille aureorum per singulos annos. Quod si sint supra alios Cardinales ratione nobilitatis, aut *antiquitatis*, vel gradus, ut Vicecancellarii, Camerarii, Vicarii Pontificis vigintiquatuor scutorum aureorum millia in annos singulos sufficientiam non excedere arbitrantur. Quod si vero sint vel Principes, vel Pontificum Nepotes, duplum, idest circiter quinquaginta millia aureorum ad sufficientiam, non ad abundantiam concedunt. Porro quam immaniter ab istorum opinione recedunt antiquiores Scriptores! D. Bernardus primum Fulconi Archidiacono scribens, illud Apostoli regerebat: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, dein addebat: *Sic ergo & nos contenti simus vestimentis, quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus non quibus mulierculis vel similari, vel placere studeamus*. Deinde Archiepiscopo Senonensi scribebat: *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt, dicite Pontifices in fræno quid facit aurum? Numquid aurum a fræno reppellit frigus sive esuriem? Nobis frigore & fame laborantibus quod conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis?* Dionysius Carthusianus scribit: *Præfatam Christi honestatem sancti Apostoli sunt secuti; deinde sancti Episcopi cum Clericis suis non solum durante persecutione Ecclesiæ, sed & postea diu, immo temporibus S. Gregorii, & postea, tempore S. Bernardi, quando Ecclesia fuit in statu, & gloria multo eminentiori quam modo, sancti Patres jam nominari reprehenderunt clericos, & ministros Ecclesiæ, de eorum curiositate, superfluitate, dissolutione, avaritia, carnalitate, asserentes, quod ad simplicem victum, ac vestitum obligarentur*. Sed quid vetustiora commemoro? Audiant hi Theologi Tridentinum Concilium sess. 25. cap. 1. de Reform. Sancta Synodus *admonet Episcopos omnes, ut ... in primis ita mores suos componant; ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi non solum jubet, ut Episcopi modesta supellectili & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat*. Quæ regulæ si præ oculis haberentur a Beneficiatis, non centena, non millia aureorum erunt illi necessaria ad sufficientiam, sed superabundabunt ad eleemosynas faciendas. His tamen addenda nonnulla sunt ex Institutionibus Benedicti XIV. qui Inst. 91. §. 7. docet, quod si quis Beneficium simplex obtineat, nec sufficiens ad ejus sustentationem, possit ab Episcopo idoneus fieri ad aliud obtinendum, quod pariter si insufficiens adhuc sit, ut tertium impetrare possit, necessaria est dispensatio a Sede Apostolica obtinenda, cum Concilium Tridentinum solum de altero Beneficio insufficiente addendo loquatur, de tertio vero nihil habeat. Nihilominus addit, ex Decreto Congregationis non esse inquietandos, qui bona fide tria vel quatuor Beneficia insufficientia sola Episcopi auctoritate obtinuissent.

CAPUT IX.

De Beneficiariorum oneribus.

DOCTRINA.

I. *Plura sunt Beneficiariorum onera.*

II. *Pastores residere tenentur jure naturali, & ecclesiastico, & etiam jure divino.*

III. *Satis non est, si localiter, vel corporaliter.*

I. PLURA sunt, quibus gravantur Beneficiarii, onera, nimirum horas canonicas vel privatim, vel in choro recitare, Beneficii sui munia implere, ut si Parochus sit, vel Episcopus, Sacramenta ministrare, oves instruere, pro populo orare, in loco residere, eleemosynis pauperes subvenire. Verum cum de his, ut de primo, superius diximus, & de ceteris cum de Sacramentis & præsertim de Ordine sacro dicendum sit, tria tantum hic ex his oneribus explicanda suscipimus, nimirum residentiam, Missæ celebrationem pro populo, & onus reditus, qui ex sufficienti sustentatione supersunt, in pauperes distribuendi.

§. I.

De Residentia.

II. Certum compertumque est, Pastores omnes sive Episcopos sive Parochos ad residentiam in sua Diœcesi vel Parœcia teneri ex jure ecclesiastico, & naturali; teneri vero etiam jure divino, licet definire expresse noluerit Tridentina Synodus, quamvis de ea acriter disputatum sit, tamen ab ea doctrina se non recedere satis clare manifestavit scribens sess. 23. de Reform. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, bonorum omnium exemplo pascere . . . . . quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserviunt*. Si ergo jure divino hæc omnia præstare tenentur, & quidem per se, alioquin non Pastores, sed mercenarii forent, sequitur etiam residentiam, sine qua talia munia impleri non possunt, esse divino jure & præcepto illis impositam. Et revera quam id verum sit, manifestant tituli, quibus in Scriptura designantur animarum Rectores, vocantur enim *pastores*, *speculatores*, *magistri*, *doctores*, *lux populi*, *custodes*: quæ profecto indicant eorum præsentiam requiri. Et Christus Dominus boni Pastoris officia describens ait Jo. 10. *Bo*

 Pastor

Pastor animam suam dat pro ovibus suis .... oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas, & cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur. Et D. Petrus omnibus Pastoribus indicit: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non dominantes in Cleris, sed forma facti gregis*. Quæ verba sic exponit D. Th. [vel alius Auctor] super Epist. 1. D. Petri: " Forma [scribit] sed substan„ tialis, non accidentalis, quæ separata a „ substantia nihil valet: sic Prælatus sepa„ ratus a grege, nihil valet, unde Idolum „ dicitur Zach. 5. v. 11. *O Pastor, & Ido„ lum derelinquens gregem* ". Et luculenter ostendit 2. 2. q. 185. art. 5. scribens: " Di„ cendum, quod in qualibet obligatione „ præcipue attendi debet obligatio finis. „ Obligant autem se Episcopi ad exequen„ dum pastorale Officium propter subdito„ rum salutem. Et ideo ubi subditorum „ salus exigit personæ Pastoris præsentiam, „ non debet Pastor suum gregem deserere, „ nec propter aliquod commodum tempora„ le, neque etiam propter aliquod persona„ le periculum imminens, cum bonus Pa„ stor animam suam teneatur ponere pro „ ovibus suis ". Confirmant Patres & Concilia, quæ dum Pastoribus debitum inculcant per se pascendi gregem suum illi adhærendo, non quid superadditum eorum muneri prædicant, sed quid intime divino & naturali jure debitum ostendunt. Ita declaratur in jure Canon. cap. *Quia nonnulli* Ext. de Clericis non residen. ubi hæc habentur: *Cum Ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere. Quod si aliter factum fuerit, & qui receperit, quod contra sanctos canones accepit, amittat, & qui dederit, largiendi potestate privetur*. Quod confirmat & Innoc. III. cap. *Relatum*, & Alex. III. cap. *Qualiter*, ut habetur in eodem cap. *de Cler. non resid.*

III. Nec satis est, si corporaliter vel localiter tantum resideant, sed ut præcepto residentiæ satisfaciant, necesse est, ut per se munia Pastoris obeant, non vero per Vicarios impleant, ut enim optime ajebat D. Bernardus. *Qui per Vicarium inservit, per Vicarium remunerabitur*. Nec otiosa debet esse præsentia Pastorum, quibus injungitur, non quod curent ut oves pascantur, sed ut ipsi pascant, de quibus merito dici possit, quod habetur Ezech. cap. 34. *Suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascat eas .... ipse pascat eas, & ipse erit eis in Pastorem*.

IV. Ab hoc onere residentiæ non liberantur Episcopi, nisi justæ & legitimæ adsint causæ, quæ in Tridentina Synodo l. c. hæ tantum statuuntur, videlicet: *Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*. Et hoc quidem si longior sit absentia; at si brevis, licet aliqua requiratur semper legitima ratio, tam urgens tamen non requiritur, nam, ut inquit Trid. Synodus, *qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse*: hanc autem brevem absentiam declaravit eadem Synodus duorum vel trium mensium spatium excedere non debere, dummodo tamen & id *æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento*, & non absint per *illud anni tempus Dominicis Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi diebus, quo refici maxime & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debent*. Ceteris vero inferioribus Pastoribus con-

concedit, ut justa interveniente causa ad bimestre a sua Ecclesia abscedere possint, cum hoc tamen ab Episcopis discrimine, quod isti non tenentur licentiam a Superiore petere pro trimestri absentia, Parochis vero incumbit, ut ad bimestre ex legitima causa non abscedant à sua residentia sine Episcopi licentia, ut ipsamet Trid. Synodus declaravit per hæc verba: *Quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit ... discedendi licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant*.

V. Pœnæ autem non residentibus hæ primo universaliter statuuntur a laudata Synodo dicens: *Qui contra hujus Decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter peccati mortalis reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere non posse, sed teneri illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare*. In Parochos vero contumaciter absentes statuit remedia, ut compelli possint usque ad privationem Beneficii, ut habetur loc. cit.

§. II.

De Missæ celebratione.

VI. Lites omnes, quæ Theologos inter & Canonistas versabantur, de onere Parochorum Missam celebrandi pro populo feliciſſime diremit Summus Pontifex Bened. XIV. in sua Bulla incipiente *Cum semper*, quæ habetur Bullarii Tom. 1. n. 103. in qua hæc statuit: 1. Parochos omnes etiam pinguioribus reditibus præditos ab onere applicandi Missam pro populo singulis diebus liberat, dummodo tamen in fundatione Beneficii non aliter cautum sit. 2. Declarat, Parochos omnes etiam Regulares quocumque nomine appellatos, sive sint Vicarii perpetui, sive amovibiles, licet congruis reditibus careant, teneri singulis diebus festis de præcepto, quibus populus Missæ interesse tenetur, quamvis concessum sit operibus servilibus vacare, Missam pro populo applicare. 3. Si in hisce festis diebus onus habeat Parochus applicandi Missam pro aliis, debeat per alios Sacerdotes huic oneri satisfacere, ipse vero pro populo celebret. Concedit tamen Parochis egentibus, ut de licentia Episcopi possint prædictis festis diebus eleemosynas accipere, & pro offerente celebrare, dummodo tamen infra hebdomadam onus adimpleant celebrandi pro populo. 4. Episcopis etiam jubet, ut Vicariis actu exercentibus curam animarum, quæ apud alios resideat, si fructuum portio illis assignata satis non sit ad implendum onus applicationis Missæ, aliam congruam addant portionem juxta potestatem illis factam a Tridentino Concilio, quam confirmat, opportunas etiam addens & necessarias ad hoc facultates. 5. Statuit etiam, ut Missa Conventualis, quæ singulis diebus a clero Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum celebratur, applicetur quotidie pro Benefactoribus in genere, quin teneantur applicare secundam & tertiam Missam in aliquibus diebus juxta Rubricas celebrandas.

§. III.

De superfluis Beneficiorum reditibus in eleemosynam erogandis.

VII. Hic, ut ex titulo patet, de bonis disquirimus, quæ superabundant Clericis, non ex patrimonialibus, sive domesticis bonis, quæ seculari titulo obtinent, sed de bonis, quæ ex ecclesiasticis Beneficiis ipsis obveniunt. De his itaque disputant Theologi, & magna contentione quærunt, num verum dominium habeant, & illorum vere

do-

domini sint, unde superflua dissipando peccent quidem contra caritatem, & etiam contra religionem, non vero contra justitiam; vel nullum vere proprium habeant dominium, sed meri sint œconomi & administratores, qui valeant quidem licite quæ ad sui decentem sustentationem sunt necessaria, sibi tribuere, quæ vero superabundant, teneantur ex justitia pauperibus distribuere.

VIII. Tres hac de re sunt Theologorum opiniones. Quidam plenum & proprium tribuunt Clericis redituum Beneficii dominium, verosque dominos agnoscunt, qui proinde peccent quidem contra caritatem & religionem superflua dissipando, non vero violent justitiam ea pauperibus denegando. Alii vero Theologi dominium concedunt, & dominos dicunt redituum, sed gravatos onere justitiæ distribuendi pauperibus, quæ congruæ suæ sustentationi superabundant, eo ferme pacto, quo hæres dominium acquirit hæreditatis, sed cum onere æs alienum solvendi. Tertio denique plerique Theologi, & quidem magni nominis nullum dominium concedunt Beneficiatis in ea, quæ ipsis supersunt, dempta convenienti sustentatione, quæ proinde utpote pauperibus destinata, & eorum administrationi commissa, ex justitia illis dispertienda sint. His ergo me adjungo, eo præcipue nomine, quia hæc sententia doctrinæ Aug. Præc. nostri maxime cohæret. Nulla tamen erit pugna cum Auctoribus secundæ sententiæ, quippe qui re conveniunt, licet nomine differant, & dominium appellent, quod alii meram vocant administrationem, & lis esset de nomine *dominii*, quod illi verbo tenus concedunt, re negant, isti nec nomen nec rem tribuunt.

IX. Antequam sententiam meam probem, nonnulla sunt præmittenda circa redituum ecclesiasticorum distributiones. Statim post Ascensionem Domini, ut habemus in Actibus Apostolorum, Judæi, & ceteri ad fidem Christi Apostolorum prædicatione conversi omnia bona, vel eorum pretia ad pedes Apostolorum ponebant, qui singulis distribuebant per Diaconos, prout cuique opus erat. Verum hæc bonorum omnium communitas nec diu duravit, nec apud omnes etiam Apostolicas Ecclesias obtinuit. Laici propria possidebant bona, ex quibus Ecclesiæ Ministris ea suppeditabant, quibus ipsi viverent, & pauperes alerent. Istorum bonorum & redituum dominium erat penes Ecclesiam in communi, illorum vero administratio & distributio penes Episcopum, ut apparet ex can. 31. illorum, qui Apostolici dicuntur, quo statuitur: *Omnium rerum ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & eas administret tamquam Deo intuente. Nec liceat ex eis aliquid sibi vindicare, vel propriis cognatis, quæ DEI SUNT, largiri.*

X. Reddita per Constantinum pace cœpit Ecclesia abundare divitiis, cum a fidelibus largiter suppeditabantur ad templa erigenda & ornanda, ad Cleri & Ministrorum sustentationem, & in pauperum eleemosynam. At istorum bonorum nulli privato concessum dominium residebat penes Ecclesiam, idest cœtum fidelium in ea Provincia, Urbe, vel loco, ubi hæ fiebant donationes, degentem. Episcopis vero commissa distributio semper fuit, ut patet ex can. 25. Concil. Antiocheni circa medium IV. sæculi celebrati, in quo statuitur: *Episcopus ecclesiasticarum rerum habet potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia & tremore; participet autem & ipse quibus indiget . . . tam in suis quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis . . . . Quod si iis contentus minime fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, Synodo provinciæ pœnas persolvat*. Nec ab Orientalis Ecclesiæ doctrina & disciplina recessit Occidentalis. Nam in IV. Synodo Carthaginensi, cui interfuit S. Augustinus, aperte

te flatutum fuit, *ut bonis Ecclesiæ tanquam commendatitiis, non tanquam propriis utatur Episcopus*.

XI. Hinc Episcopi uti bonorum administratores ecclesiasticos reditus in quatuor partes dividebant, quarum una ad Episcopum pertineret, altera Clericis dabatur, tertia pauperibus distribuebatur, quarta Fabricæ Ecclesiæ erat addicta. Quando invecta fuerit hæc distributio, certo non constat; patet tamen circa medium V. Seculi obtinuisse, cum Gelasius, qui Ecclesiam rexit sub finem ejusdem seculi, de ea loquatur tamquam de re inducta longe ante, scribens cap. 9. suæ 9. epistolæ, ut refertur a Gratiano causa 12. quæst. 2. Can. 27. *Quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter decretum, convenit fieri portiones, quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta Fabricis applicanda*. Hujus distributionis faciendæ ab Episcopo meminit S. Gregorius M. in Epistol a ad Augustinum Episcopum, relata a Gratiano loc. cit. can. 30. in qua sic scribit: *Mos Apostolicæ Sedis est ordinatis Episcopis præceptum indicere, ut de omni stipendio, quod accipit, quatuor debeant fieri portiones. Una videlicet Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem, altera Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis*.

XII. Verum testigescente caritate, & crescente cupiditate Episcopi sui muneris obliti non in partes bona Ecclesiæ distribuere cœperunt, sed sibi attribuere & usurpare; hinc Clerus cœpit conqueri de stipendiis, mercede, & sustentatione sibi vel denegatis, vel diminutis. Quibus querimoniis ut obviaretur, cœptum est clericis fundos assignare, possessiones, & certos reditus, ex quibus fructus perciperent ipsi, administrarent, & possiderent. Et inde orta Titulorum, seu Beneficiorum erectio, quæ qui obtinerent, clerici sive ab Episcopo, sive ab alio Superiore facultatem habente, jus haberent fructus percipiendi ex fundis illis, possessionibus & reditibus, quin ab Episcopo, Archidiacono, sive alio Œconomo dependerent. Hec disciplina non alicujus Pontificis vel Concilii Decreto invecta est, sed paulatim consuetudine & usu invaluit, & per omnes Ecclesias est propagata; & licet tempus exacte nequear designari ejus initii, vel propagationis, nonnulli enim, ut Genettus, ejus indicia vel vestigia sexto ineunte seculo deprehendunt; dicere tamen possumus invaluisse X. seculo, & XI. ferme ubique obtinuisse.

XIII. Ex hac itaque separatione fundorum, & redituum Ecclesiæ, ejusque deputatione ad Clericorum sustentationem primæ sententiæ Theologi rationem, fundamentum, & basim dominii Clericorum se optime nancisci arbitrantur. Ajunt siquidem, quando Episcoporum ministerio fructus bonorum ecclesiasticorum in quatuor partes sive arithmetice, sive geometrice dividebantur, quartæ eorum fructuum partis dominium consequebantur Clerici, tum quia hæc erat suorum laborum & ministeriorum merces, tum quia jam pauperibus sua quarta pars assignata erat; atqui modo fructus Beneficiorum ejus loco sunt substituti, ergo illorum habent dominium, cum jam & quarta pars pertinens ad pauperes sit separata, & in fundatione Hospitalium, Xenodochiorum, Nosocomiorum collocata. Putant igitur suam sententiam non labefactari testimoniis veterum Patrum, Conciliorum, & Canonum, qui ante X. seculum vocant bona ecclesiastica *bona pauperum, patrimonium Christi*, qui Episcopos & Ecclesiasticos vocant *distributores, dispensatores, œconomos, non dominos* suorum redituum, quia, ipsi inquiunt, sic loquebantur, quando adhuc bona erant confusa, confusi reditus pauperum, Episcoporum, Clericorum,

&

& Fabricæ. At modo facta jam divisione & segregatione partium non amplius urgent.

XIV. Verum in hac ipsa basi & fundamento suæ doctrinæ puto eos a vero aberrare; supponunt enim factam quartæ partis redituum ecclesiasticorum debitæ pauperibus separationem, at quo amabo argumento, qua ratione? Nullum profecto afferunt non Patrum, non Conciliorum, non Pontificum, non ecclesiasticorum monumentorum testimonium. E contra vero apparet manifeste, quod eum Episcopi & Clerici fuerint perpetuo quartæ pauperum partis distributores & administratores, dum ea bona diviserunt, & partim Mensæ Episcopali, partim Beneficiis & Titulis applicarunt, tum Episcopi, tum Clerici sibi eamdem distributionem & administrationem quisque pro rata sibi retinuerunt. Unde enim constat, quod ea se abdicaverint, & aliis renuntiaverint? Quinam sunt administratores, distributores, œconomi loco Ecclesiasticorum constituti? Num Rectores, & Præsides Hospitalium Nosocomiorumque? At istorum fundationes, erectiones, & dotationes nimium recentes sunt, ut ad tempora erectionis Titulorum & Beficiorum possint revocari; & præterea constat, pene omnia hæc pia loca eleemosynis, legatis piis, aliisque donationibus Regum, Principum, Privatorum erecta esse, & fundata. Quid quod [ut observat etiam P. Concina] post Beneficiorum erectionem plures alii sunt a Principibus, aliisque vel ditioribus vel potentioribus personis assignati reditus Ecclesiis, ut ex illis & Ministri Altaris alerentur, & divinus cultus celebraretur, & pauperes alerentur, ut ex sequentibus patebit. At istorum redituum ubi & quando facta divisio? Ubi constituti Œconomi præter ipsos Episcopos, & Beneficiarios? Nutans igitur & arenosum est fundamentum, super quod struunt laudati Theologi Clericorum dominium, nullo justitiæ onere gravatum.

XV. Sed quod meo judicio rem plane conficit, & nunquam factam portionis pauperum a bonis Beneficiorum segregationem evincit, illud est, quod Patres, Pontifices, Concilia, & Doctores quotquot scripsere post factam etiam Beneficiorum & Titulorum institutionem, & segregationem, eodem modo locuti sunt de dominio Clericorum, sive de onere distribuendi superflua in pauperes, ac locuti sint & docuerint Patres, Pontifices, & Concilia ante eam separationem & divisionem; non ergo eam revera effectam unquam existimarunt. Quod si probem, rem confecero, eum & ipsi dominii Clericorum Patroni ultro fateantur, non ea facta divisione, Clericorum sustentationi redundantia esse pauperum portionem illis ex justitia distribuendam.

XVI. Nonnulla itaque promemus ex laudatis fontibus ad rem evincendam; & primo quidem ex Patribus afferimus S. Bernardum XII. seculi scriptorem, qui explicans Christi verba, *Ecce nos reliquimus omnia*, scribit: *Clericus de Altario vivat, & non ex Clericatu ditior fiat, non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec in vanitate, & superfluitate dispergat ... Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen agnoscitur. Sunt patrimonia pauperum facultates Ecclesiarum. Sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non utique domini vel possessores ultra victum & vestitum accipiunt*. Non ergo juxta S. Bernardum seculo XII. erat facta divisio bonorum ecclesiasticorum a bonis pauperum, eum aperte dicat, facultates Ecclesiarum esse bona pauperum, & Clericos ea pauperum bona habere ut ministri & dispensatores, & ista assignat ea omnia esse, quæ ultra victum & vestitum percipiunt. Idem sentit & S. Petrus Damiani XI. seculi scriptor Opusc. 19. cap. 2. de quibusdam Episcopis scribens lib. 1. Epist. 10. *Cum Episcopus*

pus dispensator debeat esse promptus pauperum ; ad eorum mensam affluentibus deliciis alieni rustant , cum & illi , QUORUM TOTA EST SUBSTANTIA , procul exclusi famis inopia contabescunt . Igitur juxta Damianum deliciæ in mensa Episcoporum erant tota substantia pauperum , proinde non separata a reditibus superabundantibus Episcoporum . S. Laurentius Justin . lib. de compunct. & planct. Christi hæc habet : *Patres pauperum esse recusant , quoniam indigentium substantiam attribuunt sibi . Ob quanta absfio est Christi ditari divitiis , & Christo velle nihil tradere ? Nonne thesauri Christi sunt facultates Ecclesiæ? Unde temporalia Ecclesiis sunt prærogata stipendia? Nonne propter Christum ? Nonne ut Christi pauperibus erogentur ? Noli igitur tu, qui præsides , retinere quod alienum est , ne furti reprehendaris in causa ... Scito te debitorem esse facultatum , quæ honesto victui tuo superfunt* . Igitur quintodecimo seculo , quo scribebat S. Laurentius Justiniani , factam ipse ignorabat divisionem bonorum inter Clericos & pauperes : sed illorum partem adhuc esse bonis Clericorum immixtam , illamque esse , quæ eorum honesto victui supererat .

XVII. A Patribus non dissentiunt ejusdem ævi Pontifices . Alex. III. qui Sedem Petri tenuit medio elapso XII seculo , nunquam certum compertumque habebat , Episcopos *rerum ecclesiasticarum* [non dixit possessionum , fundorum , ut quidem interpretantur , sed *rerum* , ut & reditus , & fructus , & proventus comprehenderet] *non esse dominos , sed procuratores* , nam Episcopo Parisiensi sic scribebat : *Fraternitatem tuam credimus non latere , quod cum Episcopus , & quilibet Prælatus ecclesiasticarum* RERUM *sit* PROCURATOR , *non* DOMINUS , *conditionem Ecclesiæ meliorem potest facere, deteriorem vero non debet* . Habetur Cap. *Fraternitatem* in Ext. de Donat. Ignorabat igitur Pontifex jactatam bonorum divisionem . Idem docet Innoc. IV. qui sedit anno 1243. *Non Prælatus , sed Christus dominium , & possessionem rerum Ecclesiæ habet , unde quæcumque homines offerunt Ecclesiis , dicuntur esse Deo oblata , & si aliquando inveniantur hæc bona Deo oblata, esse Episcoporum vel Prælatorum , vel Capitulorum, dic esse eorum quoad gubernationem* .

XVIII. Pontificibus concordant Concilia. Concilium Provinciale Redonense anni 1581. tit. de Monasteriis sic statuit : *Ne existiment Commendatarii sibi commendatum Monasteriorum regimen ad luxum , vel prodigalitatem, aut augendam rem suam , & consanguineorum familiam , sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem , & quarum non habent proprietatem* . Sunt igitur immixtæ in Beneficiis res alienæ , quarum Beneficiarii non habent *proprietatem* & hæ sunt, quas ad luxum , vel prodigalitatem vel augendum familiæ statum expendunt , & insumunt . Concilium Tridentinum , licet hanc controversiam dirimere noluerit (ut observat etiam Benedictus XIV. in suo aureo opere de Synodo Diœcesana lib. 7. cap. 2. num. 13.) ita tamen locutum est , ut nostræ favere doctrinæ videatur . Primo itaque citat Concilium Carthaginense IV., quod celebratum ante Beneficiorum separatio em , dominium non agnoscebat in Ecclesiasticis . Deinde Apostolorum Canones allegat , qui pariter nullum Ecclesiasticis tribuunt dominium , sed meram concedunt administrationem , 3. Jubet Episcopis ceterisque Beneficiatis , ne *reditus Ecclesiæ* , quos vocat bona Dei , *consanguineis donent, sed si pauperes sint , ut pauperibus distribuant* , unde indicat , superflua esse pauperibus eroganda. En verba Concilii sess. 25. cap. 1. de Reform. *Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi .... Episcopis omnino interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum*

lorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant.... Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibscumque Beneficia ecclesiastica tam secularia, quam Regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione, observari, sed & ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit. Idem statuit & S. Carolus in sua I. Mediolanensi Synodo tit. 63. *Qui Ecclesias* (scribit) *& Beneficia ecclesiastica quæcumque obtinent, quorum fructus ad eos tanquam divinorum obsequiorum ministros honeste sustentandos proprie sunt attributi, si uberiores sint quam ad tuendam vitam, conditionisque suæ rationem requiratur, dubitare non debent ad eum finem hanc copiam esse illis attributam, ut præter ea, quæ ad victum & cultum eorum satis essent, suppeterent etiam quibus divinus cultus, ornatus, ac splendor conservaretur, & pauperum inopia, & indigentia sublevaretur... Quamobrem per viscera misericordiæ JesuChristi obtestamur, atque monemus, ut meminerint, ea bona non esse sibi credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam honeste, ut fidelem Dei Ministrum, & pietatis christianæ magistrum decet, traducendam. Ex eo vero, quod supererit, si necessaria pauperibus denegaverint, intelligant se, quod non paverint, occidisse.* Erectione igitur Beneficiorum separata non agnovit S. Carolus bona pauperum, sed illis immixta, cum uberiores & superabundantes reditus dicat ea ratione donatos, ut pauperibus elargiantur Beneficiarii. Clarius hoc idem docuere in suis Synodis Diœcesanis Cardinalis Cibo anno 1698. in Veliterna, Cardinalis de Angelis in Nonantulana anni ejusdem, & Cardinalis Roffetus in Faventina anni 1674.

XIX. Ab hac doctrina non recesserunt antiquiores Theologi, & Canonistæ. S. Raymundus de Pennafort, qui floruit ineunte XIII. seculo in Summa lib. 2. tit. 5. §.8. scribit: Dico. *Prælatos & Clericos, qui res Ecclesiæ turpibus personis conferunt vel etiam consanguineis, non propter naturam sustentandam, sed ut eos faciant divites de patrimonio Crucifixi .... tales, inquam, Prælatos, & Clericos, qui talibus conferunt bona ecclesiastica, dico esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem omnium.* Abbas Panormitanus in Cap. *Tuam* secundum de præbend. n. 2. & 4. illis verbis, *Clerici vivere debent de patrimonio Christi*, tale apponit commentarium: *Nota contra Beneficiarios, convertentes reditus in usus inhonestos, & crederem, quod si haberent patrimonium, tenerentur de suo reddere Ecclesiæ, quod male expenderunt.* Alexander Alensis part. 3. memb. 5. art. 2 docet: *Clerici, qui in malos usus bona Ecclesiæ expendunt, sunt raptores & fures, quod concedimus secundum Bernardum... Sed nunquid tenentur ad restitutionem, si habent aliunde, unde possint restituere? Aliud certe non video, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* B. Albertus M. in 4. dist. 5. *Bona ecclesiastica non sunt data Prælatis ad possidendum, sed ad dispensandum ad usum aliorum, scilicet pauperum, unde non possunt emere, vel vendere, vel etiam dare pro libitu suo cui volunt, sed ad necessitates generales Ecclesiæ sunt expendenda.*

XX. Consentit & D. Thom. communi sui temporis Theologorum & Canonistarum doctrinæ, quippe qui a novis opinionibus semper abhorruit, & doctrinis semper adhæsit costantissime communibus apud Patres, Concilia, & sui ævi Theologos. Plura habet hac de re luculentissima testimonia, quibus mentem suam aperuit, adeo ut si quæ forte ambigua reperiantur, ad hæc sint accommodanda, non hæc ad illa trahenda. Sic itaque 1. scribit quodl.

6. " Di-

6. " Licencum . quod aliter videtur se ha-
" bere circa bona patrimonialia, & circa
" bona ecclesiastica . Nam bonorum patri-
" monialium, vel licite acquisitorum, homo
" vere est dominus ... Bonorum vero eccle-
" siasticorum clerici non sunt VERE DO-
" MINI, sed DISPENSATORES, secundum
" illud 1. ad Cor. 7. *Dispensatio autem mi-*
" *hi credita est* . Pertinet autem ad dispen-
" satorem, ut fideliter distribuat ea, quæ
" ejus dispensationi committuntur, secun-
" dum illud 1. ad Cor. 4. *Hic autem quæ-*
" *ritur inter dispensatores, ut fidelis quis in-*
" *veniatur*. In his ergo potest dupliciter pec-
" catum contingere. Uno modo ex con-
" ditione ipsius rei, dum scilicet usur-
" pat sibi quasi rem propriam, & in usus
" suos convertit id, quod esset aliis erogan-
" dum. Alio modo ex inordinato usu eo-
" rum, quæ in partem suam cedunt, sicut
" etiam de aliis dictum est. Verum
" quia horum dispensatio fidei dispensatoris
" committitur, ut dictum est, si quis bona
" fide dispenset ecclesiastica bona, inde
" accipiens quod sibi convenit, secundum
" conditionem status, & personæ, & aliis
" largitur, secundum quod sibi videtur bona
" fide expedire; non peccat mortaliter,
" etiamsi forte aliquid plus in suos usus
" convertat, quam oporteat. Talia enim,
" quia in singularibus est eorum judicium,
" non possunt per omnimodam certitudinem
" definiri. Unde si non sit multus excessus,
" potest compati bonam fidem dispensatoris.
" Si vero multus excessus fiat, non potest
" latere: & ita non potest cum bona fide
" dispensatoris hoc agi. Si autem non con-
" servat bonam fidem in dispensando, peccat
" mortaliter ". In quo luculentissimo tes-
timonio primo habes distinctionem bono-
rum patrimonialium ab ecclesiasticis. 2.
Bonorum patrimonialium Clericum habere
dominium, ecclesiasticorum nequaquam, sed
meram dispensationem. In dispensatione
posse contingere, ut bona fide fortassis plus
sibi tribuat, quam debeat, & tunc non
peccabit mortaliter, si excessus sit exiguus;
si vero sit gravis, a peccato non excusabitur,
& cum non fuerit fidelis dispensator, ad res-
titutionem tenetur. Idem repetit 2. 2. q.
185. a 7. in corp. scribens: " Aliter est
" dicendum de propriis bonis, quæ Episcopi
" possidere possunt, & de bonis ecclesiasticis.
" Nam propriorum bonorum verum domi-
" nium habent: unde ex ipsa rerum con-
" ditione non obligantur, ut ea aliis con-
" ferant; sed possunt ea vel sibi retinere, vel
" etiam aliis pro libito elargiri. Possunt
" tamen in eorum dispensatione peccare prop-
" ter inordinationem affectus, per quam
" contingit, quod sibi vel plura conferant
" quam oportet, vel aliis etiam non sub-
" veniant, secundum quod requirit debitum
" caritatis, non tamen tenentur ad restitu-
" tionem, quia hujusmodi res sunt eorum do-
" minio deputatæ. Sed ecclesiasticorum bo-
" norum sunt dispensatores, vel procurato-
" res .... Si ergo distincta sint bona, quæ
" debent in usum Episcopi cedere, ab his,
" quæ sunt pauperibus, & ministris, &
" cultui Ecclesiæ eroganda, & si aliquid sibi
" retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pau-
" peribus eroganda vel etiam in usum mi-
" nistrorum, aut in cultum divinum ex-
" pendenda, non est dubium, quin con-
" tra fidem dispensationis agat, & morta-
" liter peccet, & ad restitutionem teneatur.
" De his autem, quæ sunt specialiter suo
" usui deputata, videtur esse eadem ratio,
" quæ est de propriis bonis, ut scilicet prop-
" ter immoderatum affectum, & usum pec-
" cet quidem, si immoderate sibi retineat,
" & aliis non subveniat, sicut requirit de-
" bitum caritatis. Si vero non sint præ-
" dicta bona distincta, eorum distributio
" fidei ejus committitur: & si quidem in

 modico

„ modico deficiat, vel superabundet, potest
„ hoc fieri absque bonæ fidei detrimento,
„ quia non potest homo in talibus punc-
„ tualiter accipere illud, quod fieri oportet.
„ Si vero sit multus excessus, non potest
„ latere: unde videtur bonæ fidei repugna-
„ re: & ideo non est absque peccato mor-
„ tali ". In quo textu hypothetice loquitur D. Th. & de bonis sustentationi Episcopi vel Beneficiarii destinatis dicit, eos ita posse disponere, ut si in malos usus expendant, peccent quidem ea male expendendo si sint a bonis pauperum distincta, at si distincta non sint, non solum peccent, sed etiam pauperes defraudent ea male distribuendo, proinde ad restitutionem teneantur. At hanc divisionem factam esse non docet nec affirmat D. Ang., & nos ostendimus nunquam factam fuisse. Et certe nulla esse supponit D. A. quando Beneficiarius superfluis abundat; nam volens eadem q. 185. a. 7. ad 2. ostendere, quando sine peccato possit consanguineis dare, sic scribit: "
„ Si de eo, quod usui Episcopi, vel ali-
„ cujus Clerici est deputatum, velit aliquis
„ sibi subtrahere, & consanguineis, vel
„ aliis dare, nec peccat, dummodo illud
„ faciat moderate, idest ut non indigeant,
„ non autem ut ditiores inde fiant." Ubi notandum, D. Th. dicere, *si velit sibi subtrahere*, non vero si superabundantia habeat & superflua, quippe quæ non sunt danda consanguineis, sed pauperibus; quare de sibi subtractis dando consanguineis non peccat contra justitiam, etiamsi non indigeant, nec contra caritatem, si indigeant, nam & quæ in usum suum cedere debent, dabit, & egentibus dabit.

XXI. Doctorem Angelicum ita intellexit D. Antoninus, & ab ejus doctrina non recessit, scribens in Summa Par. 3. tit. 15. §. 19. cap. 1. *De bonis, seu fructibus Beneficiorum, quæ dant Clerici consanguineis, vel personis turpibus, utrum in dando peccent, & an teneantur ad restitutionem? Super hoc dicit Raymundus, quod Clerici, qui consanguineis potentibus, vel meretricibus, & histrionibus, & similibus bona ecclesiastica pauperibus debita tribuunt, raptores sunt, quia quidquid Clerici habent, pauperum est, nam pauperibus debentur, unde ad restitutionem tenentur omnium pauperibus. Idem videtur sentire S. Tho.* 2. 2. q. 185. a. 7. *Quidam dicunt, quod illud, quod Clerici in malos usus consumunt de patrimonio Jesu Christi, non tenentur restituere de proprio, quia sunt domini ... Alii dicunt, quod non habent fructus favore sui, sicut Pater in bonis filii adventitiis, quorum fructus si male consumat, non tenetur restituere: sed pro bono Ecclesiæ, & pauperum facti sunt administratores, & tutores, qui sunt quasi domini, sed non quando pupillum spoliant. Et ideo sicut illi possunt sibi victum, & vestitum retinere, sic & isti. Et illud magis consonat dictis Sanctorum, & Juri Canonico.*

XXII. Hanc esse doctrinam S. Th. docuerunt semper nobiliores ejus Interpretes Petrus Soto in Instit. lib. de Vita Sacerdotali lect. 9. Cardinalis Cajetanus 2. 2. q. 43. a. 8. & q. 185. a. 7. & novissime Eminentiss. Cardinalis Capisuccus Cont. ult. de obligatione Eccles. de eleem. §. 5. qui aperte scribit: *Sancti Doctoris sententia est, quod Episcopus licet possit ex massa detrahere partem sibi ac proprio statui convenientem, ceterarum vero partium pauperibus in eadem massa inclusarum (ut inclusæ dicendæ sunt, quando Episcopales reditus valde locupletes sunt, & notabiliter excedunt necessarium ad congruam sustentationem) si de illis multum tangat, sibi arroget, peccat contra fidelitatem, & consequenter contra justitiam, & ad restitutionem tenetur ... Ex dictis constat, Episcopos, & Beneficiarios ecclesiasticorum redituum superflua in pauperes, & in alios pios usus non erogantes, nedum contra caritatem peccare*

care, sed etiam contra justitiam, & ad restitutionem teneri.

XXIII. Favent vero huic sententiæ innumeri propemodum Theologi, & Canonistæ, Petrus Palud. dist. 24. q. 3. Richardus in 4. sent. dist. 45. q. 1. Dionysius Carthus. lib. de plural. benef. ar. 2. Henricus Gandaven. quodlib. 8. q. 27. Major in 4. sent. dist 24. Gabriel in 4. dist. 15. q. 8. a. 2. Valdensis To. 1. lib. 4. cap. 42. Alvarus Pelagius de planctu Eccl. par. 2. cap. 28. Ludovicus Beja par. 2. casu. 25. Gerson To. 2. de temp. & vest. Presby. Raphael a Turre in 2. 2. q. 87. a. 3. disp. 4. His accedunt Martinus Wigandt, Reginaldus, Turtianus, Tannerus, Gregorius Lopez, Van. Espen, Bellet, Paulus a Lugduno, Ledesma, Natalis Alexander, Genettus, Paulus Layman, Gabriel Antoine, Henricus a S. Ignatio, Ludovicus Thomasinus, Christianus Lupus, Millante, & Cunil ati. Ideo jure meritoque scribere potuit Paulus Comitulus Resp. Moral. lib. 1. quæst. 70. *A recentis memoriæ hominibus sæpe addubitatum est illud, quod ab antiquis Magistris, & melioribus auctoribus superioris atque adeo nostræ ætatis in controversiam nunquam vocatum est, num ii, quibus ecclesiastica Sacerdotia, Beneficiaque mandata sunt, sint bonorum, fructuumque omnium, quæ ex eis percipiuntur, veri domini. Auctores nescio quomodo novam, & periculosam opinionem post mille & quingentos anno in christianam rempublicam invehere conati sunt, eos, a quibus ecclesiastica Beneficia obtinentur, fructuum, quos illa pariunt, veros esse dominos, quorum ipsi opinionem in iis libris, quibus Parochorum officia persecuti sumus, omini machinarum genere convellere, atque evellere adorti sumus, horum hominum sensum a Conciliorum decretis, a Romanorum Pontificum sanctionibus, a SS. PP. sententiis, a Theologorum consensione, a sacrorum Canonum gravissimis explanatoribus, & a certissima ratione demonstravimus abhorrere.*

XXIV. Denique sunt & eorum Theologorum perpendenda argumenta, quibus Clericorum dominium conantur adstruere. Dicunt itaque 1. In jure canonico, & in Conc. Tridentino dicitur, Beneficiarios vel absentes a choro & servitio Ecclesiæ, vel Breviarium omittentes non *facere fructus* Beneficiorum *suos*: ergo si hæc præstent, *suos* faciunt fructus, quorum proinde domini sunt. 2. Onus elargiendi eleemosynas de superfluis certum non est: ergo cum melior sit conditio possidentis, non sunt ex justitia cogendi ad superflua pauperibus eroganda. 3. Nullus pauperum jus habet ad ista superflua, non dando igitur justitia non violatur. 4. Dissipatis superfluis a quo fiet restitutio? Ab ipso Beneficiato? At non habet quod restituat? Ab accipientibus superflua? At quis hoc onus intolerabile imponet? 5. In bonis Ecclesiasticorum succedunt ab intestato consanguinei non minus quam in cæteris bonis, non reclamante Ecclesia; verum ergo dominium in utraque competere agnoscit Ecclesiæ ministris.

XXV. Verum hæc nimis levia sunt argumenta, ut oppositam valeant doctrinam convellere. Respondemus igitur ad 1. Verba Canonum, & Concilii Trid. solum significare, deficientes a suis muneribus non acquirere fructus & reditus Beneficiorum, quibus uti non possunt in sui sustentationem sed debent illis se privare, & pauperibus vel Ecclesiæ cedere; non ergo dominium inferunt, sed usum, & si lubet etiam dicere dominium, hoc extenditur solum ad ea, quæ sunt ejus sustentationi necessaria, non quæ superflua. Ad 2. Onus elargiendi superflua intimum est ipsis bonis, quæ talis indolis & naturæ sunt, & eo fine donata a benefactoribus, ut in usum cedant & sustentationem Ministrorum, & in pauperum alimoniam, ut patet in Capitularibus

bus Caroli Magni, ubi hæc leguntur: *Offero Deo atque dedico omnes res, quæ in hac chartula sunt insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum, ad serviendum ex his Deo in Sacrificiis, Missarumque solemniis, orationibus, luminariis, Pauperum, & Clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, districtissime reddet rationem.* Et clamant Concilia & Patres. Hæc itaque bona, antequam in titulos concederentur Clericis, erant in alimoniam pauperum destinata, quoad eam partem, quæ sustentationi Ministrorum superabundasset: quomodo ergo ex sola erectione in titulos, & Beneficia adeo naturam mutare potuerunt, ut non amplius ad pauperes spectent? Jus ad ea bona superabundantia habebant pauperes, antequam in possessionem Clericorum transirent; non poterant igitur Beneficiarii in possessionem immitti illorum bonorum, nisi cum onere servandi indemnes pauperes, & illorum jure illæso: sicut hæres non adit hæreditatem nisi cum onere jus alienum solvendi. Dubium igitur, quod comminiscuntur, non ex ratione, sed ex cupiditate oritur, & ab onere distribuendi superflua egenis Beneficiarios non liberat. Ad 3. Licet nullus singularis & privatus pauper jus habet in hæc determinata bona, pauperes tamen in communi jus habent ad omnia, quæ Beneficiatis superabundant, & hoc sufficit ad inducendum onus restitutionis, eo pacto, quo ad restitutionem teneretur qui supererit bona alicujus Monasterii, vel Communitatis, in quæ licet singulatim Religiosi dominium & jus non habeant, obtinent tamen omnes in communi. Ad 4. Beneficiarius, qui superabundantia dissipavit, tenetur restituere pauperibus ex bonis propriis sive patrimonialibus, si habeat; si vero non habeat, non adstringitur restituere, at non quia non debeat, sed quia non possit. Qui autem illa superflua acceperunt, si noverant esse pauperum, nec consumi potuisse a Beneficiato, tenentur proculdubio ad restitutionem ex re accepta. Si vero bona fide acceperunt, nec facti sunt ditiores, restituere non tenentur. Cæterum qui contrahunt cum Clericis, non obstringuntur perpendere, num ex superfluis contrahant, sed supponere debent de suis disponere, cum delicta non præsumantur, sed sint probanda. Ad ultimum. Illa consuetudo non est nec Ecclesiæ statuto, nec ejus saltem approbatione inducta, sed merus abusus ab ea toleratus ad lites dirimendas, quæ tamen sua generali lege reclamat; nam in Canone Episcopi 29. sic statuit: *Episcopi de rebus propriis vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent heredibus suis, si voluerint, derelinquant, quidquid vero de provisione suæ Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ reservare censuimus. Nec obstat* (subdit ajetanus 2. 2. q. 185. a. 7.) *si dicatur, quod jura illa sint per contrariam consuetudinem abrogata, sciente tanto tempore Romano Pontifice, & non reprehendente, quoniam non consuetudo, sed abusus est.*

CAPUT X.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ de residentia.

I. *Romanus Pontifex & Cardinales residere tenentur.*

II. *A residentia non potest Summus Pontifex vera dispensatione Episcopos liberare.*

III. *Licentia Summi Pontificis necessaria Episcopis ut absint a sua Diœcesi, & degant in Aulis Regum.*

IV. *Decretum Tridentini de residentia etiam tem-*

tempore pestis urget non solum Parochos, sed & Episcopos.

V. *Non licet Episcopis trimestre absentiæ anni præcedentis conjungere cum trimestri anni sequentis.*

VI. *Parochi nec per hebdomadam abesse possunt a sua residentia sine Episcopi licentia.*

VII. *Aeris intemperies nec Parochum, nec Episcopum excusat a residentia.*

VIII. *Non satisfaciunt præcepto residendi Episcopi & Parochi sola corporali præsentia, nisi & munia per se obeant.*

IX. *Privilegia concessa Universitatibus, ut in ea docentes sint a residentia liberi, sunt a Tridentino revocata.*

X. *Prælati Regulares curam animarum habentes tenentur pro suis subditis diebus festis Missam offerre.*

XI. *In præsentis Ecclesiæ disciplina non videtur illicitum, ut qui bona obtinent patrimonialia de reditibus ecclesiasticis vivant, nisi gravis urgeat pauperum necessitas.*

XII. *Licitum est Beneficiariis de sibi necessariis ad sui sustentationem aliquid subtrahere, ut consanguineis donent; si sint egentes, non vero ditescant.*

XIII. *Nec Canonici de distributionibus, nec Beneficiarii de Missarum & Exequiarum eleemosynis, nec Concionatores de stipendiis pro Concionibus ad libitum disponere possunt.*

XIV. *Quomodo Beneficiarius possit filios suos dotare, vel nepotes in studio alere.*

XV. *Non semper Beneficiarius satisfacit præcepto dandi superflua pauperibus, si statuat singulis annis solum decimam vel quartam partem erogare.*

XVI. *Non licet Beneficiario ex superabundantibus vel bona ipsa Beneficii augere, vel in futurum reservare, si pauperum urgeat necessitas.*

XVII. *Qui pensiones obtinent, vel Commendas, tenentur superflua pauperibus erogare.*

XVIII. *Clericus Theologiam docens in aliqua Universitate quando sit stipendii dominus.*

XIX. *Nulla legitima consuetudine induci potest, ut Beneficiarii de reditibus Beneficiorum licite & valide in testamentis disponant ad profanas causas.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. ROMANUS Pontifex & Cardinales ad residentiam tenentur. Nam cum hæc sit de jure divino & naturali, etiam ipsos urget & afficit. Cardinales Episcopatum obtinentes ut Romæ commorentur, nequeunt a suis Ecclesiis abesse, ut concedunt nonnulli Canonistæ, cum Tridentinum Concilium eos ad residentiam teneri aperte declaraverit, statuens sess. 23. cap. 1. *Omnes... etiamsi S. R. E. Cardinales sint, obligari ad personaliter residendum*,

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Cum residentia Pastorum, ut diximus, sit de jure divino, & naturali, ab ea non potest vera & propria dispensatione liberare Romanus Pontifex Episcopos, nec isti Parochos; possunt tamen declarare, quod tali urgente necessitate, vel postulante justa causa præceptum residendi non obliget: est enim præceptum positivum, quod obligat quidem semper, at non pro semper; proinde locum habere potest justissima causa, nimirum, ut inquit Tridentinum Concilium, *vel christiana caritas, vel urgens necessitas, vel debita obedientia, vel denique Reipublicæ utilitas*, quæ nonnullos a sua residentia abesse postulant, & permittunt.

CON-

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Episcopi solummodo de licentia Summi Pontificis possunt abesse a sui Episcopatus residentia, ut in Curia Regum, muneribus fungantur & officiis vel Regii Præsidis, vel Proregis, vel Consiliarii, vel Confessarii, dummodo id postulet necessitas, quia alii desunt ad ea munera idonei, vel christiana caritas, quæ utilitatem respiciat Populorum, & Ecclesiæ.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Pestilentia grassante Decretum Tridentini Concilii pro Parochorum residentia urget magis & obligat Episcopos ob majorem ipsorum obligationem, adeoque etiam cum vitæ discrimine residere debent, qu sitis tamen in sua Diœcesi opportunioribus locis; ex quibus magnis tunc urgentibus gregis sui necessitatibus valeant auxiliari. Sicut declaravit & decrevit Gregorius XIII. teste Fagnand lib. 3. Decret. in Cap. *Clericus* 17. de Cler. non resid. n. 46. & 47. Immo licet Coadjutorem habeat, ab onere residendi nequaquam liberatur, ut declaravit Sacra Congregatio in Neapolit. 24. Maji 1597.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Non licet Episcopis tres menses unius anni cum trimestri sequentis conjungere, ut per sex menses a sua Ecclesia absint. Ita declaravit Sacra Congregatio, ut Fagnanus refert in Cap. *Qualiter*, *de Clericis non residens*. Momenta, quæ ad id statuendum Sacram Congregationem impulere, hæc sunt ex ipso Fagnano. 1. Quia abessent tempore Adventus, & Quadragesimæ, quod vetuit Tridentina Synodus. 2. Qui absunt per sex menses, non censentur *tantisper abesse*, *quia statim reversuri sunt*, ut dicit præfata Synodus. 3. Sex mensium absentia gravis reputatur ab eadem Synodo, quippe quæ per sex menses sine justa causa absentes punit privatione quartæ partis fructuum Beneficii. 5. Denique tam diuturna absentia per se grave affert detrimentum Ecclesiæ. Non est itaque probabilis habenda, Salmanticensium opinio, qui cum Diana, & Pellizario id licere affirmant. Immo teste eodem Fagnano, non licere Episcopo, qui longo annorum spatio in sua Ecclesia assidue mansit, nec ipsa per tres menses vacatione usus est, per aliquod tempus abesse, vel absentiæ licentiam consequi, nisi aliqua ex causis a Tridentino approbatis, declaratum est a Sacra Congregatione.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Parochi nec per hebdomadam abesse possunt a sua residentia sine Episcopi licentia expressa, nec sufficit tacita. Immo licet absentiæ causa sit evidens, & ab Episcopo licentia non petatur, vel denegetur, non sufficit ad evitandas pœnas a Tridentino Concilio constitutas. Si tamen injuste denegetur, ad legitima Tribunalia confugere poterit Parochus, & si discessus ex improviso urgeat, scribendum erit Ordinario post discessum. Ruralibus tamen Parochis satis est licentia Vicarii Foranei ad brevem absentiam, quæ si sit duorum vel trium dierum, standum erit consuetudini Diœcesis, vel Synodi decretis. Ita Benedictus XIV. in Inst. 17. § 11. & 12.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Aeris intemperies non excusat nec Episcopum, nec Parochum a residentia. Episcopus tamen residere potest in quolibet loco suæ Diœcesis, dummodo Cathedralem adeat temporibus a Sacro Trid. Conc. statutis

tutis sess. 23. cap. 1. Parochus vero si ægrotaret, nec posset ibi ex Medicorum defectu curari, obtinere poterit ab Ordinario licentiam per quatuor menses recedendi, idoneo relicto Vicario. Nec excusatur a residentia, quia Parœcia tantum tribus vel quatuor milliariis distet ab urbe. Nec qui noctem agit quidem in loco, at summo mane Missa celebrata discedit, relicto substituto, & reliquum tempus agat in Civitate, & ita se gerit per majorem anni partem. Sic docet laud. Benedictus cit. Instit. ex pluribus Decretis Sacræ Congregationis n. 18.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Non satisfaciunt præcepto residendi Episcopi & Parochi sola corporali præsentia, nisi etiam pastoralis officii munia per se ipsos exerceant. Ita aperte colligitur ex Tridentino Concilio, quod Pastorum residentiam postulat non ad otiosam corporalem præsentiam, sed ut (scribit sess. 23. cap. 1.) *divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio & veritate pascant, & regant*. Quod declaravit etiam Aquilejense Provinciale Concilium anni 1596. cap. 5. ubi hæc habet: *Quod vero de Episcoporum residentia a Sacro Concilio Tridentino, & Summorum Pontificum Constitutionibus cautum est hoc non est intelligendum, ut præsentia assideant, nihil præterea agant; cum ex sacris Canonibus residentia sit accipienda in eum sensum ut sit laboriosa, non otiosa. Id quod duobus præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregie exprimitur*, ut regant & pascant. Nec excusantur a residentia Parochi, vel quia tenuiores, vel etiam tenuissimos fructus percipiant, sive quia paucissimi sint Parochiani, ut declaravit Sacra Congregatio Tridentini Concilii interpres. *Nec ille quidem*

[ut declarat S. Carolus Borromæus in V. Concil. Mediolanensi] *excusatur, cujus Ecclesia, aut Beneficium ejusmodi est, unde omnis aut certa magna pars fructuum aliquo modo reservata ad alium pervenit*.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Privilegia concessa Universitatibus, ut in eis docentes vel legentes sint a residentia dispensati, & fructus percipiant, revocata sunt a Tridentina Synodo, sic statuente sess. 23. cap. 1. *Nec executionem hanc* (pœnarum scilicet pro non residentibus) *quolibet privilegio, licentia, exemptione..... statuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est ..: vel vigore Eugenianæ Constitutionis suspendi posse*. Quod certe maxime intelligendum est de Parochis, qui cum ad residentiam teneantur jure divino, nulla consuetudo, vel privilegium contra jus divinum valet præscribere.

De Missa pro populo celebranda.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Prælati Regulares curam animarum habentes tenentur diebus festis, juxta Decretum Benedicti XIV. Missam pro suis subditis celebrare. Nam ita aperte statuit Concilium Tridentinum, qui dicit: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre*. Et revera non minus cura incumbit Prælatis Regularibus, quam Parochis pro grege sibi commisso.

De superfluo pauperibus erogando.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. In præsenti Ecclesiæ disciplina non videtur

detur illicitum, ut qui bona obtinent patrimonialia, etiam de reditibus ecclesiasticis vivant, nisi gravis urgeat pauperum necessitas. Non repugnat enim, ut qui *Altari deservit, & de Altari vivat*; &, ut inquit Apostolus, *Quis militat stipendiis suis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Nec Ecclesia repellit a Beneficiorum possessione, eorumque fructuum perceptione Clericos, qui patrimonia obtinent etiam pinguiora. Et sicut nihil prohibet, immo licitum est, ut quis, relicto consanguineis suo patrimonio, Religionem ingrediatur, ut ibi vivat, vel de Ecclesiæ reditibus, vel de elemosynis fidelium, cum rite hæc obtineat ex præstito Dei servitio, ita non videtur illicitum, ut quis, relicto familiæ patrimonio, ipse ex Beneficii fructibus vivat, quos juste percipit ministrans, & inserviens Ecclesiæ. Addidi tamen *nisi gravis urgeat pauperum necessitas*, quia tunc debet ex suo patrimonio vivere, cum bona illa sint in pauperum subsidium præcipue ordinata. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 3. qui cum sibi objecisset 3. loco S. Hieronymum ajentem: *Clericos illos convenit stipendiis Ecclesiæ sustentari, quibus parentum, & propinquorum bona nullà suffragantur. Qui autem bonis parentum, & opibus propriis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium committunt, & incurrunt*: sic respondet: " Non omnia bona „ Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi „ forte in articulo necessitatis, in quo etiam „ pro redemptione captivorum, & aliis necessitatibus pauperum vasa cultui divino „ dicata distrahuntur, ut Ambrosius dicit. „ Et in tali necessitate peccaret Clericus, si „ vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodo „ haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset ". Scio tamen aliam olim viguisse disciplinam, quam & hodie locum habere contendunt nobiliores Theologi Gennetus & Jueninus, nimirum habentes bona patrimonialia non posse fructibus Beneficii uti ad sui sustentationem, sed esse pauperibus omnino distribuendos juxta Canonem 45. ex his, quos Apostolicos vocant, in quo statuitur, ut *Episcopus de bonis Ecclesiæ in necessarium suum usum accipere possit, si tamen indigeat*, & juxta doctrinam SS. Hieronymi & Augustini, & primi quidem in Epistola ad Damasum, & citatur in jure Canonico caus. 1. quæst. 2. Canonis verba retulimus mox ex D. Th. Alter vero scilicet D. August. Epist. 15. ad Bonifacium scribit: *Quæ autem* (bona Ecclesiæ) *si pauperum, cum pauperes simus, & nostra sunt & illorum. Si autem privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus; non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. De hac doctrina optime scribit Gennetus: *Optandum foret, ut Clerici hac in parte plurimorum Canonum doctrinam sequerentur in praxi*.

Consectarium Duodecimum.

XII. Licitum est Beneficiariis de sibi necessariis ad sui sustentationem aliquid subtrahere, ut consanguineis auxilientur, si egentes sint, non vero ut ditescant. Ratio est, quia cum fructus illos juste consumere possint in suos usus & necessitates, non prohibentur illis seipsos privare. Et ita docet S. Th. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 2. " Dicendum, quod „ bona Ecclesiarum non sunt solum expendenda in usus pauperum, sed etiam in „ alios usus. Et ideo si de eo, quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, „ velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, idest ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant.

Unde

„ Unde Ambrosius dicit : Hæc est approbanda liberalitas , ut proximos seminis tui non despicias , si egere cognoscas ; non autem ut illos ditiores fieri velis ex eo , quod tu potes conferre inopibus " . Quod & confirmavit postea Concil. Tridentinum monens Episcopos & Beneficiarios , *ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos , familiaresque suos augere studeant . . . . sed si pauperes sunt , ut pauperibus distribuant* . Caveant tamen Beneficiarii , ne putent sibi parsimoniæ titulo substracta , quæ non expendunt in luxu , pompis , conviviis opiparis , ludis, similibusque; quia ista tantum abest , ut statui ecclesiastico necessaria sint , quin immo nec decent , sed revera in victus , & vestitus , commodorumque parcitate consistant , semper præ oculis habentes , illa esse Ecclesiæ bona solum in pios usus expendenda .

Consectarium Decimumtertium

XIII. Nec Canonici de quotidianis distributionibus , nec Beneficiarii de Missarum , & Exequiarum eleemosynis , nec Concionatores de stipendiis pro Concionibus ad libitum disponere possunt . Semper enim hæc officia sacra sunt , & quidquid pro illis rependitur , non datur pro mercede laboris corporalis , alioquin jam nulla esset simonia in mundo , cum nullum sit opus tam sacrum & spirituale , quod sine alio corporali labore administrari possit , sed datur pro sustentatione ministri . Ita diserte S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. " Pro spiritualium administratione aliquid dare tamquam mercedis pretium simoniacum atque illicitum est , non autem tanquam necessitatis , & subventionis stipendium " . Hinc audiendi non sunt Theologi , qui hæc bona & emolumenta inter bona *quasi patrimonialia* enumerant , ac proinde putant de illis posse Beneficiarios pro libito disponere , cum Ecclesia hæc bona quasi patrimonialia , idest partim ecclesiastica , partim secularia , partim sacra, partim profana nunquam agnoverit , sed universim statuerit can. *Episcopi* Caus. 12. quæst. 2. *Episcopi de rebus propriis , vel acquisitis , vel quidquid de proprio habent , heredibus suis si voluerint , derelinquant ; quidquid vero de provisione Ecclesiæ suæ fuerit , sive de agris , sive de fructibus , sive de oblationibus , omnia in jure Ecclesiæ reservare censuimus* . Et optime docet S. Augustinus lib. 2. de Serm. Dom. in Monte cap. 16. *Non enim debemus evangelizare , ut manducemus , sed ideo manducare , ut evangelizemus , non si propterea evangelizamus , ut manducemus , vilius habemus Evangelium quam cibum* . Quid autem diceret de illis , qui evangelizarent non ad manducandum , sed ad lucrandum , ad ditescendum ? Immo & de ipsis Missarum eleemosynis aperte docet D. Thom. in 4. sent. dist. 25. q. 3. art. 2. ad 2. *Si Sacerdos non habet alios sumptus , potest aliquid accipere pro celebratione Missæ , non tanquam pretium , sed quasi sustentationem vitæ* .

Consectarium Decimumquartum .

XIV. Non licet Beneficiario , qui habet bona patrimonialia , nec filiam sive legitimam , sive spuriam dotare , nec nepotes in studiis alere ex reditibus superabundantibus Beneficii , sed eis auxiliari poterit , si bonis patrimonialibus careat , nec alio modo possit illi providere . Et primum quidem manifestum est . Nam cum superflua Beneficiorum sint pauperibus distribuenda , filiæ , quæ Patrem habent bona patrimonialia possidentem, pauperes minime dicendæ sunt , proinde ex bonis illis sunt dotandæ . Similiter nec pauperes dici possunt nepotes , qui patruum , vel avunculum habent bona propria , & patrimonialia possidentem . Nec dices , eos adhuc pauperes esse posse, quia patruus & avuncu-

lus non eos alere tenetur; nam licet non teneatur ex debito justitiæ, tenetur tamen ex præcepto caritatis, a quo per possessionem bonorum ecclesiasticorum non liberatur, proinde fraudare nequit ceteros pauperes de superabundantibus sui Beneficii, ut nepotes egentes sustentet, quibus jam providere ex debito caritatis teneretur, & potest per bona patrimonialia. Altera vero pars est pariter manifesta, quia respectu filiæ, cui debentur alimenta, quorum locum obtinet dos, ea vere pauper esset, proinde ut pauperi dare posset dotem suo statui & origini consentaneam, videlicet certe minorem filiæ spuriæ, cum sit deterioris conditionis. Quoad nepotes vero non solum inspicere debet, num absolute indigeant, sed & aliorum pauperum numerus & necessitates sunt pensitandæ, quantitas redituum sui Beneficii, num videlicet tot superabundent, ut nepotibus consulens ceteros pauperes fortassis majore inopia laborantes non deserat: qualitates denique nepotum, num videlicet apti sint ad proficiendum in studiis, & aliqua sperari possit Ecclesiæ utilitas. His omnibus bene & coram Deo perpensis, ne caro & sanguis subrepat, illis opportuna auxilia poterit suppeditare. Non potest tamen nepotes ignobiles, & ad aratrum vel labores manuum natos in studiis alere, ut Causidici fiant, Medici, vel altius aliquod munus supra eorum conditionem assequantur: hoc enim esset bonis Ecclesiæ consanguineos ad altiorem statum evehere, non pauperibus subvenire, quod est a Tridentino interdictum.

Consectarium Decimumquintum.

XV. Non semper Beneficiarius satisfacit præcepto erogandi superflua pauperibus, si singulis annis statuat decimam, vel quartam partem redituum in pia opera erogare. Quandoquidem præceptum importat, ut omnia, quæ congruæ sustentationi Beneficiarii supersunt, in pauperes, vel pia opera distribuantur. Proinde si decima, vel quarta pars redituum sit revera id, quod superest congruæ sustentationi Beneficiarii, præceptum implet eam erogando; at si alia adhuc superabundent, non implet, nec muneri suo satisfacit, sed tenetur & illa in usus pauperum distribuere. Sic enim jubent & Canones, & Concilium Tridentinum, & ipsa bonorum ecclesiasticorum ratio postulat.

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Non licet Beneficiario ex superabundantibus sui Beneficii, vel bona ipsa Beneficii augere, vel in futurum reservare, si pauperum urgeat necessitas. Hæc est S. Thom. doctrina, qui 2. 2. q. 185. art. 7. ad 4. scribit: " Dicendum, quod bona Ecclesiarum usibus pauperum deservire debent. Et ideo si quis, necessitate non imminente providendi pauperibus, de his, quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiæ, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati Ecclesiæ, & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si vero necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est, & inordinata, ut aliquis in futurum conservet: quod Dominus prohibet Matth. 6. dicens: *Nolite solliciti esse in crastinum*.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. Qui pensiones obtinent vel Commendas, tenentur superflua ad sui sustentationem pauperibus erogare. Quandoquidem pensiones partes sunt redituum Beneficiorum, quæ ex eo quod sint a Beneficio separatæ & sejunctæ, conditionem suam non amittunt. Nec eas concedit Summus Pontifex, ut in profanos usus expendantur, sed titulo sustentationis & pietatis; & revera pensiones nul.

nulla alia causa, alioque jure institui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus & indigentibus concedi debent, monuere Cardinales & Præsules a Paulo III. delecti pro morum & Curiæ reformatione. Idem dicendum & de Commendis, quæ ex bonis pariter ecclesiasticis constituuntur, multoque magis si ipsa Beneficia dentur in commendam, cum enim tunc Commendatarius loco sit Beneficiatii, sicut & hujus commoda percipit, ita & onera ferre tenetur. Ita communiter sentiunt & ipsi benigniores Theologi, qui tamen audiendi non sunt, dum docent, probabilem esse sententiam afferentem, pensionem etiam in profanos usus posse consumi, ut Busembaum, aliique apud ipsum.

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. Clericus Theologiam docens in aliqua Universitate, vel Collegio dominus est stipendii, quod lucratur, dummodo fructus non sit alicujus Præbendæ sibi in titulum collatæ cum onere Theologiam docendi. Ratio primæ partis est, quia stipendium illud non datur docenti, *consideratione Ecclesiæ*, ut loquitur Alex. III. in Cap. *Quia nos* extra de Testam., sed vel tamquam stipendium Magisterii in Cathedræ fundatione constitutum, vel ex Principis liberalitate donatum. Ratio vero secundæ partis est manifesta, quia Præbenda eo quod sit theologicæ Cathedræ addicta, naturam indolemque ecclesiastici Beneficii non exuit, vel amittit; ex quo Beneficiatus, quæ ad sui sustentationem sunt necessaria, recipiat, cetera vero, quæ supersunt, pauperibus distribuat.

Consectarium Decimumnonum

XIX. Nulla legitima consuetudine induci potest, ut Beneficiarii de reditibus & fructibus suorum Beneficiorum licite, & valide in testamentis disponant ad profanas causas. Nam cum ea bona sint patrimonium Christi, pretia peccatorum, & subsidium pauperum, idque ex indole, & natura sua, & ex fundatorum intentione, nulla consuetudo, quæ ad profanas causas de bonis illis disponat, legitima esse potest, licita & valida, sed merus abusus sit oportet, & corruptela. Quod verum est etiam in illorum sententia, qui dominium Ecclesiasticis tribuentes justitiæ debitum distribuendi in pauperes superflua denegant. Quandoquidem & isti fatentur teneri & ex virtute religionis, & ex caritatis præcepto, & ex lege ac mandato Ecclesiæ, quæ superabundant in pia opera insumere. Porro nulla consuetudo valet legibus caritatis & Religionis derogare. Licet vero alicui Ecclesiæ præcepto contraria consuetudo suis munita conditionibus, quas late expositas invenies tract. 1. de Legibus cap. 13. n. 15. & 16. valeat derogare, id tamen minime constat effectum in ea consuetudine, adversus quam incessanter reclamant & Summi Pontifices, & Synodi fere omnes tum Provinciales, tum Diœcesanæ. Quare reprobanda est Lessii doctrina scribentis: *Præcipua ratio, cur tam stricte extra necessitatem gravem corporalem, vel spiritualem proximi teneantur* (Beneficiarii) *superflua illa in pauperes, vel pia opera impendere, est Ecclesiæ præceptum, quo semoto* [per contrariam consuetudinem] *etsi nonnulla sit inordinatio, tamen non videtur mortifera*. At cur non mortifera ea inordinatio, quæ, semoto etiam præcepto Ecclesiæ, leges violat religionis & caritatis, & quidem in re gravi, cum damno Ecclesiæ, & pauperum, qui bonis illis privantur?

CA-

CAPUT XI.

De Beneficiorum vacatione.

DOCTRINA.

I. *Pluribus modis vacare Beneficia possunt.*
II. *Resignationes puras admittere possunt Ordinarii legitimis de causis.*
III. *Per Professionem Religiosam vacant Beneficia.*
IV. *Et per Matrimonium validum, etiam non consummatum.*
V. *Nonnulla crimina ipso facto inferunt privationem Beneficiorum.*
VI. *Per promotionem ad Episcopatum omnia promoti beneficia vacant.*

I. PLURIBUS modis vacare Beneficia possunt, de quibus latissime disputant juris canonici Doctores. Nos nonnulla potiora, & Morali Theologo scitu necessaria delibabimus. 1. Primus & potissimus modus vacationis est per mortem Beneficiarii. 2. Per renunciationem, vel resignationem, sive cessionem, quæ est voluntaria dimissio Beneficii coram Ordinario legitime facta. 3. Per Professionem Religiosam. 4. Per validum Matrimonium. 5. Per consecutionem alterius Beneficii incompatibilis. 6. Ob varia crimina perpetrata, quæ Beneficiis omnibus ipso facto privant.

II. Resignationes puras admittere possunt Ordinarii legitimis de causis. Resignationes vero conditionatæ, cujusmodi sunt resignationes in favorem alterius, vel cum reservatione fructuum, vel pensionum, solus Romanus Pontifex potest admittere. Causæ legitimæ resignationis a S. Pio V. designatæ fuerunt in Constit. 98. anni 1568. & hæ ferme sunt. Impotentia Beneficiati ad ecclesiasticum ministerium vel ob nimiam & ægram senectutem, vel ob infirmitates. Si fiat cæcus, mutus, claudus, vel corpore ob alicujus membri abscissionem notabiliter deformatus. Si sit publice scandalosus, ebrietati deditus, concubinarius. Si sit exilio mulctatus. Si denique ob capitales inimicitias, vel populi odium non valeat, aut audeat in loco residere.

III. Per Professionem Religiosam vacant Beneficia, servata tamen forma a Concilio Tridentino constituta, quod sic statuit sess. 25. cap. 16. de Regular. *Nulla renunciatio, vel obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante Professionem: ac non alias intelligatur effectum sortiri, nisi secuta Professione: aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.*

IV. Per Matrimonium validum etiam non consummatum vacat Beneficium, quia sic se gerens Clericali statui abrenunciat, & incompatibilem cum illo assumit, & *quia*, ut inquit Alex. III. in Caput *Quod ad te* de Clericis conjug. *simul voluptatibus, & carnalibus desideriis, ac divinis & ecclesiasticis obsequiis vacare non valent.* Dixi per validum matrimonium, quia si nullum sit, dissident Theologi. Nonnulli censent ipso facto vacare, cum etiam per Matrimonium nullum virtualiter renuntiet Beneficio, & ostendat se velle Clericalem statum relinquere. Alii negant, quia Matrimonium nullum idem est ac si Matrimonium non esset, nec per illud potest vacare voluptatibus & carnalibus desideriis. Alii denique distinctione utuntur. Nimirum si Matrimonium contraxit bona fide, & cum debita solemnitate ignorans impedimentum, & nullitatem, non amittit jus ad Beneficium, quod ipso facto amittit, si scienter & mala fide contrahat. Salmanticenses arbitrantur per Matrimonium quocumque

que modo nullum non amitti ipso facto jus ad Beneficium, sed requiri sententiam judicis criminis, si adsit, declaratoriam.

V. Simonia, hæresis, sodomia, intrusio fulmet in Beneficium, Episcopi, vel Cardinalis percussio, falsificatio literarum Apostolicarum, & homicidium qualificatum, cujusmodi foret Patris vel Matris occisio, vel per sicarium mercede conductum, crimina sunt, quæ Beneficiorum privationem ipso facto inferunt; requiritur tamen sententia judicis criminis declaratoria, quæ vim habet a die patrati sceleris, adeo ut & amittat & privetur omnibus reditibus & fructibus perceptis, & nulla sit vel resignatio vel permutatio post crimen patratum facta, sed rescindi possit. Sunt & alia crimina, puta homicidium simplex, adulterium, perjurium in judicio, & similia, ob quæ non ipso facto Beneficio privantur, sed privari possunt rei per sententiam judicis non solum declaratoriam criminis, sed & condemnatoriam.

VI. Quænam sint Beneficia compatibilia & incompatibilia, jam superius diximus, & Decreta attulimus Tridentini Conc. Solum hic addimus, per promotionem ad Episcopatum omnia, obtinentis eam dignitatem, Beneficia vacare, & etiam pensiones, & jus seu facultatem eas transferendi, ut communiter docent Canonistæ. Tunc vero censentur, vacare, ex stylo Curiæ, statim ac est promotus & confirmatus a Summo Pontifice. Quod tamen non est intelligendum de Episcopis Titularibus quorum Beneficia per promotionem & consecrationem non vacant. Pari jure vacant etiam omnia Beneficia per promotionem ad Abbatiam secularem, quæ jurisdictionem habeat quasi Episcopalem, cum Episcopatui æquiparetur.

CAPUT XII.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui in infirmitate Beneficium renunciat, nisi in vivis egat per dies viginti post resignationem, resignatio nulla est.*

II. *Resignatio in favorem determinatæ personæ illicita est, licet conditio non de rigore adjiciatur.*

III. *Multo magis illicita cum conditione rigorosa.*

IV. *Non est illicitum admittere ad Beneficia consanguineos, & familiares Collatoris, vel Beneficiati, quoties Beneficium per mortem vacaverit.*

V. *De resignationibus factis in manu Pontificis quid statuat Benedict. XIV.*

VI. *Quid statuat de Beneficiatis Religionem ingredientibus.*

VII. *Doctrina Busembaum non admittenda.*

VIII. *De fructibus primi anni reservatis hæredibus Beneficiarii quid sentiat laudatus Pontifex.*

Reflexio.

Consectarium primum.

I. QUI in infirmitate Beneficium renunciat, nisi in vivis agat per dies viginti post resignationem, hæc nulla est, & Beneficium vacare censetur per obitum Beneficiarii. Nec potest infirmus in periculo mortis constitutus Beneficium resignare cum spe regressus, si convalescat, cum a Tridentina Synodo omnes ad Beneficia regressus vetiti sint sess. 25. cap. 7. de Reform. his verbis: *Nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur.* Quod confirmavit & S. Pius V. in Bulla *Romani Pontificis*.

CON-

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Resignatio in favorem alicujus determinatæ personæ in manibus Episcopi facta, illicita est, licet conditio hæc non de rigore a resignante adjiciatur. Nam S. Pius V. in Bulla *Quanta Dei Ecclesia* has præstituit conditiones servandas in resignationibus. 1. Quod si Beneficiarius in sacris sit constitutus, habeat unde decenter vivere possit. 2. Ne Beneficia resignata quocumque modo, vel per ambages & circuitiones conferantur consanguineis, affinibus, aut familiaribus resignantium. 3. Quod resignantes nec *nutu, verbo, signove* alio designent suos successores. 4. Ne ulla aut promissio, aut conventio intercedat inter resignantem & collatores. Non est itaque probabilis habenda Salmanticensium doctrina, qui putant, licere, post absolutam factam renunciationem, declarare Prælato desiderium resignantis, vel aliqua proferre, etiam in ipsa resignatione, verba, quæ hocce indicent desiderium, dummodo rigorosam conditionem non afferat. Cum & hoc ipsum sit a S. Pontifice vetitum, qui expresse interdicit Episcopis, ne conferant Beneficia resignata illis, qui *verbo*, aut *nutu* fuerint a resignantibus indicati. Num autem verum sit, quod addunt præfati Salmanticenses, nimirum, hanc S. Pii Constitutionem non esse in Hispania receptam, videant ipsi docti Theologi Hispani, quibus hoc remittimus examinandum.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Multo magis illicita est resignatio cum conditione rigorosa, ut alteri determinato conferatur. Patet ex præcedenti. Et hoc in casu poterit Episcopus resignationem acceptare, & rejecta iniqua conditione conferre Beneficium illi, quem digniorem esse coram Deo judicaverit. Quod si hoc pacto Beneficium quis resignaverit ignorans id sibi vetitum, præterquamquod hæc ignorantia crassa est, & supina respectu Beneficiarii, qui scire debet, quæ sunt muneris sui, poterit Episcopus eum monere de iniquitate conditionis; quod si monitus desistere nolit, acceptet resignationem, & conditionem rejiciat. Et jure merito, nam hujusmodi resignationes in favorem alterius determinatæ personæ antiquis canonibus adversantur, & ab eis Ecclesia semper abhorruit, ut testatur Zacharias Papa in respons. ad Bonifacium Moguntinum Episcopum, & habetur in canone *Petisti* 7. quæst. 5. sic scribens: *De eo autem, quod tibi successorem constituere dixisti, ut te vivente in tuo loco eligatur Episcopus, nulla ratione concedi patimur; quia contra omnem ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum esse monstratur.* Nec prodest, quod hujusmodi resignationes quandoque in Romana Curia admittantur: quia Pontifices Summi expositis nituntur, quæ si vera sint, & in gloriam Dei & utilitatem Ecclesiæ cedat resignatio, valida est & licita concessio, si aliter, Deo erit reddenda ratio.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Non est illicitum admittere ad Beneficium consanguineos, affines, & familiares sive Beneficiati, sive Collatoris, quoties Beneficium per mortem vacaverit. Nam, ut narrat Pontifex Summus Benedictus XIV. de Synodo lib. 13. cap. 24. n. 6. Bulla S. Pii V. confirmata fuit etiam a Gregorio XIII. qui statuit, in resignatione Beneficii non esse admittendos ad concursum consanguineos, vel affines, vel familiares Episcopi: hinc S. Congregatio occurrente obitu Beneficiarii respondit, nec tunc admittendos esse præfatos ad concursum, nec illis esse conferendum Beneficium. *Verum* (subdit Pontifex sapientissimus) *cum providus Secretarius*

rius animadvertisset casum vacationis per obitum longe differre a casu vacationis per resignationem, rem totam detulit ad Sixtum V. Pontificem, qui omnibus accurate perpensis declaravit, Bullam Pianam locum sibi vindicare in Parochialibus per resignationem vacantibus, non vero per obitum Beneficiarii; proinde licere Episcopis in eo casu, & ad concursum admittere, & Beneficium conferre præfatis, si digniores fuerint judicati.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. De resignationibus factis in manu Pontificis statuit Benedictus XIV. in Bulla *Ecclesiastica ministeria*, ut admissis a Pontifice resignationibus Beneficiorum, & vicissim admissis super eo provisionibus, dispositionibus &c. literæ gratiæ signatæ intra sex menses ita executioni mandentur, ut intra eosdem menses à novo proviso, Beneficii capiatur possessio. Si vero Beneficia illa sint ultra montes, prorogetur terminus usque ad novem menses, a data concessionis gratiæ numerandos. Ubi vero justis de causis prorogatio aliqua postuletur, permittit, ut certiorato prius Officio Subdatarii de Apostolicis literis expeditis fiat prorogatio prima & secunda vice, ulteriores omnino prohibet. Et si legitimum impedimentum perseverare concludenter apud Datarium probatum fit, facultas sit Datario tot ulteriores prorogationes concedere ad exequendas literas Apostolicas, quot necessariæ sunt ad impedimenti remotionem. Sublato vero sic impedimento, si nihilominus perseveretur in differenda executione literarum Apostolicarum, Apostolica tunc gratia nulla & irrita censeatur.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. De Beneficiariis autem Religionem ingredientibus statuit laudatus Pontifex juxta Tridentini Concilii mentem, ut Beneficium non vacet, nisi post professionem, tempore vero intermedio inter ingressum & professionem, quoad Beneficia curata, debet Episcopus eo modo se gerere, ut quando Parochus aliquo detinetur impedimento. Quoad Beneficia vero choralia, relictis tyroni religioso ipsius Beneficii fructibus, de distributionibus ita statuat, ut jura præscribunt. Si forte Beneficiatus Religionem ingressurus Beneficium suum dimitteret, quæ renunciatio admitti potest ex Constit. 58. S. Pii V. sive eam renunciationem faceret juxta statuta a Concilio Tridentino superius recitata, nihilominus in suspenso remanere debent ea Beneficia, nec potest Episcopus alteri conferre, nisi post factam a renunciante solemnem professionem. Ita in literis ad Cardinalem Quirinum Bull. T. 2. n. 25. Qui etiam docet posse Presbyteros Ecclesiæ vel Diœcesis servitio addictos ad regularem statum etiam proprio invito Episcopo transire; tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere. ib. n. 25.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Non videtur admittenda doctrina Busembaum lib. 4. cap. 2. art. 4. qui docet inter Beneficia compatibilia esse numerandos Canonicatus nonnullarum Cathedralium Ecclesiarum Germaniæ, quippe quæ ex immemorabili consuetudine requirunt tantum residentiam medii anni, vel trium mensium. Quandoquidem hæc consuetudo legitima esse non potest utpote contraria præceptis Ecclesiæ, religioni, & justitiæ. Adversatur legi Ecclesiæ, & quidem in Tridentino Concilio latæ approbantibus & consentientibus ipsis Episcopis Germaniæ, a quo statuitur, ut *obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, præbendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti ac CONSUETUDINIS ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse*. Adversatur religioni, quippe quia hujusmodi

consuetudo, quæ potius abusus & corruptela dicenda est, divinum cultum imminuit, Ecclesiam suo servitio defraudat, plebi christianæ offensionem & scandalum præbet, hæreticos ad risum & cachinnos provocat; otium in Ecclesiasticis fovet, ansam præbet plures hujusmodi Canonicatus captandi, ad vitam cum luxu & fastu traducendam. Adversatur denique justitiæ, & juri naturali; cum percipiantur fructus totius anni; & quidem uberrimi satisque ampli, & servitium non præstetur Ecclesiæ, nisi per quartam, vel ad summum per dimidiam partem anni, & sic integram, plenamque mercedem accipiant pro tertia vel dimidia laboris parte. Non ambigo, præclarissimos Germaniæ Episcopos zelo & pietate ornatos toto studio hanc consuetudinem seu abusum & corruptelam extirpare conatos esse; quod si forte alicubi adhuc vigeat, id non eorum est imputandum negligentiæ, sed rei difficultati, ob quam tantum tolerant, quod sine magna perturbatione auferre non possunt. Sibi interim prospiciant hujusmodi Canonici, & suæ consulant æternæ saluti, & videant ac serio perpendant, num sint optimam de hac qualicumque consuetudine Christo judici rationem reddituri.

Consectarium Octavum.

VIII. Optime docet sapientissimus Pontifex Bened. XIV. De Syn. Diœc. lib. 7. cap. 30. §. 3. consuetudines, vel etiam statuta Ecclesiarum reservandi hæredibus Beneficiarii jam defuncti fructus primi anni obtenti Beneficii valere, cum nihil deroget juri illius, qui in Beneficium succedit, cum & ipse post mortem eodem jure potiatur, ac plures allegat in favorem hujus consuetudinis Sacræ Congreg. decisiones. Cum vero hæc consuetudo invecta sit, ut idem Pontifex animadvertit, ut Beneficiario *justa reddantur exequiæ, & æs alienum, si quo forte gravatus decesserit, solvatur*, meminisse debent hæredes, his detractis expensis, quod superest esse pauperibus distribuendum, quippe quia bona sacra sunt, & hoc onere gravata penes ipsum Beneficiarium, cujus cum hæredes sint, sicut beneficium hæreditatis sentiunt, ita & onera portare debent.

REFLEXIO.

1. *Nihil est in hac vita* (scribebat Episcopo suo Valerio D. Augustinus jam ab eo Presbyter ordinatus) *& maxime hoc tempore, facilius, ac lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi Officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil est in hac vita, & maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi Officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.* Utinam hæc aurea verba perpenderent Ministri Domini, & christiani populi Pastores. Jucundum quidem, felicem, & utilem reperient & Episcopatum & Ministerium, si in eo se invenisse arbitrentur, ut inquit Augustinus epist. 85. *artificium transigendæ vitæ fallacis, si in ea profusione vivere velint, cui frugalitas Ecclesiæ suæ sufficere non possit*, si otio indulgere, si gloriam ab hominibus quærere, si divitiis abundare, si denique in Ecclesia dignitate, honore, gloria, opibus splendescere cupiant, neglectis interim Pastoris muneribus, rejecta in Vicarios & Mercenarios sollicitudine pastorali, qui oves quidem mulgeant, tondant, comedant, quin curent quod infirmum est consolidare, quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, quod erraverat quærere. At nihil apud Deum tandem in extremo agnoscent esse posse miserius, tristius, damnabilius. En quomodo contra istos

istos detonet mellifluus Bernardus Serm. 33. in Cantica : *Ministri Christi sunt , & serviunt Antichristo , honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt . Inde is , quem quotidie vides , meretricius nitor , histrionicus habitus , regius apparatus . Inde aurum in frenis , in sellis , in calcaribus : & plus calcaria , quam altaria fulgeant . Inde splendidæ mensæ & cibis , & scyphis refertæ . Inde comessationes & ebrietates , inde torcularia redundantia , & promptuaria plena , eructantia ex hoc in illud ; inde dolia pigmentaria , inde referta marsupia . Pro hujusmodi esse volunt Ecclesiarum Præpositi , Decani , Archidiaconi , Episcopi , & Archiepiscopi . Olim prædictum est , & nunc tempus impletionis advenit : ecce in pace amaritudo mea amarissima . Amara prius in nece Martyrum , amarior post in conflictu hæreticorum , amarissima nunc in moribus domesticorum .* Nec minori voce declamat D. Cyprianus Serm. de Lapsis : *Non in Sacerdotibus Religio devota , non in Ministris fides integra , non in operibus misericordia , non in moribus disciplina . . . . . Student augendo patrimonio singuli ; & obliti , quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent , aut semper facere deberent , insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incumbunt . . . . Episcopi plurimi , quos & hortamento esse oportet ceteris & exemplo , divina procuratione contempta , procuratores rerum secularium fieri , derelicta cathedra , plebe deserta , per alienas provincias oberrantes , negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari , esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire , habere argentum largiter velle , fundos insidiosis fraudibus rapere , usuris multiplicantibus fœnus augere . Quid non perpeti tales pro peccatis meremur .* Profecto hujusmodi terribile illud væ pertimescere debent , quod illis minatur & intentat Dominus Ezechielis Prophetæ verbis : *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos , nonne greges a Pastoribus pascuntur . . . . . Vivo ego, dicit Dominus , quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam , & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri , eo quod non esset pastor , neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum . . . . Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum , & cessare faciam eos , ut ultra non pascant gregem meum . . . . & liberabo gregem meum de ore eorum , & non erit ultra eis in escam .*

II. Nec minus veritati conforme experientur Episcopi & Ecclesiæ Ministri , quod secundo loco ajebat Augustinus , *nihil scilicet , in hac vita , & maxime hoc tempore , difficilius , laboriosius , periculosius Episcopi , aut Presbyteri , aut Diaconi officio , sed apud Deum nihil beatius , si eo modo militetur , quo noster Imperator jubet* . Siquidem quales esse debeant, in se ipso docet Apostolus , dum Epistolam ad Romanos sic exorditur : *Paulus , servus Jesu Christi , vocatus Apostolus, segregatus in Evangelio Dei* . Servi Dei itaque primo loco sint oportet . & quidem non qualicumque servitio mancipati , sed per quod ita sint Christi obsequio addicti , ut omni abjecta terrenarum rerum cura & sollicitudine , unice in lucro , in salute animarum procuranda exemplis , piis adhortationibus , precibus, eleemosynis Christo serviant , illi adhæreant , illum imitentur , unde dicere possint cum Apostolis : *Ecce nos relinquimus omnia , & secuti sumus te* ; & Pauli impleant præceptum : *Labora sicut bonus miles Christi : Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus , ut ei placeat , cui se probavit* . 2. Ut sint vere a *Deo vocati* . Quid enim periculosius quam in Ecclesiam ingredi , Cathedras occupare , in divina ministeria irrumpere non assiduo studio , non pietatis operibus, non zelo divinæ gloriæ , non Ecclesiasticæ disciplinæ observantia , sed precibus , commendatitiis epistolis , Magnatum favore ? Quid turpius quam videre Clericos Aulas Principum , Palatia

Magnatum, Matronarum domos obsidentes, illis inservire, adulari, blandiri, ut pinguiora Sacerdotia, opulenta Beneficia, ditiores præbendas aucupentur? Mirum proinde non est, si hoc modo per fenestras in ovile ovium ascendentes ut fures, & non per januam ut pastores, oves postea non solum non pascant, sed pravis exemplis, scandalis, negligentia sua mactent & perdant, si ecclesiastica munia perfunctorie obeant, si chorum frequentent solum quantum satis est, ne reditibus priventur. Hos Ecclesiæ Præsules repellere debent, & quas offerunt commendatitias Epistolas sub eorum oculis dilacerantes, obtestari, se constantissime hujusmodi Clericos ab Ecclesiasticis muneribus tanquam indignos reprobaturos. 3. Denique *segregati esse debent in Evangelium*. Munus enim Episcoporum & Parochorum est prædicare Evangelium, docere populum non solum quæ credenda sunt, sed & quæ agenda, in vitia & pravas consuetudines declamare, scandala tollere, pietatem, religionem, Sacramentorum frequentiam totis viribus promovere. Hoc quidem fateor cum Augustino, difficile, laboriosum est, cum non raro sint multorum odia subeunda, injuriæ, dicteria, & probra devoranda; at nihil simul coram Deo beatius, cum ipse dixerit Christus: *Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis*.

III. Porro quomodo Spiritum Christi concipere possint Sacerdotes Ministri Domini, & sua munia implere, optime docet idem Augustinus eadem epistola, ex qua hujus Reflexionis sumpsimus exordium. *Non est dubitandum* [scribit] *esse in sanctis libris conscripta consilia, quibus cognitis & apprehensis possit homo Dei rebus ecclesiasticis ordinatioribus ministrare, aut certe inter manus iniquorum vel vivere conscientia saniori, vel mori, ut illa vita non amittatur, cui uni christiana corda humilia & mansueta suspirant. Quomodo autem hoc fieri potest, nisi quemadmodum ipse Dominus dicit, petendo, quærendo, pulsando, idest orando, legendo, plangendo?* Petant igitur orationibus divinæ gratiæ auxilia, queis sui possint officii implere ministeria, quærant in Sacris Scripturis christianæ vitæ documenta, eaque legant assidue, nocturna versent manu versentque diurna, & denique lacrymis ad divinæ misericordiæ fores pulsent petendo, ne unquam sinat, ullam ex sibi concreditis animabus sua culpa vel negligentia perire, sed læti dicere cum Christo possint: *Pater sancte, serva eos, quos dedisti ..... cum essem cum eis ego, servabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, & nemo ex eis periit*.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

DOCTRINA.

I. *Religio i opponuntur vitia & per excessum, & per defectum.*
II. *Superstitio quid sit.*
III. *Plures ejus species numerantur.*
IV. *Prima in alias subdividitur ex parte modi.*
V. *In alias ex parte objecti.*
VI. *Vitia opposita Religioni per defectum enumerantur.*

I. QUEMADMODUM & ceteræ morales virtutes, ita & Religio sua habet opposita vitia & per excessum & per defectum. Per excessum quidem non quasi plus Deum colere ac venerari possimus quam debeamus, vel ipse mereatur, sed quia, ut docet S. Th. 2. 2. q. 92. art. 1. " Contingit „ excedere medium virtutis non solum secundum circumstantiam, quæ dicitur *quantum*, sed etiam secundum alias circumstantias. Unde & in aliquibus virtutibus, „ sicut in magnanimitate, & magnificentia „ vitium excedit virtutis medium, non quia „ ad aliquid majus tendat quam virtus, sed „ forte ad minus. Transcendit tamen virtutis medium, inquantum facit aliquid cui „ non debet, vel quando non debet." Per defectum vero ea Religioni adversantur, quæ, ut subdit idem Angelicus „ manifestam habent contrarietatem ad Religionem per „ contemptum eorum, quæ pertinent ad „ divinum cultum„. Vitium oppositum per excessum vocatur generali nomine superstitio; oppositum vero per defectum dicitur irreligiositas.

II. Superstitio definitur ab Angelico Doctore *Vitium Religioni oppositum secundum excessum.... quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* Unde etiam optime eam sic designat Lactantius, dum dicit: *Religio veri cultus est, superstitio falsi*, scilicet vel ratione objecti quod colit, nimirum falsum Numen, vel ratione modi colendi, nimirum per falsum cultum.

III. Ex sua definitione D. Ang. plures deducit species superstitionis. Observat siquidem " vitium superstitionis in hoc consistere, quod „ transcendit virtutis medium secundum aliquas circumstantias, ut supra dictum est. „ Non enim quælibet circumstantiarum corruptarum diversitas variat peccati speciem, „ sed solum quando refertur ad diversa objecta, vel diversos fines. Diversificantur ergo superstitionis species primo *ex parte modi*, secundo *ex parte objecti*. Potest enim „ divinus cultus exhiberi vel cui exhibendus „ est, scilicet vero Deo, modo tamen indebito; & hæc est prima superstitionis species; „ vel ei cui non debet exhiberi, scilicet cuicumque creaturæ, & hoc est aliud superstitionis genus." Ibid. art. 2.

IV. Primam superstitionis speciem ex parte modi indebiti colendi Deum in alias subdividit idem D. Ang. q. 93. art. 1. nimirum

um 1. si cultus, qui vero Deo exhibetur, vel aliquam afferat falsitatem, vel superfluitatem. Unde subdit. "Si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus . . . . & hoc modo tempore novæ legis peractis jam Christi mysteriis perniciosum est uti cæremoniis veteris legis, quibus Cristi mysteria figurabantur futura". Et similiter si ex parte colentis contingeret falsitas, & præcipue in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ, ut si quis se sacerdotem simulans auderet Sacrificium offerre, vel jejunare vellet diebus Dominicis. Ex superfluitate vero cultus alius consurgit modus indebitus colendi Deum alteram constituens speciem, nimirum ut subdit Angelicus art. 2. "Si aliquid fit, quod quantum est de se non pertinet ad Dei gloriam, nec ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut carnis concupiscentiæ inordinatæ refrænantur, aut etiam si fit præter Dei & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem comunem, quæ secundum Augustinum pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum & superstitiosum". Et hoc superstitionis genere polluerent, qui ex. c. plures particulas sumere vellet in Eucharistia, vel grandiorem, putans sibi magis profuturum sacramentum, quod damnat D. Th. 3. p. quæst. 79. art. 7. ad 3. dicens: "Nihil est plus veritatis in multis hostiis consecratis, quam in una, cum sub omnibus & sub una non sit nisi totus Christus; unde nec si aliquis simul in una Missa multa hostias consecratas sumat, participabit majorem effectum sacramenti".

V. Ex parte vero objecti quod colitur "Superstitionis crimen incurritur, quando nimirum, dicit Angelicus, divinus cultus exhibetur ei, cui non debet exhiberi, & hoc est aliud superstitionis genus, quod in multas species dividitur secundum diversos fines divini cultus. Ordinatur enim primo divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam, & secundum hoc prima species hujus generis est idololatria, quæ divinam reverentiam exhibet creaturæ. Secundo ordinatur ad hoc, quod homo instruatur a Deo quem colit, & ad hoc pertinet superstitio divinativa, quæ Dæmones consulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita, vel expressa. Tertio ordinatur divinus cultus ad quamdam directionem humanorum actuum secundum justitiam Deiqui colitur, & ad hoc pertinet superstitio quarumdam observationum."

VI. Ex hac Ang. D. doctrina sequitur, omnes superstitionis species ad quatuor revocari posse, quæ ceteras omnes minutiores complectatur divisiones, nimirum Superstitio indebiti cultus, Superstitio idololatriæ, Superstitio divinationis, Superstitio vanæ observantiæ. De quibus omnibus & singulis in hac disputatione agemus.

VII. Ex parte vero defectus Religioni opponitur irreligiositas, quæ contemptum eorum importat, quæ ad divinum pertinent cultum; & hæc quatuor pariter complectitur species, quas sic enumerat D. Th. nimirum tentationem Dei, perjurium, sacrilegium, & simoniam, quas suo loco explicabimus, excepto tamen perjurio, de quo in secundo Decalogi præcepto, ubi de juramento, & voto disputabimus.

CAPUT I.

De Superstitione indebiti cultus, & de Idololatria.

DOCTRINA.

III.

III. *Tres modi Deum superstitiose colendi explicantur* .

IV. *Idololatria in quo sita sit juxta D. Th.*

V. *Quomodo Idololatriæ scelus omnium gravissimum dicatur* .

I. AD dignoscendum, num in aliqua actione vitium lateat superstitionis, hæ Regulæ observandæ communiter a Theologis proponuntur.

Regula Prima.

Quando actio, quæ ut medium adhibetur ad aliquem obtinendum effectum, nullam habet cum eodem connexionem, vel influxum, sive ex natura sua, sive ex institutione divina, tunc facile est subrepere superstitionem. Attendendus est igitur nexus inter causam & effectum, medium & finem, & quando nullus apparet, immo summa elucet disparitas, omittenda ceu de superstitione suspecta. Hujusmodi esset salem ponere die prima Aprilis in quatuor angulis pascuorum, ut peccora a maleficio serventur, cum nulla sit connexio inter effectum, & causam; & hujus generis plures sunt inter Christianos præcipue rudes, de quibus nonnulla dicemus in Consectariis.

Regula Secunda.

II. Quotiescumque aliquod etiam pietatis opus nihil confert vel ad gloriam Dei, vel ad utilitatem animæ, & præcipue si Ecclesiæ ritibus vel consuetudini adversetur, superstitiosum reputandum est. Est hæc regula ex S. Th. doctrina desumpta, cujus verba superius dedimus n. 4. Peccant contra hanc regulam qui Missam audire nolunt nisi ante Solis ortum, vel putant eam magis prodesse, vel orant adhibito tali numero, ordine, & colore cereorum.

III. Tripliciter autem contingit, ut superstitioso modo, seu inordinato Deum colamus, nimirum cultu vel falso & pernicioso, vel turpi, & indecenti, vel simpliciter superfluo. Falsum cultum explicat A. D. 2. 2. q. 93. art. 1. ostendens ex duplici capite oriri posse, nimirum " Si „ per cultum exteriorem aliquid falsum si„ gnificetur, erit cultus perniciosus; & hoc „ modo tempore novæ legis perniciosum est „ uti ceremoniis veteris legis, quibus Chri„ sti mysteria figurabantur futura .. Alio „ modo potest contingere falsitas ex parte „ colentis ... sicut enim falsarius esset, qui „ aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ „ non essent ei commissa, ita vitium fal„ sitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ „ cultum exhibet Deo contra modum di„ vina auctoritate ab Ecclesia constitutum, „ & in Ecclesia consuetum ". Et ideo falsarius esset, qui vel falsa miracula jactaret, vel falsas Reliquias proponeret adorandas. Modus vero turpis, aut indecens habetur, cum verba vel res divino cultui miscentur, quæ non in Dei gloriam, sed in offensam cedunt, ut cum turpia & obscœna miscentur psalmis, & musica, sive organa, quæ in divino Officio adhiberi solent, lasciviam redolent. Simpliciter vero superfluens illud est, de quo diximus Regula secunda, quod nihil habet conferens ad gloriam Dei, & salutem animæ. Inter superstitiosos illos enumerat D. A. ex Augustino, qui exterioribus tantum Religionis actibus Deum colunt, cum interim peccata vitare non curant, nihilque sunt de interiori sanctitate & gratia solliciti. " Unde Augustinus [verba sunt S. Th. art. 2.] „ in lib. de vera Religione inducit quod dici„ tur Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est*, „ contra superstitiosos, qui scilicet exterio„ ribus principalem curam impendunt".

IV. Idololatriæ crimen committitur juxta S. Th. *Cum cuicumque creaturæ cultus exhibetur, qui exhiberi debet soli summo Deo*

inre-

increato. Triplex esse potest, nimirum completa & formalis, quando scilicet est cum infidelitate conjuncta, quia scilicet putat creaturam esse Deum, divinoque honore colendam. Incompleta, quando nimirum quis sciens creaturam non esse Deum, nihilominus eam colit & adorat, ut sibi propitiam efficiat, ut contingit in illis, qui Dæmonem invocant, & adorant, ut aliquid ab ipso consequantur. 3. Materialis & imperfecta, ut quando quis exterius timore mortis thus offert Idolo, quod interius in animo detestatur.

V. Primum idololatriæ scelus gravissimum omnium dicit S. Th. & quidem non solum illorum, quæ religioni aliisque virtutibus moralibus opponuntur, sed etiam omnium absolute, quatenus tamen infidelitatem complectitur, & odium Dei, per quod etiam theologicis adversatur virtutibus. Hinc qui ex christiana fide ad idololatriam se converteret, apostata esset a fide, & pœnas omnes incurreret adversus hæreticos ab Ecclesia & Conciliis latas. Secunda vero idololatriæ species gravissimum quoque peccatum est. Tertia vero minor est quidem aliis, at semper lethale peccatum est. Immo, ut optime advertit S. Th. art. 3. q. 94. *ex parte ipsius peccantis* graviora dici possunt peccata secundæ & tertiæ idololatriæ, *quia*, inquit, *dicitur gravius esse peccatum ejus, qui peccat scienter, quam ejus, qui peccat ignoranter, & secundum hoc nihil prohibet gravius peccare hæreticos, qui scienter corrumpunt fidem, quam acceperunt, quam idololatras ignoranter peccantes.*

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Superstitionis rei sunt, qui ritus antiquos Hebræorum adhibent.*

II. *Qui in Orationibus Ecclesiæ turpia, obscœna, vel in proximum contumeliosa verba immiscent.*

III. *Qui verba in auribus equorum insusurrant.*

IV. *Quinam sint superstitiosi in sacris Reliquiis deferendis?*

V. *Superstitionis vitio non carent, qui appensa deferunt ad collum scripta ignota nomina.*

Consectarium Primum.

I. REI lethalis superstionis sunt habendi, qui ritus antiquos Hebræorum adhibent Agnum immolando in Paschate, vel a suilla carne abstinentes, quippe qui falso cultu, & jam perniciofo Deum coleret. Sicut etiam qui falsas Reliquias colendas proponeret, vel falsa & ficta miracula prædicaret, vel in signum falsi miraculi, vel gratiæ acceptæ votum Imagini alicujus Sancti suspenderet, reus esset superstitionis, & quidem gravis; quippe qui falso cultu Deum honorare præsumeret, & Deum colere mendacio: nec simplicitas aut ignorantia excusare potest, cum hæc locum quidem habere possit in illis, qui miracula, quæ in libris legerunt, narrant putantes vera esse; vel qui Reliquiam aliquam colunt existimantes, esse vere vel illius, cui tribuitur, vel alterius Sancti; at non in illis, qui turpis lucri causa populos hisce superstitionibus fallunt. Non peccant tamen qui a carnibus abstinent etiam in die Paschatis, cum hoc ex pœnitentiæ spiritu proficiscatur, ut patet in pluribus regularibus Ordinibus, qui a carnibus toto anno abstinent. Jejunare autem diebus Dominicis, in quibus semper Ecclesia a jejunio abstinuit, nisi fieret errore Manichæorum, qui in contemptum Dominicæ Resurrectionis jejunabant, omni superstitione vacare potest; a more tamen Ecclesiæ, ob privatam devotionem, non est recedendum.

CON-

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Superstitionis peccatum committunt, qui in orationibus sive precibus ecclesiasticis turpia, obscœna, vel in proximum contumeliosa verba immiscent, vel profanas cantilenas, vel sonos in sacrorum mysteriorum celebratione, vel Passionis Domini recitatione, adhibent, nec a lethali peccato excusari possunt, nisi admodum leve esset verbum quod miscerent; cum hæc non sine dedecore divinorum Officiorum, & Mysteriorum, & sine scandalo populi contingere non possint, quod præcipue verum est respectu Sacrificii Missæ, si relictis ritibus, & ceremoniis ab Ecclesia constitutis, alios induceret, vel commisceret ritus prorsus alienos, nisi forte veniale sit ob levitatem materiæ, vel irrationabilem devotionem, ut si quis *Credo* recitaret in Missa, quando juxta Rubricas est omittendum.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Superstitionis rei sunt, qui verba insusurrant in aures equorum, ut eos ab intestinorum doloribus liberent, vel hominis morbo regio correpti, ut sanetur, & qui versus aliquos Psalmorum, vel Scripturæ recitant ad compescendos canes rabidos, vel sistendum sanguinis fluxum e naribus, sive qui canes candenti clave ostii Ecclesiæ D. Petro dicatæ tangunt vel signant, & qui prægnantis zona Ecclesiæ campanam pulsant, cum hæc omnia juxta S. Th. doctrinam nullam habeant cum effectu naturalem connexionem, nec a Deo, sive ab Ecclesia sint ad illos producendos instituta; hinc superstitiosa sunt.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Licet nullam contineat superstitionem Cruces, Imagines, Rosaria, Reliquias, aliaque sacra signa collo suspensa deferre, immo sit pietatis & religionis actus, nihilominus in superstitionem degenerare potest, si quis putet per ea se vel invulnetabilem fieri, vel mori non posse subitanea morte, vel in aquam lapsum non mergi, vel ab hostibus non videri, etsi illis occurrat, quia non sunt ad hoc instituta ab Ecclesia, sed solum ut quis se Christo, Deiparæ, vel Sanctis commendet, qui illum in periculis adjuvent, non vero ut hæc prodigia infallibiliter præstent. Ita S. Th. 2. 2. q. 96. art. 4. ad 3. *Si portantur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt Reliquiæ, non erit illicitum; si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, puta quod vas esset triangulare, aut aliquid aliud hujusmodi, quod non pertineret ad reverentiam Dei, & Sanctorum, esset superstitiosum, & illicitum.*

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Superstitiosum est appensas ad collum vel super se deferre chartulas ignota nomina continentes, licet plura sint verba vel nomina sacra immixta, vel numismata ærea, argentea, sive plumbea cum insculptis signis & imaginibus, ut ab aliquibus malis & periculis ipsi liberentur, vel mulierum amorem sibi concilient, & similia. *Quia totum hoc*, inquit S. Augustinus lib. 10. de Civ. Dei, *pertinet ad Dæmones ludificatores animarum sibimet subditarum*; & S. Th. l. c. art. 2. ad 2. scribit: *Imagines, quas astronomicas vocant, ex operatione Dæmonum habent effectum: cujus signum est, quod necesse est eis inscribi quosdam characteres, qui naturaliter ad nihil operantur.*

CAPUT III.

De ceteris Superstitionis speciebus, Divinatione, & vana Observantia.

Doctrina.

I. *Divinationis notio ex D. Thoma, quænam licita.*
II. *Alia superstitiosa ex eodem Doctore.*
III. *Divinationis superstitiosæ definitio.*
IV. *Tria divinationis superstitiosæ genera ex pacto expresso cum Dæmone.*
V. *Aliæ classes ex pacto tacito.*
VI. *Divinatio per expressam Dæmonum invocationem est gravissimum scelus.*
VII. *Divinatio per sortes triplex.*
VIII. *Vanæ observantiæ definitio, & divisio in artem notoriam, observantiam sanitatum, & futurorum eventuum divinationem.*
IX. *Observantia sanitatum quando licita, & quando illicita sit.*
X. *Observantia futurorum eventuum superstitiosa.*

I. DE Divinatione tractat S. Th. I. c. q. 95. octo articulis, quorum summam hic dabimus. Et primo quidem generatim divinationem definit quandam *prænuntiationem futurorum*. Deinde optime animadvertit: " Futura dupliciter prænosci posse, uno quidem modo in suis causis, alio modo in se ipsis. Causæ autem futurorum triplicitet se habent. Quædam enim producunt ex necessitate & semper suos effectus, & hujusmodi effectus futuri per certitudinem prænosci & prænuntiari possunt ex consideratione causarum, sicut astrologi prænuntiant eclipses futuras. Quædam vero causæ producunt suos effectus non ex necessitate & semper, sed ut in pluribus, raro tamen deficiunt. Et per hujusmodi causas possunt prænosci effectus futuri, non quidem per certitudinem, sed per quamdam conjecturam, sicut astrologi per considerationem stellarum quædam prænoscere & prænuntiare possunt de pluviis & siccitatibus, & medici de sanitate & morte." Et hæc divinatio nec superstitiosa est, nec illicita, & in generali divinationis definitione continetur.

II. Verum subdit D. A. " Quædam causæ sunt, quæ si secundum se considerentur, se habent ad utrumlibet, quod præcipue videtur de potentiis rationalibus, quæ se habent ad opposita, & tales effectus per considerationem causarum prænosci non possunt, nisi in se ipsis considerentur. Homines autem hujusmodi effectus considerare possunt solum dum sunt præsentes ..... sed considerare hujusmodi, antequam fiant, est Dei proprium, qui solus in sua æternitate videt ea, quæ futura sunt, quasi præsentia ..... Si quis ergo hujusmodi futura prænuntiare, aut prænoscere quocumque modo præsumpserit, nisi Deo revelante, manifeste usurpat sibi quod Dei est. Et hæc est divinatio, quæ semper peccatum est.

III. Hæc itaque perversa divinatio art. 2. sic definitur a D. A. *vana inquisitio futurorum, qua aliquis futurum prænoscere tentat, unde prænosci non potest.* Speciem autem, esse superstitionis ostendit: " Quia, inquit omnis divinatio ex operatione Dæmonum provenit, vel quia Dæmones expresse invocantur, vel quia Dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate." Ubi observandum, D. A. in laudatis verbis duplex subindicare cum Dæmone pactum, expressum nimirum, per quod quis cum Dæmone paciscitur, ut positis talibus signis aliqua præsciat, vel efficiat, & implicitum,

plicitum, per quod aliqua ponuntur ad futura præscienda prorsus inepta, in quæ postea Dæmon se ingerit, ut homines vanitate implicet.

IV. Ex hoc expresso vel tacito pacto, sive Dæmonis invocatione tria divinationum genera deducit S. Th. art. 3. nimirum " ,, Primum per manifestam Dæmonum in- ,, vocationem, quod pertinet ad necroman- ,, ticos. 2. Per solam considerationem, dis- ,, positionem, vel motum alterius rei, ,, quod pertinet ad augures. 3. Dum ali- ,, quid facimus, ut nobis manifestetur ali- ,, quid occultum, quod pertinet ad fortes." Tria autem hæc genera divinationum in plures distinguit classes juxta varios modos, quibus Dæmon se ingerit ad futura designanda. ,, Quandoque enim [subdit D. A. ,, art. 3.] prodigiosis quibusdam apparitio- ,, nibus se aspectui & auditui hominum se ,, ingerunt Dæmones ad prænuntiandum ,, futura, & hæc species vocatur *præstigi-* ,, *um*. Quandoque per mortuorum aliquo- ,, rum apparitionem, vel locutionem, & ,, hæc species vocatur *necromantia*. Quandoque per homines vivos, sicut in ar- ,, repititiis patet, & hæc est divinatio *per* ,, *Pythones*. Quandoque vero futura præ- ,, nuntiant per alias figuras, vel signa, quæ ,, si appareant in aliquo corpore terrestri, ,, vocatur *geomantia*, si autem in aqua ,, *hydromantia*, si autem in aere *aeromantia*, ,, si autem in igne *pyromantia*: si autem in ,, visceribus animalium immolatorum in aris ,, Dæmonum, vocatur *haruspicium*.

V. In his vero divinationibus, quæ sine expressa Dæmonis invocatione fiunt, sed ineptæ adhibentur ad futura prænoscenda artes & signa, rursus plures distinguit classe D. Th. ,, Quando nimirum quis præno- ,, noscere futura conatur ex consideratione ,, situs & motus sydérum, & hoc perti- ,, net ad astrologos, qui & *genethliaci* di- ,, cuntur. Si vero per motus, vel voces ,, avium, seu quorumcumque animalium, ,, sive per sternutationes hominum, vel mem- ,, brorum saltus, hoc pertinet generaliter ,, ad *augurium*, sive *auspicium* .... Si vero ,, consideratio fiat circa verba hominum ,, absque intentione dicta, quæ quis retor- ,, quet ad futurum, quod vult prænoscere, ,, hoc vocatur *omen* ... Si autem conside- ,, rentur aliquæ dispositiones figurarum in ,, aliquibus corporibus visui occurrentes, ,, puta in lineamentis manuum, chiromantia vocatur, si in spatula alicujus ani- ,, malis, *spatulamantia* vocatur. Si quæ ,, vero ab hominibus serio fiunt, ad ali- ,, quid occultum inquirendum per protrac- ,, tionem punctorum: pertinet ad artem ,, *geomantia*, si vero per considerationem fi- ,, gurarum, quæ proveniunt ex plumbo li- ,, quefacto in aqua projecto, vel ex qui- ,, busdam schedulis vel scriptis vel non scrip- ,, tis, in occulto repositis, vel ex festu- ,, cis inæqualibus propositis, vel taxillorum ,, projectione, vel dum consideratur quid ,, aperienti librum occurrat; hæc omnia ,, *sortium* nomen habent."

VI. Divinationem per Dæmonum expressam invocationem gravissimum esse crimen ostendit S. Th. art. 4. & maxime si sacrificium vel reverentia Dæmoni invocato exhibeatur. Similiter & eam reprobat divinationem, quaquis " astrorum conside- ,, ratione utitur ad præcognoscendos futuros ,, casuales, vel fortuitos eventus, aut etiam ,, ad cognoscendum per certitudinem futura ,, opera hominum; nam procedit hoc ex ,, falsa, & vana opinione, & sic operatio ,, Dæmonis se immiscet." Divinationem vero per somnia, cum hæc ex pluribus causis vel bonis, vel naturalibus, vel malis possint proficisci, docet non esse illicitam, si somnia procedant ex revelatione divina,

 ut

ut contigit in somno Pharaonis, & Nabuchodonosor, vel ex causa naturali, sive intrinseca, sive extrinseca, quantum potest se virtus talis causæ extendere: nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia conveniens tali dispositioni, sicut homini, in quo abundant frigidi humores, occurrunt insomnia, quod sit in aqua vel nive. Si vero hujusmodi divinatio causetur ex revelatione Dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa vel tacita, erit divinatio illicita & superstitiosa ". De haruspicio autem & augurio statuit art. 7. " quod motus vel garritus avium, vel quæcumque dispositiones in hujusmodi rebus considerata, manifestum est, quod non sunt causæ futurorum eventuum; unde ex eis futura cognosci non possunt sicut ex causis. " Possunt tamen esse futurorum signa aliquando naturalia, ut ex adventu vel recessu hirundinum colligitur vernum vel hyemale tempus proximum esse; at si extendatur ultra id, quod potest pertingere secundum ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ, divinationem inde deductam superstitiosam esse, & illicitam docet.

VII. Quoad divinationem vero per sortes eas trifariam A. D. dividit art. 8. in divisoriam, consultoriam, & divinatoriam. Et quidem in sorte divisoria, *quando aliqui non valentes aliquid concorditer dividere, velint sortibus ad divisionem uti, quasi fortunæ exponentes quam quis partem accipiat*, nullum agnoscit vitium, nisi forte vanitatis, quod etiam abest, quotiescumque pro bono pacis hoc medium eligitur. In sortibus vero consultoriis si judicium expectetur a Dæmone, sunt illicitæ hujusmodi sortes & a Canonibus prohibitæ. Si vero expectetur a Deo, licet *secundum se malum non sit talis sors*, observat tamen Angelicus in ea posse quadrupliciter peccatum incidere. 1. *Si absque ulla necessitate ad sortes recurratur*. 2. *Si quis etiam in necessitate absque reverentia Dei sortibus utatur*. 3. *Si divina oracula ad terrena negotia convertantur*. 4. *Si in electionibus ecclesiasticis, quæ ex Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, aliquis sortibus utatur*. Concludit tamen, & confirmat Augustini auctoritate; *Si necessitas immineat, licitum esse cum debita reverentia sortibus divinum judicium implorare*. Sortem vero divinatoriam illicitam pronuntiat, *quando quis ea intentione sortibus utatur, quasi actus humani secundum dispositionem stellarum sortiantur effectum*, vel a Dæmone expectatur futurorum notitia.

VIII. Vana observantia ex D. Th. definiri potest: *Superstitio quædam, qua ineptis instrumentis nec a Deo, nec a natura institutis, ad aliquid producendum quis utitur*. Eam dividit D. A. q. 96. art. 1. *in artem notoriam, observantiam sanitatum, & futurorum eventuum divinationem*. Artem notoriam illam esse dicit " quæ utitur inspectione quarumdam figurarum, & prolatione quorumdam ignotorum verborum ad scientiam acquirendam, & quidem his utitur non ut causis, sed ut signis ". Illicitam vero esse, & inefficacem ostendit, " quia hujusmodi signa nec secundum se habent virtutem causandi scientiam, nec sunt signa divinitus instituta, sicut sunt sacramentalia signa; unde relinquitur, quod sint supervacanea signa, & per consequens *pertinentia ad pacta quædam cum Dæmonibus placita atque fœderata*; & ideo ars notoria penitus est repudianda, sicut & aliæ artes nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ut Augustinus dicit de Doctr. Christ. cap. 23.

IX. De observantia vero sanitatum animadvertendum docet, utrum ea, quæ adhibentur " naturaliter possint tales effectus causare, & sic non erit illicitum .... Si vero

naturaliter

„ naturaliter non videantur posse tales effec„ tus causare, consequens est, quod nec „ adhibeantur ad hos effectus causandos tan„ quam causæ, sed solum quasi signa, & „ sic pertinent ad pacta significationum cum „ Dæmonibus inita."

X. Pari pacto de futurorum eventuum observantia docet S. Th. art. 3. "quod ho„ mines hujusmodi observationes attendunt „ non ut quasdum causas, sed ut signa „ quædam futurorum eventuum vel bonorum, „ vel malorum. Non observantur autem „ sicut signa a Deo tradita, cum non sint „ introducta ex auctoritate divina, sed magis „ ex vanitate humana, cooperante Dæ„ monum malitia .... Et ideo manifestum „ est, hujusmodi observationes superstitiosas „ esse, & illicitas, & videntur esse quædam „ reliquiæ idololatriæ, secundum quam ob„ observantur auguria, & quidem dies fausti, „ vel infausti."

C A P U T IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Consideratio astrorum quandoque non est superstitiosa,*

II. *Talis tamen est, quæ futura hominum libera ex illis tentat dignoscere.*

III. *Astrologi judiciarii in certo æternæ salutis discrimine versantur, nec sunt absolvendi, nisi a sua arte desistant.*

IV. *Peccant gravissime, qui eos consulunt ad occulta detegenda.*

V. *Et ad futura dignoscenda etiam solius curiositatis, vel joci causa.*

VI. *Quomodo somniis fidem adhibere lethale peccatum sit.*

VII. *Superstitiosum est ex motu, volatu, occursu animalium futura vel occulta ariolari.*

VIII. *Sortibus uti in electione ad ecclesiastica officia vetitum; ad seculares dignitates vero non est illicitum quibusdam positis circumstantiis,*

IX. *Sortes consultoriæ licet de se illicitæ non sint, pluribus tamen de causis illicitæ fiunt.*

X. *Vanæ observantiæ peccatum est quasdam dies tamquam faustos vel infaustos observare.*

XI. *Et qui vana quædam vel fugiunt, vel sectantur putantes fausta esse, vel infausta.*

XII. *Et cum quædam adhibentur ad fugendos morbos, quæ id præstandi vim nullam habent.*

XIII. *Et qui inutilia ad aliquem effectum adhibent, licet protestationem præmittant.*

XIV. *Quænam sint superstitionis species in Confessione aperiendæ.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. LICET, ut scribit S. Th. 2. 2. q. 95. a. 5. "si aliquis utatur considera„ tione astrorum ad præcognoscenda futura, „ quæ ex cælestibus causantur corporibus, „ puta siccitates & pluvias, & alia hujus„ modi, non fit illicita divinatio, nec „ superstitiosa", quousque in generalioribus sistunt; inutiles tamen plerumque sunt, & vanæ hujusmodi prædictiones, dum ad particularia descendunt, & in tali Lunæ phasi, vel quadrante, vel ex Solis cum aliquo Planeta concursu vel grandines vel ingentes pluvias, vel diuturnas prædicunt siccitates, vel terræmotus & similia, cum plura sint, quæ hujusmodi effectus impedire possint; hinc nimium curiosi ephemeridum scrutatores non sunt quidem inter superstitiosos annumerandi, sed nimiæ vel levitatis, vel curiositatis, vel etiam temeritatis redarguendi, ut optime notant Salmanticenses.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Superstitionis & quidem gravissimæ rei sunt, qui futura hominum libera ex astrorum positione, vel aliis signis divinare audent, licet non certo, sed probabiliter

vel

vel conjecturaliter se divinare affirment. Ratio est manifesta, quia, ut inquit S. Th. q. 95. " Corpora cælestia non possunt esse " per se causa operationum liberi arbitrii.... " Si quis ergo consideratione astrorum utatur ad præcognoscendos futuros casuales " vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura ope- " ra hominum, procedit hoc ex falsa & " vana opinione; & sic operatio Dæmonis " se immiscet ". Hinc etiam in Scripturis jubet Dominus Levit. cap. 19. *Nec ab ariolis sciscitemini, ut polluamini per eos*. Et Deut. cap. 18. *Non inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur, nec qui pythones consulat, nec quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus*. Quare jure meritoque Sixtus V. sua Constit. *Cœli, & Terræ Creator* edita anno 1586. indicit: *Statuimus, & mandamus, ut .... contrafacientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi id non certo affirmare asserant, aut protestentur ... inquirant, & procedant, & in eos severius canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant*. Addidit, licet non certo, sed probabiliter, vel conjecturaliter tantum vaticinari affirment, tum quia, cum, ut S. Th. dicit, *in his se Dæmonis operatio immisceat*, nullo pacto illis utendum est signis, in quibus opera Diaboli locum habent: Diabolus enim non in certa futurorum prædictione se immiscere potest, cum nec ipse ea certo valeat cognoscere, in probabili igitur & conjecturali se immiscet: tum quia etiam in probabili conjectura determinatur & pronuntiatur judicium de re futura per media vana & inutilia & etiam in ipsa conjecturali prædictione satis indicatur aliquid influere astra in liberas hominum actiones, & eventus, speciatim individuos, & singulares, quod profecto falsum & vanum est. Accedit, laudatum Pontificem aperte qualescumque vaticinationes prohibere, etiamsi qui in illis se immiscent, id non *certo* affirmare asserant, ac protestentur. Non est itaque probabilis habenda doctrina illorum Theologorum, qui putant leve esse peccatum, vel etiam nullum conjecturaliter futura prædicere, vel Sixti Constitutionem solum ad forum externum pertinere, cum hæc non mala sint, quia prohibita, sed ideo a Sapientissimo Pontifice severissimis pœnis etiam in foro externo infligendis sunt vetita, quia in se mala, & diabolica.

Consectarium tertium

III. In certo suæ salutis discrimine versantur, qui astrologiam judiciariam exercent, & futura libera prædicere profitentur, sive ex astris, sive ex signis vel manuum vel frontis, & similibus, nec absolvendi, nisi ab arte desistant. Peccant vero lethaliter, qui eos consulunt, interrogant, illis credunt, & fidunt. *Nam*, ut inquit laudatus Pontifex, *S. Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen, eum, qui hæc observat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, christianam fidem, & baptismum prævaricasse affirmat*. Et revera, ut rationatur idem Pontifex, vel credunt & putant se posse futura aliquo modo prævidere, & tunc *cum futuros eventus in se ipsos considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur, ut astrologi, qui hujusmodi futura prænuntiare, aut prænoscere QUOQUOMODO, nisi Deo revelante, audent, injuste, atque imprudenter quod Dei est sibi assumant, & usurpent*. Si vero non credunt, sed solum fallere, & decipere incautos lucri causa respiciunt, adhuc rei sunt superstitionis, in quam proximum inducunt, qui eos non deceptores, nec impostores

possores putant, sed vera aliquo modo vel dicere, vel prædicere posse arbitrantur, præter peccatum mendacii, impostura, & injustitiæ, pretium pro re vana, inutili, & criminosa accipiendo. Non minus lethaliter peccant, qui eos consulunt, audiunt, interrogant, vel credunt, ut ostendit S. Augustinus, & manifeste patet, cum divinatio, in qua implicitum cum Dæmone pactum intervenit, vel saltem in qua Diabolus sese immiscet, de se lethale peccatum sit, non minus quam fornicatio, blasphemia &c. Præterea homines istos in sua arte, pecunia sua & consultatione detinent, eorumque pravo operi cooperantur. Num autem rudiores aliqui puelli & puellæ sint a lethali excusandi ob ignorantiam, vel simplicitatem, vel quia illis non credunt, videat in praxi peritus Minister; & ego quidem puto, aliquando, licet raro, excusari posse a lethali, præsertim si ipsi non se ultro ingerant, sed illecti, vel decepti audiant.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Gravissime peccant, qui astrologos consulunt, ut occulti alicujus furti, vel alterius criminis reum detegant, vel occultos thesauros revelent. Ratio est manifesta, quia hæc humana arte, & naturalibus mediis (nisi Instituto judicio) dignosci nequeunt, proinde non nisi Diaboli ope ista nosse possunt, crimen propterea superstitionis incurrunt qui interrogant, & scandali, cum ad hoc astrologos inducunt. Quod multo gravius crimen erit, si astrologus jactu cribri, aqua, vel plumbo eliquato, & taliter projecto audeat reum indagare, & detegere. Ubi & illud animadvertendum, quod cum Diabolus mendaciorum parens sit, frequenter innocentes periculo exponuntur, & rixæ, odia, contentiones in familiis feruntur.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Non excusantur a lethalis peccati reatu, qui astrologos de futuris interrogant vel solius curiositatis, vel joci causa. Quandoquidem cum futura contingentia, vel occulta præscire & nosse velle per divinationem peccatum fit de se lethale, non excusatur, nec veniale evadit eo quia ob curiositatem fiat; nam, ut optime observat S. Th. 2. 2. q. 95. a. 2. ad 1. *Divinatio pertinet ad curiositatem quantum ad finem intentum, qui est præcognitio futurorum, sed pertinet ad superstitionem quantum ad modum operationis*. Hinc curiositas, quæ petitæ divinationis causa est, superstitionem ab ipsa divinatione non tollit, adeoque peccatum non minuit: qui autem joco se petere dicunt, illis sunt accelendi, de quibus in Scriptura dicitur: *Stultus quasi per risum operatur scelus*, nam per hoc scandali rei sunt, & cooperationis ad alterius superstitionem, ad quam ipsi petendo & concurrunt & impellunt.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Somniis fidem adhibere de se lethale peccatum est, quando per ea occulta vel futura quis præscire posse arbitretur. Nam licet somnia aliquando a Deo esse possint, ut cum ad peccatum fugiendum impellunt, vel ad mores mutandos, quippe quia, ut Scriptura dicit, peccatores Deus aliquando *terret per somnia*, & tunc illis attendere non solum superstitiosum non est, sed laudabile, nihilominus frequentius vana sunt & inutilia ad occulta noscenda, vel ad futura præscienda, nec cum illis ullam habent naturalem connexionem; proinde cognitio, quæ ex illis hauritur, temeraria est, vanæ & falsæ innixa opinioni. Porro, ut docet S. T. 2. 2. q. 95. a. 6. *Divinatio, quæ innititur falsæ opinioni, est superstitiosa*, quia

quia, ut idem subdit, *hujusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere*. Quod multo magis verum erit, si quis ut futura vel occulta ex somniis prænoscere possit, se certo situ & modo in cubili sternit, vel sub pulvinari numos, vel alia ponit, ut de futuris sortibus, vel aliis eventibus instruatur. Nec audiendi sunt benigniores aliqui Theologi, dum docent, non esse lethale, quando vel somniis certo non fidit, licet ob nimiam levitatem vel simplicitatem, vel nimium timorem aliqua vel facere omittat quæ proposuerat, vel aliqua operetur, quæ alioquin in animum non venissent; quia hæc qualiscumque credulitas, licet non certa, nec firma, superstitiosa tamen semper est, & pactum implicitum cum Dæmone involvit, qui se in hisce observationibus immiscet, & ipsa nimia levitas, vel timor ex ipsa proficiscuntur superstitione; qui enim multum superstitiosus est, multum etiam timet, & a pluribus sibi cavet, dum e contra qui ab omni abhorret superstitione, ista aspernatur, non pavet.

Consectarium Septimum.

VII. Superstitiosum est ex motu, cantu, volatu, occursu animalium futura, vel occulta ariolari. Licet quidem, juxta S. Thom. aeris, vel temporum immutationem ex garritu, aut volatu quorumdam animalium colligere: " Cum enim bruta animalia (scribit ille l. c.) non habeant animam nisi „ sensitivam, cujus omnes potentiæ sunt ac„ tus corporalium organorum, subjacet eo„ rum anima dispositioni continentium cor„ porum, & primordialiter cœlestium. Et „ ideo nihil prohibet aliquas eorum opera„ tiones esse futurorum signa, in quantum „ conformantur dispositionibus corporum cœ„ lestium & aeris continentis, e quibus „ proveniunt aliqui futuri eventus ". Non licet vero, sed superstitiosum est, & idololatriæ reliquiæ ex ipsorum motibus futura velle prævidere, unde prohibetur Deut. 18. *Non inveniatur in te qui observet auguria*. Hinc peccant, qui ut infausta habent, si in egressu domus canis, vel felis occurrat, si vestes fuerint a soricibus corrosæ, si in porta pedem ad lapidem, vel caput ad fores alliserint, si sternutaverint, & similia, unde vel domum revertuntur, vel negotia, & quæ agere statuerant, abrumpunt. Nec excusantur, quia fortassis aliquando illis aliquid triste acciderit, quia, ut optime observat D. Th. l. c. q. 96. a. 3. ad 2. " Hoc, quod „ a principio in istis observationibus ali„ quid veri homines experti sunt, accidit „ casu, sed postmodum cum homines in„ cipiunt suum animum hujusmodi obser„ vantiis implicare, multa secundum hu„ jusmodi observationes eveniunt per decep„ tionem Dæmonum, ut iis his observa„ tionibus implicati curiosiores fiant, & „ se magis inserant laqueis perniciosi er„ roris. "

Consectarium Octavum.

VIII. Sortibus uti in electione ad ecclesiastica officia, vel Beneficia a canonibus vetitum est, ad dignitates vero seculares non est illicitum, si quædam adsint circumstantiæ. Et primum quidem constat ex capite *Ecclesia* extra de sortilegiis, ubi dicitur, *sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus*. Et S. Th. " Potest peccatum „ accidere . . . . si in electionibus ecclesiasti„ cis, quæ Spiritus Sanctus inspiratione fieri „ debent, aliqui sortibus utantur. Unde „ sicut dicit B da super Actus Apostolorum „ Mathias ante Pentecosten ordinatus, sorte „ queritur, quia scilicet nondum erat ple„ nitudo Spiritus Sancti in Ecclesia effusa. „ Septem autem Diaconi postea non sorte, „ sed electione discipulorum sunt ordinati ".

Ele-

Electiones tamen hujusmodi ad Beneficia & officia ecclesiastica licet illicitæ, invalidæ tamen non sunt, excepta electione Prælati Ecclesiæ, qui jurisdictionem habeat tum in criminalibus cum in civilibus, quippe quia hæc electio expresse non solum ut illicita, sed etiam ut nulla prohibetur, & declaratur cap. *Quia propter* de electione. Quoad dignitates vero seculares licitum esse usum sortium docet idem Angelicus subdens: " Secus autem est in temporalibus dignitatibus, quæ ,, ad terrena disponenda ordinantur, in ,, quarum electione plerumque homines sortibus utuntur. " Et revera nullo jure vetita est hujusmodi per sortes electio, nec de se ullam continet superstitionem. Peccatum tamen committi potest 1. si sortes non inter idoneos ad officia mittantur, sed promiscue & idoneos & imperitos una urna complecteretur; tunc enim violaretur justitia distributiva, cum minus idoneis officia & ministeria etiam temporalia obtingere possent. 2. Si juxta D. Th., absque ulla necessitate ad sortes recurratur, hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere. Oportet igitur, ut sortitio licita sit, omnes esse idoneos ad officium & ministerium, & omnium merita ita æqualia, ut discerni non possit, quis melior, vel etiam si præmia non tot suppetant, quot sunt qui ea merentur; tunc enim sorte possunt distribui.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Sortes consultoriæ licet de se illicitæ non sint, pluribus tamen de causis illicitæ fiunt. Et primo quidem de se illicitas non esse, patet ex pluribus Sacræ Scripturæ exemplis. Sic Eliezer Gen. 24. sorte jusus est ad dignoscendam puellam a Deo electam in uxorem Jacob: Josue quoque eam adhibuit ad detegendum reum occultum: & Saul ad agnoscendum, qui jejunium a se indictum violasset: & Josue ex verbis Madianitarum detexit sibi esse contra eos pugnandum, & fore consecuturum victoriam. At ut licitæ sint, requiruntur hæ conditiones; 1. ut a Deo expectetur consilium bonum. Hinc superstitiosæ sunt sortes, & gravissimum in eis committitur crimen, si consilium, ut dicit S. Th. l. c. q. 95. " expectetur a Dæ- ,, monibus, sicut legitur Ezechielis 21. quod ,, Rex Babylonis stetit in capite duarum viarum ,, divinationem quærens, commiscens ,, sagittas interrogavit idola, & extra consuluit. " 2. Ne absque necessitate fiat, quia tunc tentatur Deus. 3. Ne fiat sine debita reverentia erga Deum, adhibendo nimirum sacra verba, vel Scripturæ textus, ut optime docet S. Augustinus in epist. ad Januarium. *Hi, qui de paginis Evangelicis sortes legunt, etsi optandum est, ut hoc potius faciant, quam ut ad Dæmonia consulenda concurrant; tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad vitæ hujus vanitatem, propter alteram vitam loquentia, oracula divina velle convertere.* 4. Ne apertum expectetur miraculum, ut in usu ferri candentis, vel aquæ ferventis, vel media adhibeantur illicita, ut monomachia, seu duellum. De his enim optime animadvertit D. Th. l. c. q. 95. a. 8. ad 3. ,, Judicium ferri candentis, vel aquæ ferventis ordinatur quidem ad alicujus peccati ,, occulti inquisitionem per aliquid, quod ,, ab homine fit; & in hoc convenit cum ,, sortibus; in quantum tamen expectatur aliquis miraculosus effectus a Deo, excedit ,, communem sortium rationem. Unde hujusmodi judicium illicitum redditur: tum ,, quia ordinatur ad judicanda occulta, quæ ,, divino judicio reservantur; tum etiam ,, quia hujusmodi judicium non est auctoritate divina sancitum. Unde 2. quæst. 4. ,, in Decreto Stephani Papæ V. (cap. *Consulisti*) dicitur: *Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorque-*

„ *ri a quolibet, fieri non censent Canones*: *&*
„ *quod Sanctorum Patrum documento sancitum*
„ *non est, superstitiosa adinventione non est*
„ *præsumendum. Spontanea enim confessione*,
„ *vel testium approbatione publicata delicta*,
„ *habito præ oculis Dei timore, concessa sunt*
„ *nostro regimini judicare*; *occulta vero &*
„ *incognita illi sunt relinquenda, qui solus no-*
„ *vit corda filiorum hominum*. Et eadem ra-
„ tio videtur esse de lege duellorum; nisi
„ quod plus accedit ad communem rationem
„ fortium, in quantum non expectatur ibi
„ miraculosus effectus; nisi forte quando pu-
„ giles sunt valde impares virtute, vel arte.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Vanæ observantiæ peccatum est quosdam dies tanquam faustos, vel infaustos observare ad actiones suas dirigendas. Non de illis loquor observationibus, quæ ad negotiationem, agriculturam, sectionem arborum, medicinam spectant, ut auram navigationi opportunam expectare, tempus autumnale ad seminandum, vernum ad potandas arbores, & similia; hæ enim, ut patet, licitæ sunt, nullamque involvunt superstitionem: sed de illa loquor temporis observantia, quæ nullam habet cum actibus liberis connexionem, ut qui herbas colligunt in die S. Jo. Baptistæ, putantes eas vim majorem habere ad quosdam morbos curandos; qui die S. Stephani Protomartyris pane & aqua jejunant, putantes se fore invulnerabiles; qui in die Parasceve vel terram fodere non audent, vel nere, licet alia servilia opera exercere non recusent, vel qui die Veneris vel negotium ullum incipere, vel iter aggredi nolunt, putantes infaustum diem esse, & sexcenta hujusmodi. Hæc enim omnia ad effectum inutilia prorsus & vana sunt, in quibus proinde, ut pluries ex D. Th. diximus, se Diabolus immiscet. Unde istis merito exprobrandum cum Apostolo ad Galat. 4. *Dies observatis, & tempora, & menses, & annos. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis*.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Rei sunt vanæ observantiæ, qui quædam vana vel fugiunt, vel sectantur, putantes fausta esse vel infausta. Cujusmodi sunt, qui ad mensam sedere timent, si tredecim sint commensales, quia putant ex illis unum eo anno moriturum; sicut qui tertium in sternendo lecto adjutorem ejiciunt; quia juniorem credunt cito moriturum; qui ungues certis diebus abscindere nolunt; qui gladium, quo quis vulneratus est, medicamentis liniunt, ut æger sanetur; qui ova gallinæ nata in die Parasceve servant, ut ea in ignem projiciant ad eum extinguendum, & similia. Quippe quia hæc omnia, ut patet, plane superstitiosa sunt, cum nulla intersit inter effectum & causam connexio naturalis, sed nec a Deo inducta; superest igitur, ut si quis sit nexus, a Dæmone proficiscatur.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Superstitiosa quoque est sanitatum observantia, cum quædam scilicet adhibentur ad fugandos morbos, sedandosque dolores, quæ naturaliter hæc præstandi vim nullam habent. Hujus superstitionis opus est ad sistendum fluxum sanguinis e naribus, vel pronunciare, vel sanguine scribere hæc verba *consummatum est*, ad vitandos lapsus ex equo in ejus ascensu ter dicere, *os non comminuetis ex eo*; insusurrare in aurem laborantis caduco morbo *o creatura Dei memento Creatoris tui*; sicut & phialam aquæ plenam super caput ponere ad ejusdem dolorem averrendum, quæ etiam, ut narrant, ebullire cernitur, & plura alia, quæ passim a mulier-

lic.culis abhibentur five verba five signa ad aliquem fanandum morbum. Quia licet in hisce aliquod pium interveniat, ut oratio, verba facra, fignum Crucis &c. nihilominus fupe ftitione infecta funt, quia adhibentur cum fpe certi & infallibilis effectus, vel expectatur fanit s ex certo numero, modo, & ritu vel recitandi preces, vel fignandi; & denique quia femper aliqua immifcentur vana, & inutilia.

Consectarium Decimum tertium.

XIII. Cum aliqua prorfus inutilia ad aliquem effectum adhibentur, præfertim fi ex fola fiat curiofitate, licet præmittatur protestatio, per quam omnem Satanæ concurfum, fi qui foret, fe abj cere & detestari quis affirmet, fuperftitionis tamen crimen non evitatur. Ratio eft, quia hæc protestatio inepta prorfus eft, & ipfo facto ener vatur, cum ab hujufmodi rebus fit omnino abftinendum; nam & quod adhibetur, inutile eft & vanum, proinde fuperftitiofum, & nulla adeft legitima ita agendi vel præftandi ratio. Pari pacto fi etiam dubitatur, num res fit inutilis & vana, vel an revera aliquis latere poffit nexus inter rem & effectum, nifi neceffitas urgeat, prorfus abftinendum eft, cum peccandi periculum totis viribus vitare teneamur. Si vero vel jufta agendi ratio, vel neceffitas adfit, & credi poffit rem cum effectu fuo poffe congruere, facta interna protestatione, illicitum non erit adhibere. Hinc ex primo capite prorfus fuperftitiofum eft, etiam emiffa proteftatione, anulo vel globulo ex filo fufpenfo, ac inter pollicem & indicem retento uti ad indicationem horarum, cum hoc plane fit fuperftitiofum, nec nifi Satanæ minifterio hora valeat defignari. Ex fecundo capite non licet virga uti ad detegendas aquæ venas [ad dignofcendos enim vel defoffos thefauros, vel fures, vel res deperditas plane fuperftitiofum effe, nullus eft qui ambigat) nam incertum plane eft, num aquæ fub terra latentes in virgam ita valeant effluere, ut eas concutere poffint & movere, fi præfertim id fiat ex fola explorandi curiofitate. Quod fi neceffitas adinveniendæ aquæ revera urgeret, præmiffa proteftatione, non illicitum putarem, præfertim fi nihil vanum & inutile adjungatur.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Cum D. Th. divinationes omnes ad tria genera revocaverit, nimirum necromantiam, augurium, & fortilegium, hæc funt tantum in confeffione exprimenda; ceteræ vero fpecies cum differant folum phyfice, non moraliter, non funt in confeffione aperiendæ, nam omnes uni eidemque virtuti religionis adverfantur, & parum intereft, num fiant per aftra, per ignem, per aquas, per fomnia, & fimilia. Si autem adfit non implicitum, fed explicitum pactum cum Dæmone, hoc eft aperiendum in Confeffione, quia explicitum pactum, licet rigorofe ab implicito differre fpecie non videatur, fummam tamen affert malitiam longe excedentem, quæ in tacito vel implicito pacto continetur.

CAPUT V.

De Magia & Maleficio.

Doctrina.

I. *Magiæ definitio & divifio.*
II. *Quomodo opera magica queant dignofci.*
III. *Salutatoribus non eft fidendum, nec eorum opera adhibenda.*
IV. *Enfalmatores inter Magos funt enumerandi.*

V. *Fascinatio ex Diaboli operatione potest oriri.*
VI. *Quid sit maleficium.*
VII. *Triplex maleficium ratione effectus.*
VIII. *Ad expellenda maleficia quid adhibendum.*
IX. *Doctrina D. Thomæ circa maleficia.*
X. *Non licet maleficium maleficio pellere.*
XI. *Quænam dicantur Lamiæ, Sagæ, Strigæ.*
XII. *Quid a Magis sciscitari debeat prudens Confessor.*
XIII. *Pœnæ a legibus contra Magos, Maleficos, & Sagas statutæ.*

I. MAGIA in universum definiri potest *Ars, per quam mira, & insolita fieri ab hominibus videntur.* Cum vero hæc quæ mira sunt & insolita, & fieri possint per artem & scientias, præsertim mathematicas, & ope ac virtute Dæmonis, duplex oritur Magiæ divisio, nimirum in naturalem, seu physicam, & in superstitiosam, ac Dæmoniacam. Priorem definire possumus *Artem, qua per naturales causas communiter occultas miri & insoliti producuntur effectus,* ut contingit in Optica, Dioptrica, & Catoptrica, aliisque scientiis, & hanc artem licitam esse omnes fatentur. Posterior vero definitur *Ars, qua Dæmonis ope, pacto cum eis vel implicite, vel explicite inito, miri effectus præstantur, qui hominis quidem, at non Dæmonis superant potestatem.*

II. Licet difficile sit clare dignoscere in aliquibus casibus, num effectus miri ab arte, seu magia naturali, an a diabolica proficiscantur, & progrediantur; plura enim mira sunt, quæ etiam naturaliter fieri possunt, ut ea, quæ D. Augustinus lib. 14. de Civ. Dei narrat de aliquibus, qui aures vel ambas simul, vel alternatim pro libito movent, qui totam cæsariem capite immoto, quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, vel ad caput revocant cum volunt, qui vorant incredibiliter plurima, & varia, deinde paululum contractis præcordiis tanquam de sacculo quod placuerit integerrimum proferunt. Nihilominus hæc præ oculis sunt habenda, & notanda 1. Num qui mira operatur, tanquam causas res adhibeat nedum ineptas, sed superstitiosas, puta characteres, signa, nomina ignota, ligaturas, ossa mortuorum, vel violenta morte interfectorum, vel si etiam indifferentia, vel sacra, uti verba Scripturæ, cruces, orationes, eas tamen vel in pravum sensum detortas vel tot vicibus adhibitas, seu tali hora & tempore; quia sic ostendit, se non sacras res, ea qua decet reverentia, tractare, sed eis ad superstitionem abuti. 2. Ex parte modi operandi, puta si in instanti morbus pellatur, si res longe distans brevissimo tempore præsens fiat, vel ex opposito, quod præsens est longius transferatur, ut contingit illis, qui brevissimo tempore plures leucas percurrunt. 3. Denique, si effectus vires, & humanam artem certo excedere comperiatur, ut si obtruncatum membrum suo loco restituat, rem plane ignotam, & occultam revelet.

III. Salutatoribus non est fidendum, nec eorum opera facile adhibenda. Salutatores illi dicuntur, qui morbis aliquibus, videlicet hydrophobiæ seu rabiei, vel contractionis nervorum, vel lethalibus vulneribus signo Crucis, vel insufflatione, vel verbis medentur, & ea sanare jactant. Nam 1. hanc efficacitatem in naturalem quampiam occultam virtutem illis a natura inditam, modo in tanta philosophiæ luce revocare, ut Plinii testimoniis innixi affirmant nonnulli Theologi, hominis est nimium creduli & cæcutientis, ac impostorum fraudibus faventis. 2. Hoc vero esse Dei donum, quasi sit gratia, quæ gratis data dicitur, non facile est admit-

mittendum; licet enim certum sit exploratumque, Deum virtutem morbos expellendi conferre posse cui libuerit, etiam pravis hominibus; incertum tamen omnino est, nec solido ullo fundamento innixum, huic homini, vel tali familiæ fuisse concessum hujusmodi donum; illud tamen excipiendum, quod Galliarum Regibus datum sanandi strumas eas tangendo in die suæ consecrationis, vel aliis diebus post sumptam Eucharistiam, narrant & recensent magni nominis Historici, atque Scriptores, inter quos est enumerandus S. Thomas dum scribit lib. 2. de Regimine Principum cap. 16. dicens: *Cujus sanctitatis etiam argumentum asserimus ex gestis Francorum, & B. Remigii super Clodoveum primum Regem Christianum inter Reges Francorum, & delatione olei desuper per Columbam, quo Rex præfatus fuit inunctus, & inunguntur posteri, signis & portentis, ac variis curis apparentibus in eis ex unctione prædicta*. Et agnoscunt etiam Summi Pontifices Hormisdas in epistola ad Remigium Remensem Episcopum, & Bonifacius VIII. in canonizatione S. Ludovici. 3. Certum est, inter superstitiosos & Magos esse enumerandos Salutatores illos, qui donum sanitatis jactant, vel quia septimo loco post sex mares, nulla interposita femina, nati sunt, vel quia impressam gerunt in carne rotam, ut vocant, S. Catharinæ, vel alia stigmata; 2. qui dicunt, morbos sanare non posse nisi certis definitis verbis, vel si præsens sit alius Salutator; 3. si dicant hanc artem sanandi ab aliis didicisse, si futura se præscire jactent, si mira quædam præstent, puta ea dens ferrum manibus attrectent, fornacem ardentem halitu vel extinguant, vel defervescere fariant. Hæc enim omnia, ut patet, ex Dæmone proficiscuntur, nec ad sanitatem restituendam conferunt.

IV. Ensalmatores, qui certo credunt sanare posse infirmos, inter superstitiosos & Magos sunt enumerandi. Ensalmus est oratio quædam ex verbis sacræ Scripturæ, & præcipue Psalmorum, unde & nomen desumpsit, quæ super infirmos recitatur. Ensalmatores illi vocantur, qui hujus orationis virtute sanare morbos posse arbitrantur. At Ensalmus duplex esse potest, nimirum deprecativus, quo divinum imploratur auxilium, vel adhibetur ad infirmi sanitatem, vel ad noxia avertenda & hic licitus esse potest, ut docet S. Th. 2. 2. q. 96. a. 4. ad 1. scribens: *Proferre verba divina, aut invocare divinum nomen, si respectus habeatur solum ad Dei reverentiam, a quo expectatur effectus, licitum erit*. In corpore vero articuli monet cavenda, nimirum ne *contineat ignota nomina*, nec aliquid falsitatis, nec vana cum sacris verbis commisceantur, puta quod toties repeti debeant, vel recitari tali hora determinata, & similia. Alius vero dicitur Ensalmus constitutivus, cui tribuitur virtus infallibilis ab sanandum, & hic tanquam superstitiosus est omnino abjiciendus, quia nullis verbis etiam sacris sive ore prolatis sive scriptis, inest virtus naturalis ad morbos depellendos, vel sananda vulnera, nec alias a Deo est illis communicata, cum ex fide constet solis Sacramentorum formis virtutem Deum tribuisse ea, quæ significant, infallibiliter operandi. Et si quando orationes ad sanitatem conferre possunt, hoc tunc solum contingit, quando a sacris Ministris super infirmos recitantur juxta Christi promissionem Marci 16. dicentis: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Ad hos igitur confugiant infirmi, & pie credant, quod oratio fidei salvabit illos, & allevia bit eos Dominus. Abjiciendi sunt igitur Ensalmatores, qui plerumque non Ecclesiæ ministri sunt, sed vel anus deliræ, vel mulierculæ ignobiles, vel etiam mili-

tes

tes & homines deploratæ vitæ, de quibus merito suspicio suboriri potest pacti vel taciti vel expressi cum Dæmone.

V. Fascinatio, quæ in prava sita dicitur qualitate oculis insita, & ex maligna intuentis affectione orta, unde solo visu nocet, non tantum naturalis est, sed ex diaboli oriri potest operatione. Ita docet S. Hieronymus in comment. Epistolæ ad Galatas scribens: *Dicitur fascinus infantibus nocere, & ætati parvulæ. Hoc utrum verum nec ne sit, Deus viderit, quia fieri potest, ut dæmones huic peccato inserviant.* S. vero Thomas sic optime docet 1. p. q. 117. art. 3. ad 2. *Dicendum, quod fascinationis causam assignavit Avicenna ex hoc, quod materia corporalis nata est obedire spirituali substantiæ magis quam contrariis agentibus in natura. Et ideo quando anima fuerit fortis in sua imaginatione, corporalis materia immutatur secundum eam: & hanc dicit esse causam oculi fascinantis. Sed supra ostensum est (q. 110. art. 2.) quod materia corporalis non obedit substantiæ spirituali ad nutum, nisi soli creatori. Et ideo melius dicendum est, quod ex forti imaginatione animæ immutantur spiritus corpori conjuncti: quæ quidem immutatio spirituum maxime fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perveniunt: oculi autem inficiunt aerem continuum usque ad determinatum spatium: per quem modum specula, si fuerint nova, & pura, contrahunt quamdam impuritatem ex aspectu mulieris menstruatæ; ut Aristoteles dicit in Lib. de som. & vig. (seu Lib. de insomniis cap. 11.) Sic igitur cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maxime in vetulis contingit, efficitur secundum modum prædictum aspectus ejus venenosus, & noxius, maxime pueris, qui habent corpus tenerum, & de facili receptivum impressionis. Possibile est etiam, quod ex Dei permissione, vel etiam ex aliquo pacto occulto cooperetur ad hoc malignitas dæmonum, cum quibus vetulæ sortilegæ aliquod fœdus habent.* Ex qua S. Th. doctrina colligitur, triplicem esse fascinationem, nimirum vulgarem, ex vulgi orta opinione, putantis vetulas sola visione, malo vel invido animo consociata posse pueros, & tenellam ætatem inficere; eique nocere, & hæc est rejicienda, cum juxta S. Thom. *materia corporalis non obediat substantiæ spirituali ad nutum, nisi soli Creatori*. Altera physica ex vehementi orta imaginatione putridos humores commovente & alterante, ex quibus particulæ & effluvia per oculos erumpentia, objecta in determinata sita distantia inficiant & labefactent. Et hæc licet impossibilis non sit, rarissima tamen est, cum difficile admodum concipiatur, in humano præsertim corpore tantam inesse vim & copiam veneni, ut sine contactu & solum per aerem diffusione valeat nocere & infantes inficere. Tertia diabolica est, qua ex pacto vel expresso vel tacito cum Sathana solo etiam aspectu pravi hominis & perversæ feminæ pueris vel plantis vel frugibus noceat, & huic, si talia contingant nocumenta, sunt plerumque tribuenda.

VI. Maleficium est Magiæ diabolicæ opus, per quod quis ope dæmonis proximo infert nocumentum. Ex qua definitione patet, pessimum hocce peccatum triplici adversari virtuti, religioni scillicet, caritati & justitiæ. Magos & Magiam dari constat nedum ex Vet. Testamento, in cujus libris Magorum mentio frequenter occurrit, sed etiam ex Novo; nam Act. 20. dicitur: *Vir autem quidam nomine Simon, qui antea fuerat in civitate Magus ... cum auscultabant omnes a minimo usque ad maximum; hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.* Non tamen omnes Magi sunt Malefici, licet omnes Malefici sint Magi, quamvis enim in hoc conveniant, quia utrique cum Dæmone

ne pactum ineunt, Magi tamen solum ejus opem ad mira facienda implorant, Malefici vero ad clam nocendum aliis.

VII. Porro ratione effectus triplex genus maleficii distinguunt Theologi, nimirum somnificum seu soporiferum, dum carminibus vel alio superstitioso ritu homines somno demergunt, ut interim vel furari possint, vel infantes lædere, vel mœchari. Alterum est amatorium, quod græco vocabulo *philtrum* dicitur, quo per superstitiosum cibum vel potum, vel alio pravo & superstitioso ritu æstum libidinis in aliquo erga alium exci ant. Tertium est veneficum, quo ope Dæmonis, & quibusdam adhibitis superstitiosis rebus, varia malorum genera hominibus, animalibus, frugibus terræ inferuntur, nimirum infirmitates, abortus, partus difficiles, ad opus matrimonii impotentia, grandines, sterilitates &c. Porro hæc nocumenta duplici modo inferunt Magi dæmone cooperante, vel per operationem transeuntem, nimirum rerum naturalium applicatione, puta veneni, sive rei noxiæ immissione, nervorum dissecatione, membrorum vulneratione, & qua perfecta operatione damnum & nocumentum naturaliter perseverat; alio modo per operationem permanentem, cum videlicet ad effectum producendum semper actio Dæmonis perdurare debet, ut contingit in ardore libidinis, in repentino erga personam alias dilectam odio & abominatione, ira, furore, & similibus, quæ cum nullam habere possint naturalem causam aptam ad hos effectus stabiliter operandum, necesse est, ut continua adsit dæmonis operatio.

VIII. Ad maleficia cujuscumque generis expellenda 1. adhibenda sunt spiritualia remedia, idest utendum exorcismis ab Ecclesia approbatis, orationibus, reliquiis Sanctorum, aqua benedicta, nec non Sacramenta frequententur juxta pii doctique Ministri consilium, & Jesu nomen frequenter invocetur, & Crucis signo, quod contra dæmones maxima vi pollet, frequenter maleficiati se muniant. Adhibenda sunt etiam naturalia remedia ex medicina petita, non quasi hæc in Dæmones agere possint, sed quia jam illata nocumenta vel sanare vel impedire possunt, vel commotos humores sedare, & purgare queunt.

IX. Dari autem hujusmodi maleficia ostendit S. Thomas in suppl. q. 58. art. 2. in corp. *Quidam dixerunt, quod maleficium nihil aliud erat in mundo, nisi in æstimatione hominum, qui effectus naturales, quorum causæ sunt occultæ, maleficiis imputabant. Sed hoc est contra auctoritatem Sanctorum, qui dicunt, quod Dæmones habent potestatem supra corpora, & supra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur. Unde per eos Malefici aliqua signa facere possunt. Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis, sive incredulitatis; quia non credunt esse Dæmones, nisi in æstimatione vulgi tantum, ut terrores, quos sibi facit homo ex sua æstimatione, imputet dæmoni; & quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figuræ apparent in sensu tales, quales homo cogitat; & tunc creduntur dæmones videri. Sed hæc vera fides repudiat, per quam angelos de cælo cecidisse, & dæmones esse credimus, & ex subtilitate suæ naturæ multa posse, quæ nos non possumus: & illi, qui eos ad faciendum talia inducunt, Malefici vocantur.* Quoad remedia vero spiritualia sic docet in resp. ad 3. *Dicendum, quod maleficium quoddam est ita perpetuum, quod non potest homo habere remedium humano opere, quamvis Deus posset remedium præstare dæmonem cogendo .... tamen Exorcismi Ecclesiæ non valent ad reprimendos semper dæmones quantum ad omnes molestias corporales, judicio divino hoc exigente, semper tamen valent contra illas infestationes dæmonum, contra quas principaliter instituti sunt.*

X.

X. Non licere maleficium alio fortiore maleficio tollere, & docet, & probat A. D. c. ad 3. scribens de maleficio impotentiæ: *Non oportet semper, ut id, quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, ut ipsi Malefici confitentur, & tamen si posset per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputaretur. quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficium invocare.*

XI. Sagæ, Lamiæ, Striges vocantur quædam maleficæ mulieres, quæ cum Maleficis hoc habent commune, ut ope dæmonis plura inducant maleficia, damna, & nocumenta infantibus, hominibus, animalibus, agris, & frugibus; hoc vero peculiare, quod pellices sint, & concubinæ dæmonum, quibus peculiari nomine se dedicant, multa impia patrando, a quibus postea vere vel phantastice transferuntur ad quædam loca, ubi cum dæmonibus aliisque Magis & Maleficis conviventur, luxuriantur, choreas ducunt, dæmonem sub sensibili forma apparentem adorant, venerantur. Num vero hæc translatio, & hæc omnia impia revera & de facto fiant, vel ex phantastica illusione progrediantur, parum interest Sacris Ministris definire, quippe quia quoad forum conscientiæ satis est ipsis nosse, hæc omnia, sive realiter eveniant, sive sola vehementis phantasiæ illusione fint, tamen esse tanquam horrenda crimina ipsis imputanda, cum infelices istæ muliercule se voluntarie dæmonibus tradiderint ad ea omnia vel vere & realiter, ut ipsæ putant, aut tantum phantastice perpetranda, & exercenda, & ad hoc superstitiosas adhibeant unctiones, potus, aliosque nefarios ritus, proinde saltem voluntate, & animi dispositione omnia illa scelera perpetrant, quamvis nihil tale in corpore committant, vel patiantur. Ceterum qui hæc de re edoceri cupiunt, legant quæ fuse novissime scripsere & Abbas Tartarotti in suo Nocturno Congressu, & eruditus P. Benedictus e Cavalcsio in suis ad illum animadversionibus.

XII. Prudens & peritus Sacramenti Pœnitentiæ Minister a Magis, Maleficis, Strigibus diligenti examine plura scitari debet, ut rectum efformet de eorum statu judicium, cum scelesti isti peccatores plura & quidem gravissima crimina perpetrare soleant. Primo sciscitari debet, num pactum factum fuerit expressa invocatione & commercio cum dæmone, hoc enim peculiarem & gravissimam continent malitiam. 2. Num intercesserit formalis apostasia, per quam Deum, Christum, Fidem, Baptisma abjuraverit, & blasphemias pronunciaverit contra Deum, Sanctos, Sacramenta. 3. Num Diabolo adorationem, & cultum per sacrificium aliquod, vel oblationem, sive alio signo exhibuerit, & in posterum exhibendum promiserit. 4. Num se totum Diabolo mancipaverit vel verbo, vel aliquo signo in se & in corpore recepto, ei animam, corpus totumque seipsum tradendo, initis invicem quibusdam pactionibus, sive conditionibus, semper iniquis nefandisque. 5. Num hæc præstiterit interno animo, intellectu, & voluntate recedendi a fide, sic enim involvit etiam Apostasiam a fide, & pœnis Apostatis & hæreticis debitis erunt obnoxii. 6. Num Sacramentis, & præcipue Eucharistia abusus fuerit. 7. Fateri debent damna illata pueris, viris, agris, segetibusque. 8. Cogendi sunt ad ea omnia eo meliori quo possunt modo resarcienda, & ad maleficium auferendum, impediendum, detegendum, dummodo id præstare valeant absque alio maleficio & peccato.

XIII. Pœnæ in Magos, Maleficos, & Striges pactum expressum vel tacitum cum dæmonibus incuntes hæ a legibus statuuntur. 1. In lege veteri statuebatur, ut morte punirentur Exod. 22, *Maleficos non patieris vivere.*

Et

Et Levit. 20. v. 27. *Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis spiritus fuerit, morte moriatur; lapidibus obruent eos.* Leges civiles pari pœna puniendos statuunt, præsertim si ex eorum maleficiis mors alicujus fuerit subsecuta: quod & confirmatur in jure canonico. Num autem excommunicationem latæ sententiæ incurrant, disputant Theologi, & probabilior est Salmanticensium sententia, qui latam in ipsos excommunicationem proferunt in Extravaganti Joan. XXII. quæ incipit *Super illius*, & recitatur ab Eymerico in Direct. Inquisit. & citatur a Fagnan. nec refert, quod in Bullario non reperiatur, nam, ut ipsi Salmanticenses optime notant, plura sunt Decreta & Bullæ, quæ vim obtinent, & tamen in Bullario non sunt transcriptæ. Quod si magiæ conjuncta sit fidei negatio, & apostasia, pœnis hæreticorum subjacere nullus erit qui ambigat: proinde subjacere excommunicationi a tot Conciliis, & Summis Pontificibus in eos latæ. Si vero sint Clerici, sunt omni Beneficio spoliandi, & ab Ordinibus degradandi, & Curiæ seculari tradendi, ut pro meritis puniantur, ut statuerunt Summi Pontifices Innoc. VIII. & Leo X. Praeterea Gregorius XV. in sua Bulla, quæ incipit *Omnipotentis*, motu proprio statuit 1. ut si Magi cum diabolo pactum inierint, & maleficiis personas ita læserint, ut mors sit secuta, Curiæ seculari tradantur debitis pœnis puniendi, etiam primo lapsu. 2. Si vero mors secuta non fuerit, sed grave nocumentum intulerint sive vero mors secuta non fuerit, sed grave nocumentum intulerint sive hominibus, sive animalibus, sive frugibus, muro claudantur, sive perpetuis mancipentur carceribus. Qui vero similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo seu Inquisitori denuntiare teneantur. Puniantur etiam infamia, unde Magi, Sortilegi, Divinatores tam Clerici, quam quam laici infamiæ habentur, & ideo a testimonio & accusatione in judicio repelluntur. Omnes vero libri, tractatus, & opera de astrologia judiciaria, & de magia superstitiosa tractantes Constit. Sixti V. prohibentur sub pœnis in illa contentis, & sunt tradendi locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus igne comburendi.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Fascinatio vulgaris falsa est & superstitiosa.*

II. *Non licet petere a Dæmone, ut maleficium dissolvat.*

III. *Non licet a Malefico petere, ut maleficium alio maleficio dissolvat, licet sit paratus, immo sponte offerat hoc pacto illud tollere.*

IV. *Non licet maleficia tollere per ritus vanos, & ineptos.*

V. *Absolute licet petere a Malefico, ut maleficium tollat modo licito, cum certo noverim ab ipso fieri posse, licet sciam non nisi alio maleficio facturum.*

VI. *Licet malefici signa destruere etiam ea intentione & expectatione, ut dæmon a nocendo cesset.*

VII. *Non est illicitum uti cognitione, scientia, aliaque utilitate per dæmonem obtenta, quando ejus conservatio & usus a dæmone non pendet.*

VIII. *Non licet ponere signa a diabolo præstituta, quamvis sua re indifferenti vel bona sita sint, vel sine culpa detexerit.*

IX. *Non licet verberibus, tormentis, vulneribus Magum cogere ad maleficium tollendum privata auctoritate.*

X. *Lucrum ex magia retinere non potest Magus, sed in pauperes distribuere tenetur.*

XI. *Magi ad pœnitentiam revertentes debent*

a se abjicere omnia signa pacti cum dæmone.
Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. FASCINATIO vulgaris falsa est, & superstitiosa, utpote chimerica, & impossibilis. Proinde superstitiosum est collo aliaqua signa suspensa deferre ad avertendas fascinationes, sicut & putare fascinationem magis nocere pueris formosis, quam deformibus; cum, si fascinatio sit effectus naturalis, æque noceat utrisque æque dispositis, si diabolica, nulli parcat sive formoso sive deformi. Similiter superstitiosum est fascinatos pueros benedicendos vetulis quibusdam, quæ benedicentes dicuntur, offerre, quæque verbis vanis, superstitiosis cæremoniis, insufflationibus utuntur. Hæc detestatur sua aurea eloquentia Chrysostomus hom. 8. in Epist. ad Colossenses scribens: *Deum invocamus, & nihil amplius facimus, & christiana est vetula & fidelis, ea res est idololatria... Hæc est cogitatio satanica, hæ sunt diabolicæ insidiæ, tegere imposturam, & in mella dare venenum,.. ingressus ad amuleta, & aniles fabulas. Et Crux quidem Christi affecta est ignominia, Christus fuit ejectus, & introducitur anus ebria & delirans. Conculcatum est nostrum Mysterium, & choros ducit fraus diaboli.* Peccant igitur lethaliter & hæ vetulæ benedicentes, quæ non sunt absolvendæ, nisi a diabolico opere desistant, & qui illis pueros offerunt benedicendos, quos si benedictionibus sanare posse in Deum sperent, Sacerdotibus ritu Ecclesiæ benedicendos offerre debent.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Non licet petere a dæmone, ut maleficium dissolvat, sed fas est Ministris Ecclesiæ illum exorcismis cogere. Ratio primæ partis est, quia quæcumque cum dæmone communicatio illicita est & superstitiosa; dum vero quis ab eo petit, ut maleficium dissolvat, vel a nocendo desistat, jam ejus deposcit auxilium, opem implorat, & tanquam superiorem agnoscit. Licet tamen fide & spe in Deum illum objurgando & increpando cogere, ut a maleficio desistat. Altera vero pars manifesta est. Nam Exorcistæ divina virtute dæmonibus imperant, illumque tamquam sibi inferiorem subjiciunt, cum per sacram ordinationem dæmoni facti sint potestate & dignitate superiores.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Non est licitum a Malefico petere, ut alio maleficio maleficium dissolvat, licet paratus sit, immo sponte offerat hoc pacto illud tollere. Ratio est luculenta, nam tunc esset vere maleficio cooperari, quod de se est intrinsece malum; hinc jubet Dominus Levit. 19. *Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Nec dicas te petere, quod tibi utile & necessarium est, nimirum a nocumento liberationem, sicut ab usurario mutuum petis, ut tuæ succurras necessitati. Nam dum mutuum petis, id quod licitum est, nimirum mutuum, postulas, & quod ab alio licite concedi potest; at dum postulas, vel assentiris Malefico maleficium dissolvere promittenti alio maleficio, & quod malum de se est petis, & maleficio assentiris; ejus proinde malitiæ & iniquitati cooperaris, quod omnino non licet. Hinc illicitum est etiam a Malefico petere dissolutionem maleficii, cum tibi constat, vel dubitas, an modum licitum dissolvendi noverit; nam tunc etiam virtualiter postulas, ut illicito modo dissolvat, cum enim certo non constet, illum scire quomodo licite queat dissol-

solvi, jam petitur, ut quo scit modo dissolvat sive licito, sive illicito, quod profecto iniquum, & superstitiosum est.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Non licet maleficia tollere per ritus vanos, & ineptos. Omnes enim vani ritus superstitione non carent eo ipso, quod inepti sunt & vani; nam tunc causæ non sunt effectus, sed mera signa, & non quidem naturalia, alioquin vere forent causæ; non a Deo præstituta, cum Deus vanis non delectetur; sint ergo dæmonis oportet, qui hujusmodi vanis & ineptis ritibus se immiscet. Hinc non licet permittere Malefico, ut aliquam vanam applicet medicinam, per quam a maleficio liberet, licet antea petieris ab eo, ut modo licito dissolvat, nam eo ipso quod medicina illa vana est, vim habet sanandi ope dæmonis. Immo nec petere, ut benedictione dissolvat, quandoquidem benedictio illa formula quædam est & ritus, quo posito ex pacto jam cum dæmone inito ille nocere cessat, nam si effectum sanitatis præstaret qua benedictio est, jam a quocumque data effectum produceret.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Absolute licet petere a Malefico, ut maleficium dissolvat modo licito, quando id ab ipso fieri posse certo constet, licet noverim non nisi alio maleficio soluturum. Ratio est evidens. Nam hæc petitio est de re licita & honesta, cujusmodi est maleficii dissolutio, & de modo plane licito; quod autem ipse præstet illicito modo, idest per aliud maleficium, hoc e jus malitiæ est imputandum, quia illicite præstat, quod licite præstare potest: sicut licet mutuum ab usurario petere, quamvis ille non sit nisi sub usuris daturus. Oppositum docet Cajetanus, quippe qui censet, semper Maleficum, sive tollat, sive ponat maleficium, ut diaboli ministrum se gerere, proinde ejus uti ministerio illicitum esse. At negamus, Maleficum, quando modo licito maleficium aufert, ut ministrum diaboli procedere, sed ut hominem scientem malum, quod intulit, modo licito auferre. Nam fingamus Maleficum Medicum esse, qui cum ut Magus nocumentum intulerit, sciat ut Medicus salutare pharmacum propinare ad morbum, quem induxit, expellendum; quis dicat non licere huic ut Medico medicinam sananiem infirmo porrigere, immo quis neget, ad hoc ex justitia, caritate, & religione teneri? Poterit igitur, immo tenebitur salutare pharmacum suggerere, nec tunc ut ministrum diaboli se gerit, sed ut Medicum sanantem. Hoc autem est, quod docent Theologi communiter, dum dicunt, licere a Malefico petere, ut maleficium licito & honesto modo tollat, idest non ut ope dæmonis, non ut ejus minister auxilium præbeat, sed ut homo remedium sciens suggerat, & suppeditet. Dixi id absolute licere, tamen in praxi non est eorum opera requirenda, sed si quod sciunt remedium licitum & naturale ad morbum avertendum idoneum, illud indicent, ab alio postea, vel ab ipso infirmo sibi applicandum.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Licitum est maleficii signa destruere, etiam ea intentione & expectatione, ut dæmon a nocendo cesset. Signa alia sunt, quæ naturaliter nocent, uti sunt venena cibis immixta, vel in puteum vel balneum immissa, & sicut ista ponere non est Magi, sed venefici hominis nocere cupientis, & si fiat dæmonis ope, superstitiosum opus quidem est, sed quod per accidens se habet & solum concomitanter ad damnum inferendum, obessent enim etiam nullo posito Sta-

tanæ opere, proinde ista auferre licitum esse, nemo est qui ambigat. Similiter Theologi omnes concedunt licere, signa illa nulla, quæ per se venefica non sunt, sed solum ex pacto dæmonis cum Malefico nocent, destruere, dissolvere, comburere ex odio & indignatione facinoris, & ad opera diaboli destruenda. Et jure merito, nam in Scriptura commendatur piissimus Rex Josias 4. Reg. c. 23. tanquam *directus divinitus ad pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis, nam ariolos & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Juda, & Jerusalem abstulit*. Ideo licite potest, immo debet quilibet ligaturas, amuleta, chartas, capillos, ossa mortuorum inventa dissipare. Sed quod difficultatem ingerit aliquibus Theologis est, num in hac dissipatione signorum liceat expectare, sperare, credere, quod Satanas sit a nocumento cessaturus? Ego quidem puto, in hac expectatione & spe, dummodo non certo & infallibiliter existimetur, nihil inesse vel superstitionis, vel commercii cum diabolo. Nam certum est. 1. Diabolum ratione suæ naturæ, & suæ malitiæ plurimum nocere posse, & velle hominibus. 2. Deum non finere sua divina & suavi providentia, ut noceat quantum virtute potest, & malitia vellet. 3. Sinere ut noceat ex pacto cum incantatoribus, magis, & aliis scelestis hominibus. 4. Nocumentum ab ipso non inferri, nisi quibusdam positis signis, quibus sublatis a nocendo cessat; ita pariter divina disponente providentia. Porro ista signa ponere ut noceat, vel auferre ne noceat ex ipso pacto cum dæmone scelestissimum esse video: at ista signa ab alio posita, a me detestante & abominante omne pactum cum diabolo, auferri, dissolvi, comburi, ut omne pactum tollatur, & ne amplius dæmon mihi aut aliis noceat, non video cur superstitiosum sit, & damnabile. Hinc Rituale Romanum Exorcistis præscribit, ut *jubeant dæmoni dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operationem magicam, vel malefica signa, vel instrumenta, quæ si ob(s)essus ore sumpserit, evomat, vel si alibi extra corpus fuerint, ea revellet, & inventa comburet*. At quorsum hæc? num ut omne pactum cum dæmone se detestari, abominari, fugere ostendat? At quis nescit ab iis omnibus etiam a dæmone non revelatis Ecclesiam Dei quammaxime abhorrere? Postulat itaque & jure merito, quia primo remedia naturalia sunt adhibenda, qualis est disruptio signorum, quibus positis nocet dæmon, ut a nocendo cesset, quod sine expectatione & spe concipi non potest; deinde supernaturalia & spiritualia adhibentur remedia, scilicet exorcismi & orationes Ecclesiæ. Similiter S. Theodorus Abbas Siceota, ut habetur in Actis SS. Mensis Aprilis Tom. 3. pag. 40. Mago Baptismum petenti dixit: *Si vis a Deo veniam impetrare si quos habes libros maleficos in medium profer, & quoscumque homines, aut domos, aut animalia maleficiis tuis obstrinxisti, dissolve, nec amplius in quempiam exerce*. At cur jubebat S. Abbas dissolvi maleficia, quæ nocebant hominibus, domibus, animalibus? Profecto ne amplius nocerent, ergo expectabat cessationem a nocumento talibus destructis maleficiis. At audiamus Sylvium oppositum docentem, & pluribus argumentis auctoritate etiam S. Th. munitis opinionem suam fulcientem. Non omnia tamen proferam argumenta, nam in longum nimium excresceret hocce Corollarium, sed duo tantum; & primum quidem (quod adeo achilleum visum est præstantissimo Theologo, mihi amicissimo, & quem plurimi facio, ut victas manus dederit) sic nervosius, quam ab ipso Sylvio sit productum, expono. Hocce beneficium, cessationis scilicet a nocendo, a quo expectas & speras sublatis signis? Num a cau-

a causa naturali? Non certe, quippe quia sicut positio signi non est causa naturalis nocumenti, ita nec ejus ablatio cessationis. Num a voluntate humana? Nequidem, quæ hic locum non habet. Num a voluntate Dei & Sanctorum? At quis tibi dixit, eos velle sublatis signis cessare nocumentum? Expectas ergo a dæmone, in diabolum ergo speras, quod est illicitum, & pactum cum ipso continet. Respondeo me expectare hocce beneficium a dæmone sine superstitione; a causa naturali, & a Deo. A dæmone, at non tamquam ab amico & benefico, sed tamquam ab inimico, cui per destructionem signorum gladium e manibus extorqueo, quo me ferit, & extorqueo medio licito, detestando scilicet & destruendo ea signa, quibus perverse positis, mihi vel meis nocebat. Quid igitur pacti, quid spei, quid fiduciæ in diabolo, cujus opera destruo, detestor, tollo, ne mihi noceat? & qui si a nocendo cessat, non cessat ut mihi benefaciat, sed cessat invitus & nolens, quia amplius nocere non potest? Expecto tanquam a causa naturali: quia licet positio vel destructio signorum non sit causa vel nocumenti, vel cessationis a nocendo, juxta tamen divinæ providentiæ ordinem diabolo non permittitur nocere nisi positis signis, iisque destructis ad nocendum impotens fit; est igitur destructio signorum veluti naturale impedimentum ad nocendum, hanc igitur adhibeo, ut naturaliter, quia etiam nolens, a nocendo cesset. Eo ferme pacto, quo Judex iniquus volens sententiam capitis in innocentem ferre, necesse est ut eam scribat, at scriptio sententiæ non est causa mortis innocentis, sed signum, cum mala & iniqua Judicis voluntas sola sit causa; sed quia hanc perversam suam voluntatem exequi non potest nisi per sententiam calamo scriptam, ego illi calamum & atramentum surripio, ne scribere sententiam possit, & sic ab hoc medio tamquam a causa naturali ex ... cessationem a prava sententia ferendo. Tertio expecto a Deo, a quo scio hunc ordinem præstitutum, ut dæmon positis signis possit nocere, sublatis non possit, sive volens si auferantur ex pacto cum eo inito [quod iniquissimum est & illicitum, sive nolens si tollantur eo invito: ergo a Deo tanquam ab universali provisore cessationem a nocendo spero, non quidem spe certa & infallibili, hoc enim superstitiosum esset etiam in rebus sacris, sed prudenti, & divinæ voluntati submissa. 2. Loco objicit Sylvius: *Non licet Maleficos inducere, ut maleficia inveniant, ergo nec licet inventa tollere*. Vah putidum sophisma Theologo indignum! Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio est, quia Maleficus signa ab alio Malefico occultata detegere non potest absque alio maleficio, quo nunquam uti licet, at detecta absque maleficio licitum est destruere & abolere. Præterea si quid argumentum valeret, evinceret, nec in detestationem & abominationem signorum licere ea inventa destruere; nam juxta Sylvium „non licet Maleficum inducere ad detegenda signa, nec quidem ad eorum detestationem & destructionem, cum hoc novo maleficio fiat; ergo nec inventa destruere ad eumdem finem, cum semper pactum involvat cum dæmone, qui semper vel explicite vel implicite, juxta Sylvium, paciscitur *quod signo manente nocebit, eo vero sublato tenebitur non nocere*. At hæc ridenda sunt, non refellenda. Verum cui bono tantus rigor contra communem Doctorum opinionem in Theologo alioquin Probabilista? qui postquam tam immane facinus, cujusmodi est pacisci cum diabolo, in ipso confidere, aliquid boni ab ipso expectare, pluribus argumentis detexit, doctrina S. Thomæ confirmavit, totis artubus concussit, tandem resolvit: *Si quis tamen maleficii signum amoveat, putans id sibi licere, & nihil aliud* ex-

expectans quam nocumenti, vel pacti cessationem, non est simpliciter condemnandus, quia multorum piorum & doctorum virorum auctoritas illam sententiam affirmantium, facit eam ita probabilem, ut possit illam sequi: Tantum Probabilismus potest suadere malorum?

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Non est illicitum uti cognitione, scientia, aliaque utilitate per Dæmonem obtenta, quotiescumque ejus conservatio & usus a Dæmone non pendeat. Id patet manifeste in illo, qui per maleficium consecutus est sanitatem, non enim tenetur se iterum in eumdem morbum conjicere; & ratio est, quia licet acquisitio criminosa fuerit, ejus tamen detentio & usus licitus est & bonus; proinde deleta per pœnitentiam culpa, non tenetur se ea utilitate privare; & idem dices de licita aliqua arte, vel cognitione, qua quis uti possit, non ad vana & curiosa, sed ad utilia & honesta dignoscenda. Sed quid de thesauris & pecunia diaboli & magiæ ope inventis, vel acceptis? De thesauris tali pacto repertis leges statuunt, esse in pœnam totum thesaurum fisco applicandum, ut constat ex lege unica C. de Thesauris, & l. *Nemo* Cap. de Maleficiis. Quoad pecuniam vero optime notat Delrius, nunquam legi datam a Satana improbis hominibus sibi devoventibus, ita suavi disponente Dei providentia, ne hoc illicio homines se in diaboli mancipia venderent, & si forte aliquando data fuit pecunia, hæc postea reperta est vana, umbratilis, & ficta, quæ vel e manibus evanuit, vel in carbones, aliasque res inutiles versa est. Quod si contingeret veram dari pecuniam, qui reciperet ad pœnitentiam veniens si furto sublatam sciret, eam suis dominis restituere teneretur; si vero ab ipso Dæmone ex aliquo loco hominibus impervio, puta e maris fundo erutam nosset, adhuc restituere deberet, ne ex maxima sua iniquitate lucrum reportaret, nisi forte extrema vel gravi premeretur necessitate, sed acceptam pecuniam opere pessimo, pauperibus distribuere deberet; & certe saltem in pœnitentiam admissi sceleris foret a Confessario prudente cogendus.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Non licet ponere signa a diabolo præstituta, quamvis in re vel indifferenti, vel bona sita sint, vel sine culpa detexeris. Patet manifeste; nam tunc cum dæmonio commercium inis, ejus ope uteris, cum illo pacisceris. Proinde falsum est, quod docet Tambutinus a Lacroixio citatus pag. 97. n. 142. nimirum Rusticum audivisse senem thesaurum defodientem pacisci cum diabolo, ut nullum illum posset vel effodere, vel reperire, nisi qui pultem inibi comederet, Rusticus itaque pultem comedit, & thesaurum abstulit absque superstitione & magia. Quis enim non videat hic pactum cum dæmone initum, & cum ipso communicationem habitam, quippe quia ejus ope thesaurus est inventus, & effossus? Nec dicas pultem in tali loco comedere rem esse indifferentem; at comedere ex pacto cum dæmone, & comestionem adhibere tamquam signum ad rem reperiendam, & effodiendam superstitiosum est, & scelestissimum; & hujusmodi fuisset, licet diabolus pactus esset, ut non inveniretur nisi ab inibi orante, vel aliud pium opus exercente, quia adhuc illud pium opus esset signum pacti cum diabolo. Sicut nec excusari potest quasi non maleficium fecerit, sed destruxerit, quandoquidem maleficium alio maleficio tollere impiissimum est: porro comestio pultis in eo loco non est modus naturalis vel divinus effectum obtinendi, ergo diabolicus, & ex pacto cum diabolo

bolo proveniens. Nec juvat, quod notitiam illam sine culpa acquisierit, non enim hic illum de cognitione acquisita reprehendimus, sedde pravo opere ea notitia præstito. Sic non licet Sagam, quæ te tetigit, repercutere, putando ea repercussione nocumentum cessare, corpus lavare, stercora in certo quodam loco egerere, quia pactum cum Diabolo initum est, ut tamdiu duret noxa, quamdiu quis se abluat, vel excrementa tali loco ponat, ideoque hoc est diabolo consentire, ejus pactis stare, & cum illo convenire. Nec ratio Probabilistarum, qui dicunt id licite fieri posse, quia hoc non fit ea mente, ut per illud signum sanitas recuperetur, sed ut tollatur signum, & dissolvatur pactum cum dæmone; non, inquam, hæc evincit, quia hoc non est simpliciter signum Diaboli jam positum, & existens ad detestationem tollere, sed est novum signum apponere, & maleficium maleficio destruere. Sed quid si diabolus pro signo cessationis maleficii ponat rem præceptam, puta auditionem Missæ in die festo, vel Eucharistiæ sumptionem in Paschate, num erit ab his operibus cessandum, ne pactis Diaboli stemus, & ne maleficium maleficio solvamus? Absit. Nam tunc diaboli detestantes malitiam, & in Deo spem omnem reponentes, debemus implere mandata. Immo addo, & contemnendus esset, si pro signo poneret pium opus, etiam non præceptum, quod tamen ex consuetudine, vel justa causa alias præstare consuevimus; puta, si pacisceretur cessationem maleficii, quando e lecto surgens signo Crucis se muniat, vel cum vespere Rosarium cum familia recitet. Nam ne tunc quidem est ab istis operibus abstinendum, sed spreta fraude diaboli, pia opera, quæ alias consuevimus implere, peragere possumus. Secus vero dicendum, si opus etiam pium pro signo ponat, quod alias ponere non consuevimus; puta si paciscatur ut cesset morbus, si tali loco vel tempore se crucis signo muniat; tunc enim cum nulla alia sit ratio pium opus exercendi nisi liberatio a maleficio, diabolo assentiremus, & ejus voluntati pareremus, abstinendum proinde omnino foret.

Consectarium Nonum.

IX. Non licet verberibus, tormentis, vulneribus Magum adstringere ad maleficium tollendum, quia hæc privatis personis infligere licitum non est, sed publicæ potestatis officium, cujus proinde jus sibi usurparet, quod verum est, etiamsi Maleficus diceret se posse licito modo maleficium tollere, cum eadem semper stet ratio, & multo magis, quia homini jam dæmoni devoto, & patri mendacii addicto de facili non est fides adhibenda; attamen cogi posset minis alicujus mali juste infligendi, puta accusationis apud Judicem, privationis alicujus beneficii, quod tu illi præstas, vel etiam pecunia allici, ut medium licitum revelet, ab alio pio viro applicandum.

Consectarium Decimum.

X. Lucrum ex magia retinere non potest Magus, sed tenetur in pauperes distribuere. Quo enim jure retinebit? Non certe naturali, tanquam mercedem operis. Nam opus illud diabolicum tantum abest, ut sit mercede, pretio vel præmio dignum, quin immo ipso jure naturali esset pœna puniendum. Jure ne positivo? At Leges omnes nedum divinæ, sed ecclesiasticæ & civiles non solum mercedem pravis hisce hominibus non statuunt, quinimmo infamia, bonorum proscriptione, aliisque pœnis eos coercent. Num ratione laboris? At

At labor cum sit cum ipso pravo opere conjunctus, immo sit ipsum pravum opus, quod sine aliquo labore exerceri non potest, non est pretio dignum sed pœna. Exemplum a meretricibus desumptum non urget, quia, ut suo loco videbimus, non est merces pravi operis, sed mulcta pecuniaria fornicatori inflicta a legibus civilibus, quæ & pretium taxant, & ad solvendum adigunt, quod certe non concedunt lucris ex aliis criminibus perceptis, ut suo loco fusius ostendemus. Proinde nullo modo audiendus Sporerius, qui tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 9. sect. 4. n. 49. sic docet: *Magus, qui locat operam suam alicui, pacta mercede, etsi peccet paciscendo, & opus superstitiosum exequendo, non peccat tamen retinendo mercedem datam, nec ullo jure* [quemadmodum meretrices] *restituere tenetur*. At quo jure retinere potest? *Etiamsi effectus non fuerit secutus, dummodo, ut supra dictum est, artem sciverit, & diligentiam adhibuerit*... *quod si artem nesciat, vel diligentiam non adhibuerit, utique restituere tenebitur*. Erigant aures Magi, Incantatores, Venefici & Doctorem hunc auscultent illos ad restitutionem adigentem, nisi artem suam calleant, nisi diligenter exerceant, & discant fieri in hac arte periti, & fideliter clientibus suis inservire; alioquin non faciant fructus suos. Vah monstrosa paradoxa! Sed audiant & Medici quanto a Sporerio in honore habeantur, dum artem magicam medicinæ æquiparat subdens: *Quemadmodum Medicus si artem suam callet, & diligentiam adhibet in curando, mercedem pactam licite recipit, & retinet, etiam effectu non secuto; secus autem si non calluit, & diligentiam non adhibuit*. Dixi esse in pauperes pecuniam & iniquum pretium distribuendum, non danti reddendum, quippe quia illud deperdidit, & privari meruit ob pravum opus attentatum, sicut de simoniacis, & aliis iniquis pretiis suo loco dicemus.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Magi, Incantatores, Sagæ ad pœnitentiam revertentes debent a se abjicere omnia signa pacti cum Dæmone, quod si nequeant abjicere, adhuc tamen veniam sperare debent. Prima pars de se constat, & est manifesta: nam sicut pactum initum cum Dæmone toto corde detestari & abominari debent, ita & omnia hujus iniquissimæ pactionis signa, ac veluti instrumenta detestando abolere. Quod si vero hæc sita sint in aliquo signo in corpore impresso & indelebili, vel chirographo proprio sanguine conscripto, & apud dæmonem existente, quod recuperare non valeant, de venia desperare non debent, sed vera & severa pœnitentia commissum facinus expiare studeant, Deo fideliter serviant; & hoc satis erit, ut etiam signo non deleto, vel chirographo non restituto admissi sceleris veniam consequantur.

R E F L E X I O.

I. Pauci admodum sunt adeo obdurati & obcæcati, seu perditæ adeo deploratæque conscientiæ, qui expresso pacto Satanæ se devoveant, sui plenam illi possessionem tradentes: at heu quot sunt, qui multiplicatis sceleribus, & repetitis etiam per plures annos infandis criminibus se Satanæ vendunt, & ejus catenis sponte manus porrigunt, & in servitutem miseram se dedunt accepta pro pretio voluptate peccati! Audiatur Origenes hom. 6 in Exodum: *Dei quidem creaturæ omnes sumus, unusquisque vero peccatis suis venumdatur, & pro iniquitatibus suis a proprio Creatore discedit. Dei igitur sumus secundum quod ab*

eo creati

eo creati sumus. Effecti vero sumus diaboli secundum quod peccatis nostris venumdati sumus. Veniens autem Christus redemit nos cum serviremus illi domino, cui nosmetipsos peccando vendidimus . . . Et fortasse recte quidem dicitur redemisse nos Christus, qui pretium nostri Sanguinem suum dedit. Quid tale autem, ut nos mereretur, etiam diabolus dedit? Ergo si videtur, ausculta. Homicidium pecunia diaboli est. Ille enim ab initio homicida est. Fecisti homicidium, diaboli pecuniam suscepisti, adulterium Diaboli pecunia est. Diaboli enim in ea imago est, & superscriptio, Commisisti adulterium, accepisti diaboli numisma. Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia, hæc omnia diaboli census est, & diaboli thesaurus. Talis enim pecunia de ejus monsta procedit. Hac igitur pecunia emit ille quod emit, & efficit sibi servos omnes, qui de ejusmodi censu ejus quantulumcumque susceperunt. Optime itaque docet Angelicus Doctor 3. p. q. 48. art. 4. duplici servitute teneri hominem, cum se peccati pretio diabolo vendit. *Et primo quidem servitute peccati, quia*, qui facit peccatum, servus est peccati, &, a quo quis superatus est, hujus & servus est, *ut dicitur Jo. 8. & 2. Petri 2. Quia igitur diabolus hominem superaverat inducendo eum ad peccatum, homo servituti diaboli addictus erat. Secundum quantum ad reatum pœnæ, quo homo erat obligatus secundum Dei justitiam, & hoc etiam est servitus quædam; ad servitutem enim pertinet, quod aliquis patiatur quod non vult, cum liberi hominis sit uti se ipso.*

II. Sed oh quam dura, quam immitis, quam barbara est diaboli servitus! Illius umbram agnoscit Augustinus in illa vidua, de qua sermo habetur Reg. 4. cap. 4. v. 1. quæ ab Eliseo auxilium deposcens gemebunda clamabat: *Servus tuus vir meus mortuus est . . . . & ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi*. In hac itaque Vidua Ecclesiam, sive humanum genus servituti diaboli adscriptum contemplatur Augustinus scribens Serm. 206. de tempore: *Vidua illa, idest Ecclesia debitum grave contraxerat non solidorum, sed peccatorum. Debitum habebat, & creditorem crudelissimum sustinebat, quia se diabolo multis peccatis obnoxiam fecerat. Sic enim Propheta prædixit.* In peccatis vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. *Vidua ergo illa pro tam grandi debito captiva quodammodo tenebatur*: & ut subdit Enchir. cap. 7. *Jacebat in malis, vel etiam volvebatur, & de malis in mala præcipitabatur, & luebat impiæ desertionis dignissimas pœnas: ad iram quippe Dei pertinet justam, quidquid cæca, & indomita concupiscentia faciunt libenter mali, & quidquid manifestis opertisque pœnis patiuntur inviti.*

III. Ab hac quidem tam dura, tam immiti, tam sæva captivitate nos eruit Christus Dominus pretiosissimo nostræ redemptionis persoluto pretio, *non* quidem, ut scribit D. Petrus epist. 1. cap. 1. v. 18. *corruptibili auro, vel argento, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*, qui illum fudit piissime, plenissime, acerbissime; piissime quidem, quia ex ferventissima erga nos caritate; plenissime, quia totum effudit, ne guttule quidem in venis residua; acerbissime, quia in cruce sævissimo mortis genere fudit. *O homo* (sic ipsum loquentem merito inducit Augustinus serm. de Passione) *recogita qualia & quanta pro te passus sum, cum esses inimicus Patri meo, reconciliavi te, cum tamquam ovis perdita oberrares, quæsivi te, & in humeris meis portavi te. Patri meo reddidi te, caput meum spinis opposui, manus meas clavis objeci, sanguinem meum pro te fudi, animam meam pro te posui, ut jungerem*

gerem te mihi, *& tu divideris a me?* Convertere ad me, & ego suscipiam te. *Reminiscere igitur Christiane*, ut sermoni meo verbis D. Leonis Papæ Serm. 1. de Nativ. coronidem imponam, *quia erutus de potestate tenebrarum*, *translatus es in Dei lucem*, *& regnum*. *Noli te diaboli iterum servituti subjicere*, *quia pretium tuum sanguis Christi est*, *qui veritate te judicabit*, *qui misericordia te redemit*.

DISSERTATIO V.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS PER DEFECTUM.

EXPEDITIS *iis*, *quæ ad vitia pertinent Religioni adversantia per excessum*, *ad ea exponenda progredimur*, *quæ eidem sunt contraria virtuti per defectum*, *& generale irreligiositatis crimen constituunt*. *Hæc vitia in duas partitur classes D. Thom. 2. 2. q. 97. Prima ea complectitur*, quæ pertinent ad contemptum, sive irreverentiam Dei; *altera* quæ rerum sacrarum contemptum *afferunt*. *Ad primam classem revocat tentationem Dei*, *& perjurium*, *ad alteram vero sacrilegium*, *& simoniam*. *De his igitur agemus*, *excepto perjurio*, *quod ad secundum Decalogi præceptum*, *ubi de juramento*, *reservamus*. *Sit itaque*

CAPUT I.

De Tentatione Dei, *& Sacrilegio*.

DOCTRINA.

I. *Quid sit aliquem tentare ex doctrina S. Thomæ*.
II. *Quid sit tentatio Dei*.
III. *Quotuplex sit*.
IV. *In quo sita sit hujus peccati malitia*.
V. *Est ex genere suo lethale peccatum*.
VI. *Sacrilegii definitio*.
VII. *Variæ sacrilegii species*.
VIII. *In illis varios gradus agnoscit D. Thomas*.
IX. *Sacrilegium est de se, & genere suo lethale peccatum*.

§. I.

De Tentatione Dei.

„ I. TENTARE aliquem (scribit S. Thom. „ 1. c. art. 1.) est proprie experi-„ mentum sumere de eo, qui tentatur. „ Sumimus autem experimentum de aliquo „ & verbis, & factis: Verbis quidem, ut „ experiamur, an sciat quod quærimus, vel „ an possit, aut velit illud implere. Factis „ autem, cum per ea quæ facimus, explo-

" ploramus alterius prudentiam, vel voluntatem, vel potestatem. Utrumque autem horum contingit dupliciter. Uno quidem modo aperte; sicut cum quis tentatorem se profitetur, sicut Samson Jud. 14. proposuit Philisthæis problema ad eos tentandos. Alio vero modo insidiose, & occulte; sicut legitur Matth. 22." Ita quidem D. Angel. de tentatione in universum, deinde peculiariter de tentatione Dei sic subdit: " Sic ergo homo tentat Deum quandoque verbo quandoque factis: Verbis quidem Deo colloquimur orando: unde in sua petitione expresse aliquis Deum tentat, quando ea intentione aliquid a Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem, vel voluntatem: Factis autem expresse aliquis Deum tentat, quando per ea, quæ facit, intendit experimentum sumere divinæ potestatis, sive pietatis, sive scientiæ.

II. Ex qua Angel. Præceptoris doctrina hæc tentationis Dei definitio potest extundi, nimirum

Tentatio Dei est inordinatum experimentum, sive probatio divinæ alicujus perfectionis verbis, vel factis.

Dicitur experimentum *inordinatum*, quando scilicet fit absque necessitate, vel grandi utilitate; si enim fiat Dei instinctu, vel ex justa necessitate, ita scilicet exigente Dei honore, & Ecclesiæ vel proximi utilitate, omni culpa vacat; subditur *divinæ perfectionis*, quippe quia homines non alia de causa Deum tentant, nisi ut de ejus misericordia, sapientia, justitia, bonitate &c. quæ sunt attributa Dei, experimentum sumant: denique dicitur *verbis*, *vel factis*, quia ut ex D. Th. mox vidimus, Deum utroque modo tentare possumus.

III. Duplex autem esse potest hæc tentatio Dei, nimirum expressa & formalis, & virtualis seu interpretativa. Priorem exposuit S. Thom. verbis mox citatis, de posteriore vero sic subdit: *Quasi interpretative Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit, vel facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem.... Quando ergo propter aliquam necessitatem, seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare: dicitur enim 2. Paral. 20.* Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. *Quando vero hoc agitur absque necessitate & utilitate, hoc est interpretative tentare Deum.*

IV. Malitiam hujus criminis constituit D. Ang. in irreverentia Deo facta, cum quis absque justa causa ob ignorantiam vel dubitationem experimentum sumit de aliquo Dei attributo. Hinc triplici virtuti adversari potest hoc crimen, nimirum fidei, cum quis Deum tentat dubitans num sit justus, vel potens; tunc enim hæresis & infidelitatis malitiam complectitur. 2. Religioni, cum quis de his attributis minime hæsitans absque necessitate tamen, vel justa causa vult de illis experimentum sumere; tunc enim vult Deum otiose, inutiliter, & ad usum indulgendum curiositati aliquid operari. 3. Caritati sui ipsius, ut si quis aliquo evidenti sive corporis, sive animæ periculo se exponat, ut videat, num Deus possit illum eripere, de ejus potentia alioquin non dubius.

V. Tentatio nem Dei esse ex genere suo lethale peccatum docet S. Thom. l. c. art. 2. scribens: *Manifestum est, quod tentare Deum ad hoc, quod tentans cognoscat Dei virtutem, est peccatum.* Et quidem quando conjuncta est cum dubitatione, vel materia est de se gra-

gravis, nullus est, qui dubitet. Solum non conveniunt Theologi, num fieri possit veniale ex levitate materiæ, puta si quis levi morbo gravatus omnem respuat medicinam, sperans a Deo sanandum, vel orans sine attentione & devotione, confidens tamen se a Deo impetraturum, quod sperat. Non desunt, qui affirmant Theologi Toletus, Bonacina, Sayrus, aliique, qui in ea tentatione Dei non nisi levem inordinationem curiositatem se introspicere censent. At oppositum verius & longe probabilius docent Suarezius, Sanchezius, Salmanticenses, Concina, aliique nobiliores Theologi, & quidem jure meritoque, nam semper gravem irrogat Deo injuriam qui eum tentat, sive grave, sive leve sit experimentum, immo tanto gravius peccare videtur, quo levior est causa, qua ad experimentum capiendum quis movetur. Ideo si levis sit morbus, a quo facili medicina vel dieta, vel alio naturali & facili modo liberari potes, & tamen omnia respuis, expectans a Deo sanitatem, postulas ergo ab illo miraculum absque ulla vel necessitate, vel justa causa; ejus igitur omnipotentiam contemnis, quam ad hæc levia miraculo tollenda vis descendere: illi ergo gravem infers injuriam, immo graviorem, quam si ab eo peteres, ut a gravissimo & pene insanabili morbo absque remediis sanaret. Fieri tamen potest veniale non ex hoc capite, sed vel ex actus imperfectione, quia plene voluntarius non sit, vel quia non advertit, aut intendit actionem suam ad Deum pertinere, ut contingit in illis, qui non habentes unde vivant, nihilominus manuum laborem refugiunt sperantes a divina providentia victum, vel ex eleemosinis, vel ab amicis, vel alio modo naturali habituros, cum hoc non ex animo tentandi Deum proficiscatur, sed ex mera desidia, otio, & damnabili pigritia. Audiatur nihilominus D. August. *de Opere Monachi cap. 17.* sic scribens: *Si per aliquam infirmitatem, vel occupationem non possumus operari, sic ille nos pascet & vestiet sicut aves & lilia, quæ nihil operantur hujusmodi; cum autem possumus, non debemus tentare Deum nostrum*. Sicut nullo modo Deum tentant, ut docet S. Thom. l. c. art. 1. ad 3. *Prædicatores regni Dei, qui ex magna necessitate, & utilitate subsidia temporalia prætermittunt, ut verbo Dei expeditius vacent; & ideo si soli Deo innitantur, non ex hoc tentant Deum; sed si absque utilitate, vel necessitate humana subsidia desererent, tentarent Deum*.

§. II.

De Sacrilegio.

VI. Cum *sacrum dicatur*, juxta D. Thom. hic q. 99. art. 1. *aliquid quod ad divinum cultum ordinatur . . . unde efficitur quoddam divinum, & sic ei quædam reverentia debetur, quæ refertur in Deum; ideo omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, & habet sacrilegii rationem*. Ex hac D. Ang. doctrina jam patet, qualis sit sacrilegii definitio, nimirum

Violatio rei sacræ.

VII. Cum igitur sacrilegii objectum sit res sacra, subdit D. Thom. art. 3. *Secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est, quod sacrilegii species distinguantur*. Cum itaque tria sint genera rerum, quæ sanctitate ornari possunt, nimirum personæ, loca, & certæ quædam res; hinc sacrilegium distinguitur in personale, locale, & reale. Quæ quidem specifica distinctio, ut optime notant cum D. Thom. Theologi, non ex eo desumitur, quod res a se invicem specie, immo toto genere distinguantur, sed quia di-

diverso plane modo sanctitatem participant, & nanciscuntur, unde sanctitas analogice de illis enuntiatur. Quamobrem subdit l. c. S. Doct. *Tanto sacrilegium est gravius, quanto res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem. Attribuitur autem sanctitas personis sacris (idest divino cultui dedicatis) & locis sacris, & rebus quibusdam aliis sacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum Deo exhibet. Dicitur enim Machab.* 5. Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit; *& ideo gravius peccatum est sacrilegium, quo peccatur contra personam, quam quo peccatur contra locum sacrum.... Tertia species sacrilegii, quæ circa alias res sacras committitur, &c.*

VIII. In hisce tamen speciebus, quæ atomæ sunt, varios agnoscit gradus seu modos idem D. Angel. *secundum differentiam personarum, & locorum sacrorum, & secundum differentiam rerum sacrarum.* Horum graduum & modorum aliquos enumerat ibidem D. Ang. quibus alios addunt Theologi. Itaque quoad personas sacras attinet, seu quoad sacrilegium personale quatuor ponuntur gradus seu modi sacrilegii, videlicet 1. Personam sacram verberando, percutiendo, persequendo, vel reali aliqua contumelia afficiendo. 2. Eam ad laicum forum trahendo. 3. Tributa & vectigalia absque legitima auctoritate, vel urgente necessitate imponendo. 4. Impudicas actiones cum ipsa peragendo, tum respectu ipsius Personæ sacræ, tum respectu complicis; nam cujuslibet voti violatio sacrilegium est. Ex parte vero loci sacri sacrilegium committitur. 1. Locum sacrum incendendo, infringendo, spoliando &c. 2. Immunitatem violando per violentam extractionem hominis illuc tanquam ad asylum confugientis, quibusdam tamen casibus exceptis. 3. Locum sacrum polluendo vel per sanguinis injuriosam effusionem, vel per voluntariam pollutionem sive manifestam, sive occultam, vel per sepulturam hominis non baptizati, sive excommunicati non tolerati. 4. Profanas actiones inibi exercendo, quæ sive naturali lege, sive juris canonici prohibitione loci sanctitati repugnant, cujusmodi sunt mercaturas, negotiationes, convivia, scenas in Templis instituere. 5. Furari, nam statutum legimus a jure canonico cap. *Quisquis* 17. quæst. 4. *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Denique ex parte rei sacræ, prout a loco, & persona distinguitur, 1. loco enumerat S. Thom. "Sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium, quod contra hoc Sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia." Enumerat vero hoc sacrilegium D. Angel. inter violationes rei, non personæ sacræ; nam licet Christus sit realiter in Eucharistia præsens, non est tamen inibi per modum corporis, sicut erat in Mundo, & modo est in cælo, sed alio ineffabili modo, scilicet Sacramentali; ideo indigna tractatio Eucharistiæ non constituit sacrilegium in personam, sed in rem sacram. "Post Sacramenta [*sequitur S. Thom.*] secundum locum tenent vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, nec non eorum materiæ & formæ, & ipsæ Imagines sacræ, & reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo ipsæ personæ Sanctorum venerantur, & dehonorantur. Deinde ea, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive mobilia sint, sive immobilia.

IX. Sacrilegium est de se & ex genere suo lethale, ut ipso naturali lumine patet, cum gravem irroget Deo injuriam, afferatque damnabilem ejusdem dehonestationem. Potest

test tamen ratione imperfectionis actus, vel etiam parvitate materiæ esse veniale, ut si quis ex oblationibus fidelium tenuem furetur monetam. Sacrilegii circumstantia semper est in confessione aperienda; novam enim addit peccato malitiam: nam, ut observat S. Thom. aliqua peccata licet specie inter se differant, convenire tamen possunt in una eademque sacrilegii specie; hinc scribit l. c. ad 2. " Possibile est aliqua duo peccata " differre specie secundum materiales actus, " convenire autem in specie secundum unam " rationem formalem sacrilegii; puta si " quis sanctimonialem violaverit verberando, " vel concumbendo ".

C A P U T I.I.

Consectaria precedentis Doctrinæ.

I. *Deum tentant, qui in infirmitate communia, & vulgaria pharmaca respuunt.*

II. *Et qui innocentiam suam probare tentant experimento ferri candentis, vel aquæ ferventis, vel duello.*

III. *Non licet reo Eucharistiam dare ad expurgationem.*

IV. *Tentat Deum, qui oratione aliquid ab eo petit, & se exaudiendum putat, dum odium corde retinet, vel indevote orat.*

V. *Peccaret lethaliter, qui a Deo miraculum peteret, vel illud polliceretur ad infidelem vel hæreticum convertendum.*

VI. *Tentatio Dei explicita deformitatem importat in confessione aperiendam.*

VII. *Deum tentant Concionatores, qui imparati conciones publicas audent habere.*

VIII. *Et peccatores, qui in cœno vitiorum sordescentes conversionem de die in diem differunt.*

IX. *Personæ Deo dicatæ non in omni peccato sacrilegium committunt, sed solum cum violant castitatem.*

X. *Ad sacrilegium pertinet impudicitia peracta a Confessario cum sua filia spirituali.*

XI. *Sacrilegium committunt, qui res etiam non sacras, & loci sacri fidei commendatas ivibi furantur.*

XII. *Et qui in Ecclesia de rebus obscænis colloquia miscent, & ad turpia sollicitant.*

XIII. *Et qui in ea mercaturam, emptiones, & venditiones exercent.*

XIV. *De locorum sacrorum immunitate Benedicti XIV. doctrina.*

XV. *Sacrilegium committunt, qui actu saltem externo in Ecclesia peccant.*

XVI. *Ad sacrilegium quænam intentio sufficiat.*

XVII. *Sacrilegium est rebus sacris ad profanum usum uti.*

XVIII. *Et abuti sacræ Scripturæ verbis.*

XIX. *Et Sanctorum Imagines indecore pingere.*

XX. *Etiam peccatum omissionis sacrilegio junctum esse potest.*

XXI. *Objectum sacrum, & actio, qua violatur, sunt in Confessione aperienda.*

Consectarium primum.

I. PECCANT, & Deum tentant, qui in infirmitate communia sumere respuunt pharmaca & remedia, sine quibus convalescere non possunt, nam Scriptura dicit Eccli. 38. v. 4. *Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Non sunt tamen damnandi Sancti illi viri & Martyres, ut Agatha Virgo, qui vulneribus pro Christo acceptis carnalem medicinam adhiberi recusarunt, tum quia ita se gerebant non quasi expectantes a Deo prodigiosam curationem, sed ut pro Christo paterentur amplius, & quia scientes se jam pro fide morituros, medicinæ breve levamen libenter respuebant, sive quia speciali S. Spiritus impulsu movebantur, vel denique, ut scribit S. Thom. hic art. 1. ad 3. de B. Agatha: *Experiebatur erga se divinam benevolentiam, ut vel infirmitates non pa-*

pateretur, *pro quibus corporali medicina indigeret*, *vel sentiret divinæ sanationis effectum*. Sicut nec Deum tentant viri perfectioni studentes, qui Jesu Christi mortificationem in suo corpore portantes, de sanitate corporis nimium solliciti non sunt, nec valetudinem salubrioribus cibis conservare, vel pretiosis & exquisitis medicinis amissam recuperare negligunt. Nam scribit S. Bernardus ep. 321. ad Fratres: *Minime competit Religioni vestra medicinas quærere corporales*, *sed nec expedit saluti*. *Nam de vilibus quidem erbis*, *& quæ pauperes deceant*, *interdum*, *aliquid sumere tolerabile est*, *& hoc aliquando solet fieri*. *At vero species emere*, *quærere Medicos*, *& accipere potiones Religioni indecens est*, *& contrarium puritati*, *maximeque Ordinis nostri*, *nec honestati congruit*, *nec puritati*, Hæc enim omnia gentes inquirunt. *Scimus autem*, *qui in carne vivunt*, *Deo placere non posse*.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Deum tentant, & graviter peccant, qui innocentiam suam probare conantur experimento ferri candentis, vel aquæ ferventis, vel duello. Ita expresse docet S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. " Judicium „ ferri candentis, vel aquæ ferventis ordinatur quidem ad alicujus peccati occul„ ti inquisitionem per aliquid, quod ab ho„ mine fit; & in hoc convenit cum sorti„ bus: inquantum tamen expectatur aliquis „ miraculosus effectus a Deo, excedit commu„ nem sortium rationem. Unde hujusmodi „ judicium illicitum redditur: tum quia or„ dinatur ad judicanda occulta, quæ di„ vino judicio reservantur: tum etiam quia „ hujusmodi judicium non est auctoritate „ divina sancitum. Unde 2. quæst. 4. de„ creto Stephani Papæ V. [cap. *Consulu„ isti*] dicitur: *Ferri candentis*, *vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorque„ ri a quolibet*, *sacri non censent Canones*, „ *& quod sanctorum Patrum documento sancitum non est*, *superstitiosa adinventione non*, „ *est præsumendum*. *Spontanea enim confes„ sione*, *vel testium approbatione publica de„ licta*, *habito præ oculis Dei timore*, *con„ cessa sunt nostro regimini judicare*: *occulta „ vero & incognita illi sunt relinquenda*, *qui „ solus novit corda filiorum hominum*. Et „ eadem ratio videtur esse de lege duellorum; „ nisi quod plus accedit ad communem ra„ tionem sortium, inquantum non expec„ tatur ibi miraculosus effectus; nisi for„ te quando pugiles sunt valde impares „ virtute vel arte ". Et ipsa manifeste evincit naturalis ratio, quia non sunt expectanda a Deo miracula, ubi supersunt media naturalia, cujusmodi sunt testium examen, spontanea confessio, judicis sententia, per quæ veritas potest detegi.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Nec licet absque peccato tentationis Dei alicui reo Eucharistiam dare, ut ejus sumptione a crimine, de quo accusatur, expurgetur. Nam licet aliquando purgationis medium in usu fuerit, & etiam in jure canonico Cap. *Sæpe* 2. qu. 2. designatum; tamen optime animadvertit D. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. ad 3. " Quod decreta „ illa sunt abrogata per contraria docu„ menta Pontificum. Et habetur extra, „ de purgationibus (Cap. *Ex tuarum*.) „ In omnibus enim talibus esse videtur Dei „ tentatio: unde sine peccato fieri non pos„ sunt. Et gravius videretur, si in hoc „ Sacramento, quod est institutum ad re„ medium salutis, aliquis incurreret judi„ cium mortis. Unde nullo modo corpus „ Christi debet dari alicui suspecto de cri„ mine. quasi ad examinationem ". Et merito quidem, quia temere expectatur a Deo miraculum præsentis punitionis rei, quod

quod etsi quandoque Deo sic disponente evenerit, per hoc tamen a peccato tentationis Dei non liberantur, qui illud medium ad veritatis probationem adhibendum censuere.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Tentant Deum, qui oratione aliquid ab eo petunt, vel se putant exaudiendos, dum odium erga proximum corde retinent, vel indevote & irreverenter orant. Sic enim monet Deus Eccli. 18. v. 23. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Et docet S. Thom hic q. 97. art. 3. ad 2. *Ille qui ante orationem animam suam non præparat, dimittendo si quid adversum aliquem habet, vel alias ad devotionem se non disponendo, non facit quod in se est, ut exaudiatur a Deo; & ideo quasi interpretative tentat Deum*.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Peccaret, & quidem lethaliter Deum tentando, qui absque speciali impulsu Spiritus S. a Deo miraculum posceret, vel polliceretur ad hæreticum, vel infidelem ad fidem convertendum. Nam hoc nec necessarium est, nec sufficiens ad intentum. Non quidem necessarium, cum tot sint argumenta, quæ fidem catholicam evidenter credibilem ostendunt, quibus convinci possunt infideles, & quibus acquiescere possunt & debent. Non sufficiens & idoneum, cum etiam viso miraculo possit hæreticus vel infidelis in sua pertinacia obdurescere, ut contigisse videmus Judæis, qui nec resurrectione Lazari moveri potuerunt, ut Christo crederent. Proinde si quando sancti viri ad miracula infideles vel hæreticos provocarunt, hoc ex speciali Spiritus Sancti instinctu perfecere. Non peccaret tamen Missionarius, si ceteris adhibitis mediis ad infidelium conversionem fervido Deum oraret, ut dignaretur prodigioso aliquo ostento fidem confirmare, ea tamen semper adjecta conditione, si ita Deo placeret, & hoc modo sui nominis gloiam vellet promovere.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Licet tentatio Dei explicita & formalis ab interpretativa & virtuali specie non differat, prior tamen specialem supra aliam affert deformitatem in Confessione semper aperiendam. Specie quidem differre censet Suarez, qui putat, tentantem Deum explicite & formaliter semper moveri a dubitatione de aliquo Dei attributo, quia dubitationem abesse putat a tentante Deo solum virtualiter. Et profecto si res ita se haberet, non solum specie, sed & quasi genere differrent, cum illa peccatum infidelitatis conjunctum haberet, secus ista. At etiam a formali tentatione hoc dubium abesse potest, & virtuali conjungi: proinde non videtur statuenda specifica distinctio inter explicitam tentationem Dei, & virtualem. At majorem afferre malitiam ex eo apparet, quia qui formaliter & expresse Deum tentat, illum gravius contemnit, & dehonestat; unde sicut D. Thom. docet hic q. 95. art. 3. ad 1. *Multo gravius esse dæmones invocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit, ut se dæmones ingerant*; ita multo gravius erit, Deum expresse & formaliter tentare, quam aliqua facere vel petere, per quæ Deum tentari appareat. Non est igitur doctrinæ Salmanticensium acquiescendum dum docent, sufficere in Confessione dicere: *Commisi peccatum tentationis Dei*, sed addendum, num explicite, vel implicite, num formaliter, vel interpretative Deum tentaverit.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Tentant Deum Concionatores, qui imparati & sine necessario studio conciones publicas

publicas audent habere, sub spe dandum sibi os & sapientiam, quo possint rite & cum fructu sacrum implere ministerium: nam in præsenti divinæ providentiæ ordine hæc dona gratuita, & miraculosa non possunt nisi temere expectari, sed media sunt adhibenda, quæ ad sacrum opus Ministrum idoneum reddere possunt, cujusmodi sunt studium, & diligentia in præparandis iis, quæ sunt dicenda, & oratione deposcendum a Deo auxilium, ut cum fidelium fructu sacrum ministerium exerceatur. *Pertinet enim*, (inquit August. lib. 22. contr. Faust. cap. 36.) *ad sanam doctrinam, ut quando habet quod faciat homo, non tentet Dominum Deum suum.*

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Periculosissime tentant Deum peccatores, qui jamdiu in cœno vitiorum sordescentes differunt conversionem suam de die in diem, vel ad mortis articulum, quippe qui videntur experiri velle si possint christiane & pie mori, qui impie & gentiliter vixerint. Hoc enim pacto se mage divina indignos misericordia reddunt; nam Deus *invenitur ab his, qui non tentant illum*, ut dicitur Sap. cap. 1. Similiter rei sunt tentationis Dei, qui in proximum peccandi periculum se injiciunt, auxilia ab eo sperantes, per quæ liberemur; cum Deus sit pollicitus se denegaturum hujusmodi auxilia dicendo, *Qui amat periculum peribit in illo.*

De Sacrilegio.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Personæ Deo dicatæ vel per vota, vel per ordinationem non in omni, quod perpetrant peccato, sacrilegium committunt, sed solum cum in se violant castitatem. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3. ad 3. *Omne peccatum, quod sacra persona committit, materialiter quidem, & quasi per accidens est sacrilegium. Unde Hieronymus* (*Bernard. lib. II. de Consideral. cap. 13.*) *dicit quod nugæ in ore Sacerdotis sacrilegium sunt, vel blasphemia. Formaliter autem, & proprie illud solum peccatum sacræ personæ sacrilegium est, quod agitur directe contra ejus sanctitatem; puta si virgo Deo dicata fornicetur. Et eadem ratio est in aliis.* Præterea tenentur in Confessione aperire & gradum quem obtinent, & votum etiam castitatis, si regulares sint, cum hæc omnia sacrilegii peccatum aggravent, ut docent cum Suarez plures alii Theologi.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Ad sacrilegium pertinet impudicitia perfecta a Confessario cum sua filia spirituali. Ita docet S. Th. in suppl. 3. part. qu. 56. art. 1. ad 8. quia *per pœnitentiam tollitur peccatum actuale: quia hoc non est per modum generationis, sed magis per modum sanationis. Sed tamen per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem, & Sacerdotem, spirituali cognationi simile, ut tantum peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia.* Similiter sacrilega est impudicitia cum persona spiritualiter conjuncta sive per solemne baptismum, sive per confirmationem, in quibus sacramentis spiritualis contrahitur cognatio inter patrinos & baptizatum sive confirmatum, atque inter patrem & matrem baptizati, sive confirmati.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Locum sacrum violant, & sacrilegium committunt, qui res etiam non sacras, & loci sacri fidei commendatas in illo furantur. Et quidem oblationes fidelium e capsulis surripere, vel pecunias sive alias res in Ecclesia depositas furari, sacrilegium esse concedunt etiam benigniores Theologi, & confirmant punitione Helio-dori

dori horribiliter & severe ab Angelis flagellati, quippe qui ærarium Templi spoliare vellet. At negant de furto, quod per accidens & casu fit in templo, cujusmodi est crumenam vel horologium vicino in Ecclesia surripere; sed immerito, tum quia in jure canonico, ut superius diximus, sacrilegium dicitur etiam auferre *non sacrum de sacro*, porro qui rem in loco sacro furatur, aufert non sacrum de sacro; ergo sacrilegus est. Præterea D. Thom. aperte docet: *Omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, & habet sacrilegii rationem*: porro furtum cujuscumque rei in Ecclesia perpetratum ad irreverentiam loci sacri pertinet; ergo ad injuriam Dei pertinet, & est sacrilegium. Tertio, communi omnium sensu, qui furantem in Ecclesia non eo solo nomine detestantur, quia aliena rapit, sed quia rapit etiam in Templo, ergo intimo sensu experiuntur, furtum illud speciale m afferre deformitatem, quæ profecto non alia esse potest nisi irreverentia loco sacro præstita, proinde sacrilegium. Non sunt itaque audiendi Probabilistæ, dum hujusmodi furta a sacrilegii crimine immunia declarant.

Consectarium Duodecimum.

XII. Locum sacrum violant, & sacrilegii rei fiunt, qui in Ecclesiis de obscœnis & turpibus colloquia miscent, & ad turpia sollicitant, licet extra Ecclesiam peragenda, & multo magis qui turpes actus in loco sacro exercent sive manu, sive nutibus, sive tactu aliquo, quæ videntibus actionis inhonestæ speciem statim exhibent. Hoc quidem negant Probabilistæ, at eorum reclamante conscientia; nam cum Sporerio fatentur gravem contra loci sanctitatem irreverentiam continere. At quis est qui non videat irreverentiam hanc esse loci sacri violationem? Violatio autem loci sacri est sacrilegium.

Consectarium decimumtertium

XIII. Rei sunt habendi violationis loci sacri, qui in Ecclesiis mercaturam, emptiones, & venditiones celebrant; cum Christus Dominus ejecerit de Templo ementes & vendentes columbas, etiam fortassis ad usum sacrificiorum, nec non nummulariorum mensas everterit, & æra vendentium dispersit. Veniale forte, si quis per accidens ob effugiendam pluviam brevi spatio vel pecuniam pro merce empta numeraret, vel ad ipsam mercem evolutam videndam & prospiciendam in Ecclesia detineretur. Similiter qui comessationes & epulas in Templo institueret, cum Cap. *Non oportet* 2. dist. 24. statuatur: *Non oportet in Basilicis, seu Ecclesiis Agapem facere, & intus manducare*; & ut Apstolus ait 1. ad Corinth. 11. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Si quis tamen vel asyli, vel custodiæ causa in Ecclesia morari contingeret, non impediretur, ut in loco remoto consuetum sumeret cibum, & potum.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Quoad ecclesiasticorum locorum immunitatem plura docuit Sanctissimus & Sapientissimus Pontifex Bened. XIV. in suis Institutionibus, & plura statuit in Bulla quæ incipit *Officii nostri*. In hac itaque 1. binas confirmat Benedicti XIII. & Clementis XII. Bullas, in quarum prima statuebatur, non gaudere loci sacri asylo & immunitate 1. impedientes, ne quis recurrat ad locum immunem, vel ab eo violenter extrahentes. 2. Interfectores ex animo præmeditato, ac deliberato. 3. Adulterantes litteras Apostolicas. 4. Reos furti, seu quid

falsi

falsi committentes in Monte Pietatis, vel in loco publico, ubi pecuniæ deponuntur, ex quo arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. 5. Vitiantes sive abradentes aureas, argenteasque monetas cujuscumque Principis, etiam exteri, cursum in loco habentes ubi delictum perpetratur, vel sic vitiatas monetas expendentes, ut fraudis conscii & participes censeri possint. 6. Illos, qui Curiam simulantes insinuant se se in domos ad furandum, dummodo simul etiam committant homicidium aut mutilationem membrorum in eos, qui etiam per accidens in ea domo sunt, effectu tamen secuto. 7. Illum, qui stans in Ecclesia vel Cœmeterio interficit stantes extra ea loca, & viciffim. 8. Homicidam etiam in rixa, si ex processu reus sit deprehensus, seu in exilium eo nomine agatur; quod tamen valere declarat tantum in ditione Ecclesiastica. 9. Mandantes, idest qui certum præmium mandatario sunt polliciti, licet non dederint, homicidio tamen & mutilatione commissa. Quæ omnia confirmavit Clemens XII. additis nonnullis ad Ecclesiasticam ditionem pertinentibus. 2. Idem Benedictus XIV. citata Bulla *Officii nostri* præter prædecessorum Pontificum statutorum confirmationem nonnulla alia adjecit. 1. Declaravit in præfatis legibus comprehendi etiam Ecclesiasticos, & mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo vel saxo, nisi forte homicidium commissum sit casu, aut necessaria defensione, non vero si fiat ex odio, & animo nocendi. 2. Declarat privative ad Episcopos pertinere facultatem demandandi extractionem delinquentium e loco immuni, adeo ut si locus sit nullius Diœcesis, sit ad viciniorem Episcopum recurrendum, & si locus sit a residentia Episcopi remotus, Vicarii foranei de mandato Episcopi indicia ad extractionem necessaria juridice colligant, & ad Episcopum transmittant. 3. Jure asyli privat eos, qui sine recursu ad Episcopum extrahunt, sive obsidere præsumunt loca immunia, ne alimenta ad reum deferantur, vel alio modo cogunt reum ad se dandum Curiæ seculari. Hæc tamen Bulla lata est tantum pro ditione Pontificia, & pro illis Principibus, qui eam postulaverint. In Encyclica vero ad Inquisitores quæ incipit *Elapso proxime*, & habetur Bullar. T. 3. n. 40. statuit, seu declarat, hæreticos, aut de hæresi suspectos, & Judæos post Baptismum in apostasiam lapsos posse ab Inquisitoribus extrahi ab Ecclesia, sed ante, vel post capturam Episcopos commonere teneri.

Plura vero docet in Instit. 4. n. 61. & primo quidem casus enumerat, in quibus de jure communi canonico delinquentes asylo, & ecclesiastica non gaudent immunitate, nimirum 1. Si publicus latro fuerit ex can. *Sicut antiquitus, nisi publicus* 17. quæst. 4. & in Decretali *Inter alia* de Immunitate Eccles. 2. Nocturnus depopulator agrorum, in citata Decretali. 3. Qui homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis vel eorum cœmeteriis committere non verentur, ut statuit Greg. IX. in Cap. *Immunitatem* de Immunit. Eccles. 4. Quis per assasinos interficiunt, vel eosdem ad hoc recipiunt domi, ut statuit Innoc. IV. in cap. Pro humani, de homicidio in 6. 5. Homicidium proditorium, cum in cap. 1. de homicidio, innovatum inveniatur Exodi præceptum: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab Altari meo evelles illum, ut moriatur*. 6. Heretici, vel de hæresi suspecti, vel Hebræi a fide apostatæ juxta Decretum Joan. XXII. in sua 1. Constit. in Bull. Rom. T. 1.

Deinde doctissimus Pontifex addit quid postea statuerit Gregorius XIV. nimirum non gaudere Immunitate, qui fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac via-

viatores ex insidiis aggrediuntur. 2. Cum in jure canonico diceretur, non gaudere immunitate *nocturnos* depopulatores agrorum, verbum *nocturnum* delevit, ut & diurni comprehensi intelligerentur. 3. Cetera juris canonici statuta confirmavit, & 4. aliud addidit statutum, quo declarat, non gaudere immunitate reos læsæ majestatis in persona ipsius Principis. Denique Institutionem claudit ea recensendo, quæ a Summis Pontificibus Bened. XIII. & Clemente XII. decreta sunt, & superius retulimus, nonnullas addens declarationes ab ipsis factas, videlicet violantes ecclesiasticam immunitatem non gaudere jure asyli non solum in illa Ecclesia, quam violarunt, sed nec in alia quacumque. Similiter unicam grassationem in via publica aut vicinali admissam sufficere ad hoc, ut quis publicus latro & grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors vel mutilatio secuta fuerit. Hæc sunt a sapientissimo Pontifice vel statuta vel declarata, quæ doctrinam omnem de asylo & immunitate Templorum complectuntur.

Consectarium Decimumquintum.

XV. Sacrilegium committit non solum qui in Ecclesia eas profanas exercet actiones, quæ ab Ecclesia vetitæ sunt in reverentiam loci, sed etiam quicumque scelus aliquod faltem externum perpetrat. Quodcumque enim peccatum sanctitati loci repugnat, & propriæ institutioni, nimirum ut inibi Deus colatur. Magnam siquidem præsefert irreverentiam ac indecentiam, ut in loco ad Deum placandum instituto Deus offendatur, & peccata multiplicentur, ubi sunt per pœnitentiam delenda. Et revera si actus profanus alias per se licitus, ut emptio, venditio, nundinæ &c. loci sanctitatem violant, quanto magis actus de se malus & lege divina vetitus loci sanctitatem violabit, p oin le sacrilegii labe inficietur? Dixi violari loci sanctitatem saltem per actus externos: quia plerique Theologi spectantes sanctitatem loci tamquam illi omnino externam, nonnisi actu externo violari contendunt. Eapropter plerique etiam ex nobilioribus Theologis tamquam axioma statuunt, actibus mere internis loci sanctitatem non violari. Verum non est hoc axioma adeo certum existimandum; cum sanctitas loci, licet mere externa, id certe præstet, ut locus ille sit Dei cultui & venerationi destinatus, in quo Deum venerari debeamus non minus externis actibus, quam præcipue internis; qui itaque Deum offendit etiam actibus mere internis in loco ad ejus honorem destinato, peculiarem illi injuriam irrogat, proinde loci sanctitatem violare, & sic sacrilegium non effugere videtur.

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Ut quis sacrilegii crimen incurrat in indigna tractatione rerum sacrarum, necesse non est, ut habeat directam voluntatem, & intentionem eas inhonorandi, vel contemnendi; hoc enim proprium solum est hæreticorum & infidelium & semper est lethale peccatum, nullam admittens materiæ parvitatem; sed sufficit indirecta & virtualis, sita in ipsa indigna tractatione rei sacræ; & hæc parvitatem materiæ admittere potest: ut si quis ex incuria Imaginem aliquam sacram perire sinat.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. Sacrilegium est res sacras adhibere ad usum profanum, puta sacris vasis ad profanum convivium, vestibus sacris ad spectaculum profanum uti. Nam, ut manifeste patet, hæc esset violatio rei sacræ, & magnam erga Deum, in cujus honorem illa in-

Bitu-

stituta sunt & dedicata, injuriam continent. Non desunt tamen Theologi, qui hanc doctrinam ad ea coarctant sacra, quæ benedictione aliqua consecrantur; unde inferunt, sacrilegium non esse ad profanos usus adhibere candelabra, tapetes, manutergium, ampullas, pelvim, & similia; sed improbabiliter omnino; nam S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3. inter res Deo dicatas & sacras enumerat *ea, quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & Ministrorum*, & postea nulla facta distinctione definit. *Quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit*. Præterea in Jure Canonico statuitur cap. 3. de Consecrat. ex Decreto Clementis Papæ: *Altaris palla, candelabra, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, male tractari*. Et revera, nonne pius quilibet commoveri se sentit, si videat tapetes, serica, candelabra, & similia profanis usibus adhiberi?

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Res sacras violant, & sacrilegii crimine polluuntur, qui Sacris Scripturæ verbis ad satyras, ad profanas cantiones, ad libellos famosos, & ad quoslibet profanos usus abutuntur. Sic declaravit, & statuit Tridentina Synodus sess. 4. *Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur & torquentur verba & sententiæ Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet fabulosa, vana, adulationes, detractiones .... mandat & præcipit ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cetero quispiam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc & similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines temeratores & violatores verbi Dei juris & arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur*. Hinc jure meritoque etiam benigniores Theologi a lethali sacrilegio non excusant, qui in more habent Sacræ Scripturæ verba ad sensus turpes, maledicos, scurriles, ineptos detorquere, cum gravem irrogent injuriam divinis verbis & Evangelio.

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM.

XIX. Sacrilegium committunt Pictores qui Sanctarum Imagines, puta S. Mariæ Magdalenæ, vel aliarum indecore, & meretricia nuditate depingunt, cum harum visio non ad devotionem provocet, sed ad libidinem accendat, & pravas excitet cogitationes, sicut & qui ad innocentiæ tempus designandum Adamum & Evam nudos in terrestri Paradiso repræsentant, quæ profecto Imagines a sacris Templis sunt omnino removendæ, cum scandalum fidelibus offerant & offensionem. Sacrilegium etiam reale est rapere, destruere, & retinere bona Ecclesiæ, sicut & pia legata supprimere Ecclesiæ jura fraudando, cum D. Thomas loc. sæpius laud. inter res sacras enumeret etiam ea *quæ sunt deputata ad Ministrorum sustentationem, sive mobilia sint, sive immobilia*.

CONSECTARIUM VIGESIMUM.

XX. Etiam peccato omissionis sacrilegium junctum esse potest. Hinc sacrilegii rei efficiuntur Sacristæ, aliique Ecclesiarum Ministri, si ob negligentiam sacramentales species innovandi, eas sinunt corrumpi; si sacra Chrismata, & Eucharistiam debita diligentia custodire negligant juxta sacrorum canonum decreta; si ad Altaris Sacrificium corporalia, purificatoria, & sacra vasa non munda, & intus deaurata ministrent, sed sordida, fœda, & lurida adhibeant. Omissio tamen recipiendi Eucharistiam in Paschate, & annuæ Confessionis sacrilegium non est, sed sola præceptorum Ecclesiæ violatio, sicut & omissio auditionis Missæ in die festo, cum

nulla

nulla in hisce rebus sacris irrogetur injuria. Similiter sacrilegium non est, bona per testamentum Ecclesiæ relicta retinere; hoc enim licet injustitiæ peccatum sit, irreverentiam tamen non continet, quia antequam in Ecclesiæ transeant possessionem, non censentur sacra. Eademque ratione decimas non solvere proprie sacrilegium non est, licet cum injustitiæ peccato conjuncta sit etiam quædam erga Deum irreverentia & irreligiositas, quippe quia decimarum solutio ad supremi divini dominii recognitionem sit ordinata.

CONSECTARIUM VIGESIMUMPRIMUM.

XXI. In Confessione aperiendum est & objectum sacrum, quod violatur, & actio, qua violatur, cum eo gravius sit sacrilegium, quo res, quæ violatur, magis est sacra, & quo actio, per quam violatur, turpior est, & etiam quia per ordinem ad diversam sanctitatem speciem mutant. Sic gravius sacrilegium est indigne personam sacram tractare, quam locum sacrum, & qui sacramenta, vel Imagines Dei, & Christi, vel lignum Crucis inhonorant, in Religionem peccant, quæ Deum respicit; qui vero Reliquias, vel Imagines Sanctorum inhonorant, Duliæ aut Hyperduliæ adversantur. Sic gravius sacrilegium perpetrat, qui in Ecclesia fornicatur, quam qui in ea furatur.

CAPUT III.

DE SIMONIA.

Simoniæ notio, definitio, & divisio traditur. Varia pretii genera enumerantur & explicantur.

DOCTRINA.

I. *Simoniæ nomen & definitio.*
II. *Triplex rei spiritualis genus juxta D. Th.*
III. *Quænam dicantur spiritualibus adnexa.*
IV. *Simonia alia juris divini, alia juris tantum ecclesiastici.*
V. *Quæ distinctio est admittenda.*
VI. *Simoniæ divisio in mentalem, realem, conventionalem, & confidentiæ.*
VII. *Quid pretii nomine in Simonia veniat.*
VIII. *Quid sit munus a lingua.*
IX. *Quid munus ab obsequio.*
X. *Quid munus a manu.*
XI. *Gravissimum est Simoniæ scelus.*

I. NOMEN Simoniæ (scribit D. Th. 2. 2. q. 100. art. 1.) *a Simone Mago acceptum est, de quo legitur Act. 8. quod obtulit Apostolis pecuniam ad spiritualem potestatem emendam, ut scilicet quibuscumque manum imponeret, reciperent Spiritum Sanctum.* Definitur autem ab eodem Angelico ibidem

Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid Spirituale, vel spirituali adnexum.

Dicitur primo *studiosa voluntas*, quia hoc crimen prava voluntate patratur, & in ipsa voluntate sicut in subjecto recipitur. *Justitia enim* [scribit S. Th.] *& omnes ejus partes, & per consequens omnia vitia opposita, sunt in voluntate sicut in subjecto*: vel quia aliquando etiam sola voluntate patratur absque ullo exteriori pacto, unde consurgit Simonia mentalis. Additur autem *studiosa*, ad designandam electionem, *quæ principaliter pertinet ad virtutem, & vitium*, ut subdit ibidem D. A. Subditur *emendi*, *vel vendendi*, nomine autem *emptionis & venditionis*, scribit D. T. ad 5., *intelligitur omnis contractus non gratuitus, unde nec mutatio præbendarum, vel ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo Simoniæ, sicut nec transactio, ut jura determinant.* Postrema demque verba materiam designant Simoniæ, nimirum ut exponit S. Th. ad 6. *quæ vel sunt spi-*

spiritualia secundum se ipsa, sicut sacramenta, & alia hujusmodi, quæ a Deo auctore supernaturali proficiscuntur, *vel quæ talibus adhærent*, ut omnia quæ ad Deum æternæ aurem salutis diriguntur.

II. Triplex autem genus rei spiritualis distinguit S. Th. nimirum 1. illa, quæ in se omnino spiritualia sunt, ut gratia sanctificans, dona Spiritus Sancti, gratiæ item gratis datæ, & similia. 2. Illa, quæ ad gratiam conferendam sunt ordinata, cujusmodi sunt Sacramenta, quæ licet per aliquid corporale efficiantur, *dicuntur* tamen, inquit S. Th. art. 3. *spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam*. 3. Illa, *quæ dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedunt*, ut sunt dispensatio, in votis, & juramentis, omnes actus spiritualis jurisdictionis, & similia, *vel ad illam disponunt*, ut sunt preces fundere, divina Officia in choro celebrare, defunctos tradere sepulturæ.

III. *Spiritualibus autem adnexum* (subdit D. Th. art. 4.) *dupliciter aliquid esse potest. Uno modo sicut ex spiritualibus dependens. Sicut habere Beneficia ecclesiastica dicitur spiritualibus adnexum, quia non competit nisi habenti officium clericale ..... Quædam autem sunt adnexa spiritualibus inquantum ad spiritualia ordinantur, sicut jus patronatus, quod ordinatur ad præsentandum clericum ad ecclesiastica beneficia, & vasa sacra, quæ ordinantur ad sacramentorum usum*. In qua duplici classe omnia comprehenduntur, quæ cum spiritualibus rebus aliquo junguntur modo, sive quia spirituale præsupponunt, ut obligatio ad Officium divinum, quæ vel ordinationem vel Beneficium præsupponit, vel comitantur, ut labor adnexus Sacramentorum administrationi, vel consequuntur, ut sunt ecclesiasticæ dignitates, jurisdictio, jus percipiendi decimas &c. quæ supponunt statum religiosum & sacrum, vel sacros Ordines.

IV. Simonia alia est juris divini, alia juris mere ecclesiastici. Prior locum habet in venditione rerum, quæ in se vel spirituales sunt & sacræ, vel spiritualibus adnexæ, cujusmodi sunt Sacramenta, Ordines, jurisdictio spiritualis, & similia, quæ pretio æstimabilia non sunt; & hæc Simonia prohibetur, quia in se mala est. Altera vero in Beneficiorum permutationibus, & resignationibus locum obtinet, quæ vel fieri fortasse possunt positis quibusdam pactis, vel conditionibus de se non malis, sed ab Ecclesia vetitis, vel quia nihil in illis temporale datur, ut cum ipsa permutantur Beneficia, vel res spiritualis datur pro alia spirituali, quæ tamen a canonibus merito prohibentur; & hæc est Simonia, quæ mala dicitur, quia prohibita.

V. Verum quidem est, hanc simoniacam distinctionem fuisse veteribus Conciliis, Patribus, Pontificibus, & Theologis ignotam; unde nec in S. Thoma invenire est hujusce distinctionis vestigium; ejus tamen meminit S. Raymundus in Sum. lib. 1. tit. 1. scribens: *Quædam sunt simoniaca, quia prohibita, scilicet per constitutionem Ecclesiæ tantum*. Est tamen merito admittenda, quippe quia Ecclesia jure quædam prohibere potest intuitu Religionis, quæ licet de se mala non sunt, mala tamen fiunt causa prohibitionis, & sic malitiam contrahunt illi virtuti oppositam, ad quam præceptum ordinatur, sicut qui ad Communionem accedit non jejunus, peccat non quia sit de se malum sumpto cibo communicare, cum primis Ecclesiæ seculis liceret, sed quia interdictum est ab Ecclesia, & peccat quidem non solo inobedientiæ peccato transgrediendo præceptum Ecclesiæ, sed pec-

cato

ca.o facrilegii, quia jejunium illud est ab Ecclesia inductum in reverentiam Sacramenti, & ad Religionis virtutem pertinet. Ita licet Ecclesia efficere nequeat, ut illud, quod de se spirituale non est, fiat spirituale, vel quæ venditio non est, fiat venditio, potest tamen quædam etiam non sacra, & non spiritualia ad rem sacram & spiritualem ordinare, & quasdam permutationes vel cessiones prohibere intuitu Religionis, & tunc ejus violatio Religioni adversabitur, & injuriam inferet rei sacræ, ut patet ex adducto jejunii exemplo. Hinc Simonia juris ecclesiastici est præter permutationem, & resignationem Beneficiorum, etiam aliquorum Officiorum temporalium Ecclesiæ venditio, cujusmodi sunt Procuratoris, Sacristæ, Vicedomini, Advocati, ut patet in Cap. *Si quis Episcopus* 1. q. 1. Cap. *Salvator* 1. q. 3. Vel si lubet dicere cum Gersonio tract. de Simonia consid. 1. *Plane nulla est proprie Simonia, nisi quia probibita jure divino, ubi scilicet convenit contractus iste rerum spiritualium pro re commensurabili numisma e do si des, vel do ut des. Nihilominus appponitur in aliquibus contractibus non de se simoniacis pœna Simoniæ, ubi verum est quod hoc dicitur simoniacum, quia lege humana probibitum.*

VI. Dividitur etiam Simonia in mentalem, realem, conventionalem, & confidentialem. Mentalis contrahitur Simonia solo animo & mente, nullo interposito pacto sive tacito sive aperto, quod dupliciter contingere potest, nimirum 1. quando quis animo statuit Simoniam committere. 2. Cum aliquod temporale largitur prava intentione aliquid spirituale obtinendi per illud tamquam per pretium. Conventionalis vero Simonia committitur, quando vel expresso vel tacito, vel formali vel virtuali pacto aliquid temporale promittitur, vel donatur pro re spirituali, licet conventio non fit vel executioni demandata ex utraque parte, vel saltem ex altera. Realis vero utrumque complectitur, nimirum & conventionem & pacti impletionem, quando ex una parte spirituale datum est, & altera temporale solutum. Confidentialis vero est conventio sive tacita, sive expressa, ut qui Beneficium obtinet ab alio, illud idem postea in aliam transferat personam, aut Beneficii fructus ab alio percipi conveniat. Sed de hac suo loco.

VII. Tria rationem pretii obtinere possunt in Simonia, quia tria sunt bonorum temporalium supremа genera, quæ pro spiritualibus dari possunt, unde consurgit munus a lingua, munus ab obsequio, munus a manu. Audiatur D. Th. in IV. dist. 25. q. 3. art. 3. *Bonum temporale, quod potest aliquis ab alio expectare, vel est ex parte animæ, sicut amicitia, vel favor alicujus; & quantum ad hoc est* munus a lingua: *vel ex parte corporis, sicut aliquis actus corporaliter exercitus, & quantum ad hoc est* munus ab obsequio: *vel est aliquid exteriorum bonorum, & sic est* munus a manu, *quia consistit in exterioribus bonis. Quantum ad primum committitur Simonia per munus a lingua, quia lingua opinionem exprimit, & gratiam conceptam; quantum ad secundum per munus ab obsequio; quantum ad tertium per munus a manu.*

VIII. Munus a lingua sic exponit S. Th. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. " Munus a lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad „ favorem humanum, qui sub pretio cadit, „ vel etiam preces, ex quibus acquiritur „ favor humanus, vel contrarium evitatur. „ Et ideo si aliquis principaliter ad hoc „ intendit, Simoniam committit. Videtur „ autem ad hoc principaliter intendere qui „ preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si au-

„ tem

„ tem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum, quia „ subest debita causa, ex qua illi, pro „ quo preces porriguntur, spirituale aliquid „ conferatur. Tamen potest esse Simonia „ in intentione, si non attendatur ad „ dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat, „ ut obtineat curam animarum, ex ipsa „ præsumptione redditur indignus; & sic „ preces sunt pro indigno. Licite tamen „ potest aliquis, si sit indigens, pro se „ Beneficium ecclesiasticum petere sine cura „ animarum." Hoc simoniacum munus detestantur etiam antiquiores Patres, unde D. Jo. Chrysost. hom. 3. in Acta Apostolorum scribit: *Cogita quid acciderit Simoni, quid enim refert si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris.*

IX. De munere autem ab obsequio sic docet S. D. loc. laud. art. 5. *Manifestum est, quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari: unde & pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est, quod aliquis dat rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data, vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset. Similiter etiam quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideo sicut contrahitur Simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem (quod pertinet ad munus a manu); ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obsequio.* Et hocce muneris genus detestatur S. Petrus Damiani Ep. 2. lib. 2. dicens: *Nequaquam sibi innocentiam spondeant, & a Simoniæ hæreseos maculis se mundos esse confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipiendis honoribus subjectionis & obsequii quasi talenta persolvunt.*

X. Denique per munus a manu designatur pecunia, seu quidquid pecunia æstimabile sit, sive ager, sive domus, sive vestis, vel vasa argentea, vel aurea & his similia omnia. Et in hoc muneris genere etsi exiguum aliquid & tenue detur, Simonia committitur quotiescumque datur & exigitur pro re spirituali vel danda vel obtinenda, eum etiam in exiguo pretio vera contineatur simoniæ essentia, quæ in eo consistit, ut temporale pro spirituali donetur. Hinc Alex. III. ut habetur in Cap. *Ex tuæ fraternitatis* Extra. De Simonia, de clerico, qui sex tantum obulos Archidiacono dederat, ut eum ad Ordines præsentaret, statuit: *Tibi sic duximus respondendum, ut si hoc non est publicum, sed secretum, eumdem sacerdotem secreto convenias, monens sine ulla coactione, & inducens, ut Ordinem alicujus Religionis assumat, & perpetuo ab Officio abstineat, quod illicite acquisivit.*

XI Gravissimum esse Simoniæ scelus ostendit D. Thom. ex triplici capite scribens 2. 2. q. 100. a. 1. *Actus aliquis est malus ex genere, eo quod cadit super materiam indebitam. Emptionis autem, & venditionis est materia indebita res spiritualis triplici ratione. Primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari .... Secundo quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus ... Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator.... Tertio quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt unde est dominus dicit Matth.10.8.*Gratis accepistis, gratis date. Immo Patres contra hocce crimen vehementissime declamant, unde scribit Tharasius Patriarcha, ut refertur in Jure Canonico Can. *Eos* causa 1. q. 1. *Tolerabilior est Macedonii, & eorum, qui circa ipsum sunt, Sancti Spiritus impugnatorum*

torum impia hæresis, quam Simoniacorum. Illi enim creaturam ac servum Dei Patris, & Filii Spiritum Sanctum delirando fatentur. Isti vero eumdem Spiritum Sanctum efficiunt servum suum. Omnis enim Dominus quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid eorum, quæ possidet. Quod profecto de Simonia juris divini principaliter verum manifeste apparet.

CAPUT IV.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Cur Simonia dicatur hæresis.*

II. *Quomodo intercedere possit simonia etiam eo ignorante, qui Beneficium obtinet, & ad quid teneatur.*

III. *Qui ficte simoniam committit, vere est simoniacus.*

IV. *Simoniam committit, qui Patronum, vel Episcopum rogat, ut suæ petitionis intuitu Beneficium vel Ordines conferat.*

V. *Simoniæ rei sunt, qui Beneficium conferunt, ut alterius gratiam & favorem aucupentur.*

VI. *Vel ut aliquod temporale malum evitent.*

VII. *Qui Principi vel Magnati, vel etiam Episcopo inservit in temporalibus, ut Beneficium obtineat.*

VIII. *Immo nec licet in spiritualibus Episcopo ministrare ad Beneficium obtinendum.*

IX. *Quando Simoniæ mentalis rei sint Canonici, qui choro intersunt, vel Sacerdotes Missam celebrantes.*

X. *Non semper qui Beneficia conferunt intuitu consanguinitatis vel affinitatis, Simoniam committunt.*

XI. *Non perpetrant Simoniam, qui ad aliquod bonum opus faciendum temporali utilitate alliciunt.*

Consectarium Primum.

I. LICET Simonia in jure canonico frequenter hæresis simoniaca appelletur, non est tamen in intellectu collocanda, sed in voluntate, a qua proficiscitur, & in qua consummatur. Dicitur itaque hæresis, ut optime notat D. Th. hic q. 100. a. 1. ad 1. tum quia in Novo Testamento a Simone Mago & Hæretico exordium sumpsit, tum quia *hæresis apparet secundum exteriorem protestationem, quia in hoc quod illa vendit donum Spiritus Sancti, quodammodo protestatur se esse dominum spiritualis doni, quod est hæreticum.*

Consectarium Secundum.

II. Quandoque etiam sine propria voluntate quis potest simoniace Beneficium obtinere, ut si alius, Beneficiario penitus ignorante, det pecuniam, vel aliquid pretio æstimabile, ut illi Beneficium conferatur: tunc vero vel Beneficio renuntiare debet, vel petere dispensationem, & quidem, ut observat & docet D. Th. hic ar. 6. ad 3. non in pœnam alicujus criminis, quod ille nequaquam patravit, sed quia *quod aliquis privetur eo quod accepit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ; puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui non potest vendere .... & ideo si eo nec volente, nec sciente per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret ordinis executione, & tenetur resignare Beneficium, quod est consecutus.* Cui tamen doctrinæ hanc apponit idem D. A. exceptionem: *Nisi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit; tunc enim non tenetur ad renuntiandum.* Quod multo magis verum est de illo, qui ignorantia invincibili excusante materialiter tantum Simoniam committeret; ad renuntiandum.

dum Beneficio teneretur, quia ex simoniaca possessione jus nullum acquiritur, sicut nec ille, qui materialiter tantum usuras committeret, posset sibi lucrum retinere, sed restituere teneretur.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Qui Simoniam simulat, idest pollicetur temporale pro spirituali, vel vicissim sine animo tamen implendi & standi promissis, non solum gravissime peccat, & simoniæ alterius cooperatur, sed & ipse est vere coram Deo simoniacus. Et primo quidem hunc graviter peccare ratione fraudis & mendacii, & quia externum opus simoniacum perficeret, omnes ad unum consentiunt Theologi, qui præterea simoniæ ab altero perpetratæ, ei cooperando sua pollicitatione reum agnoscunt. At num in se revera simoniacus sit, disputant; negant non pauci, hunc formalem & veram simoniam committere, ut Salmanticenses de Simonia n. 19. nec non Escobarius, Moya, Valentia, Ledesma, qui sibi adhærere censent Cajetanum, & Lessium, aliosque plures. Verum longe probabilior est illorum opinio, qui verum simoniacum arbitrantur: nam juxta S. Th. hic q. 100. art. 2. ad 5. vere simoniacus est, qui *pecunia sibi viam parat ad rem spiritualem obtinendam*: porro hic sua ficta pecuniæ promissione vere sibi viam parat ad obtinendam rem spiritualem; ergo vere est simoniacus. Nec valet quod promissio ficta sit, nam apud alium omnino idem valet, ac si vera esset, reputatur enim ab illo non falsa, sed vera, & eumdem omnino præstat effectum, ac si vera esset. Præterea illa promissio [nisi esset de re mala & vetita] vere obligaret, & vim haberet ad inducendum onus solutionis; ergo eumdem sortitur in communi æstimatione valorem, ac si vera esset; veram igitur continet simoniam. Reponunt Salmanticenses, nunquam Simoniam perpetrare, qui animum non habet commutandi; at qui ficte promittit, tantum abest ut, habeat animum commutandi, quin porius in corde statuit nolle quid dare pro spirituali. Ita quidem, sed dolo malo alium fallendo, at interim vera exterior intervenit promissio dandi temporale pro spirituali, quæ in commutationem influit, & ipsam parit simoniacam commutationem: ergo perversa interior fallendi voluntas pravitatem non tollit perversi contractus sed auget: nec in nostra est voluntate efficere, ut opus de se & ex natura sua pravum & perversum tale non sit, licet ejus perversitatem & malitiam nolle testemur, & animo statuamus. Sic qui sacerdotem occidit, verberat, mutilat, sacrilegium committit, licet intus in animo protestetur, se illum occidere, verberare, mutilare non qua sacerdos est, sed qua hostis & nocens. Ulterius iniquus iste & dolosus Mercator ex duplici sua iniquitate, nimirum perverso exteriori contractu, & dolosa interiori voluntate maximum lucrum reportaret, nimirum Beneficium retinere posset, utpote juxta adversarios sine Simonia obtentum, & præterea pretium tuta conscientia denegare, quippe quod non solum est ob rem malam, sed etiam quia ficte illud pollicitus est. Quod profecto est viam sternere fraudibus ac simoniacis conventionibus. Proinde eam opinionem omnino falsam reputant merito Turnelius de simonia cap. 3. Boranga de Virt. Relig. cap. 7. §. 20, aliique, & novissime Concina.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Simoniam perpetrant per munus a lingua, qui Collatorem vel Patronum rogant, ut suæ petitionis intuitu Beneficium, vel Ordines conferat. Ita aperte S. Th. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3. docens: *Munus a lingua dicitur*

dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus aquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, Simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum, quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid confератur. Tamen potest esse Simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus; & sic preces sunt pro indigno. Licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se Beneficium ecclesiasticum petere sine cura animarum.

Consectarium Quintum.

V. Rei sunt Simoniæ Collatores & Patroni, qui Beneficium alicui conferunt, ut gratiam, amicitiam, favorem alicujus Magnatis, Matronæ, vel alterius personæ sibi concilient. Ita S. Thom. qui loco mox citato observat, Simoniæ reum esse, qui Beneficium etiam digno, vel digniori confert, sed non ad dignitatem accipientis respiciens, sed ad favorem alicujus sibi captandum. *Potest esse Simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum.*

Consectarium Sextum.

VI. Rei sunt Simoniæ, qui alium ad Beneficium vel eligunt, vel præsentant timentes aliter sibi aliquod malum infligendum. Ratio est, quia mali, quod timetur, vitatio & fuga est quid pretio æstimabile. Quare optime docet S. Thom. in IV. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 4. *Si principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad divinum judicium Simoniam committunt & rogans, & rogatus, si hoc intendat sive aliquis pro se roget, sive pro alio.* Hinc Simoniæ rei sunt, qui spirituale quid concedunt precibus Magnatis alicujus, ne ejus incurrant odium, & indignationem; qui filio Ducis alicujus Cohortis Beneficium confert, ne suis agris, vel possessionibus damnum inferat, vel aliud malum a se avertat.

Consectarium Septimum.

VII. Qui alicui Magnati, Principi, vel Nobili Viro inservit, obsequitur, ministrat, ut ad Beneficia promoveatur, reus est Simoniæ per munus ab obsequio. Ita aperte docet S. Thom. l. super. cit. qui etiam docet, Clericos Episcopo inservientes in spiritualibus & ad Ecclesiæ utilitatem, si ob hoc ad Beneficia promoveantur, Simoniæ reos nequaquam habendos, secus vero si in temporalibus serviant. Sic itaque scribit ad 1. *Si aliquis Clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum, & ad spiritualia ordinatum (puta ad Ecclesiæ utilitatem, vel ministrorum ejus auxilium) ex ipsa devotione obsequii redditur dignus ecclesiastico Beneficio, sicut & propter alia bona opera. Unde non intelligitur esse munus ab obsequio. Si vero sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum (puta quia servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi) erit munus ab obsequio; & est simoniacum.* Hinc Episcopi, ceterique Ecclesiæ Prælati præ oculis habeant S. Caroli salutare monitum in suo I. Mediolan. Concilio, titulo *quæ pertinent ad collationem Beneficiorum*, ubi sic docet: *Ut omnis ad Simoniam aditus præcludatur, monemus, & obtestamur Episcopos, aliosque, quibus est jus conferendi Beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti*

destituti, Beneficia ecclesiastica tamquam sui operis & laboris præmia præcipue sibi proponant . . . . Fraudari tamen Ecclesias nolumus probatorum hominum ministerio, si qui sint in eorum familia, quorum doctrinæ & pietati utiliter sacrum munus committi possit.

Consectarium Octavum.

VIII. Non licet Clerico Episcopo inservire etiam in spiritualibus ea præcipue mente & intentione, ut ei Beneficium conferatur. Licet enim hic nulla sit Simonia, quia nihil temporale datur propter spirituale, perversio tamen ordinis habetur: *Qui enim evangelizat* [inquit S. Bernardus de *vita & moribus Clericorum* cap. 5.] *ut manducet, perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur.* Et revera Clericus iste vel speras & pro spiritualibus operibus expectat Beneficium cum cura animarum, vel sine cura. Si Beneficium expectat curatum, jam illo indignum se ostendit, ut docet S. Thom. hic q. 100. a. 5. ad 2. *Si aliquis pro se roget, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus*, quæ præsumptio profecto jam invenitur in illo, qui pro se rogat, quam in illo qui pro se expetit., hoc solo interveniente discrimine, quod in illo patens sit precibus; in isto occulta serpit in animo. Si vero Beneficium non curatum expectet, jam manifeste ostendit se in illo reditus, victum, & sustentationem expetere, & si perverso ordine evangelizet ut vivat, non vivit ut evangelizet.

Consectarium Nonum.

IX. Mentalis Simoniæ rei sunt tum Canonici, qui ob distributiones & reditus principaliter in choro assistunt, sicut & Sacerdotes, qui principaliter pro stipendio sive eleemosyna Missam celebrant, qui certe alias Sacrificium non offerrent, vel choro non interessent. Primum aperte docet D. Thom. quodl. 8. a. 11. scribens: *Celebrare divinum Officium in Ecclesia est actus spiritualis . . . . qui competit alicui ex eo quod est Clericus ... & ideo si distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, Simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum; distributiones autem respicit secundario non quasi in finem, sed sicut id, quod est necessarium ad sui sustentationem . . . & ita Simoniam non committit, nec peccat.* Et in Glossa super 1. cap. de Cler. non resid. in 6. dicitur: *Canonici interessentes horis principaliter pro denario peccant graviter, & committunt mentalem Simoniam: sed per pœnitentiam satisfaciunt.* De Sacerdote vero celebrante principaliter ob eleemosynam sic docet D. Thom. opusc. 19. de Officio Sacerd. art. unico: *Non potest Sacerdos illa intentione celebrare, vel officiare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter, licet non sit Simonia*, quæ postrema verba Simoniam realem excludunt, non mentalem. Nam in IV. sent. dist. 25. q. 3. a. 2. ad. 4. aperte docet, *facere pactionem de Missa celebranda est simoniacum semper: si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentationem vitæ.*

Consectarium Decimum.

X. Qui Beneficia conferunt titulo consanguinitatis vel affinitatis, simoniam per se non perpetrant. Superius cum de Beneficiis disputavimus, jam ostendimus, quando peccent & etiam gravissime qui solo titulo affinitatis vel consanguinitatis Beneficia conferunt. Hic addimus, quod licet fortasse gravissime peccent, & justitiam violent, non sunt tamen proprie & per se inter simoniacos reputandi, ut aperte docet D. Thom. hic

hic q. 100. art. 5. ad 2. scribens : *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur; unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur simonia*. Dixi proprie & per se, quia fieri potest etiam ut committatur Simonia, nimirum, si, ut statim subdit ibidem Angelicus, *det Beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta Simonia*.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Simoniæ rei non sunt Parentes, Magistri, & Tutores, qui munuscula offerunt filiis, discipulis, pupillis, ut Sacramenta frequentent, pias preces quotidie persolvant, Missæ intersint, & similia. Similiter nec vir, qui hæreticæ, vel infideli mulieri matrimonium polliceretur, si ad Ecclesiam catholicam, vel ad fidem christianam veniant, vel dotem spondet virgini, si Monasterium ingredi eligat, & similia, quia hæc sunt ex parte offerentis gratuitæ elargitiones, vel eleemosynæ; ex parte vero acceptantis nullam inducunt obligationem, nec nisi earum quæritur spiritualis utilitas. Cavendum tamen semper, ne aliquod onus vel obligatio illis donationes accipientibus imponatur, nec ullum temporale commodum ipsi donanti vel promittenti obveniat, cujus gratia illa donantur.

CAPUT V.

De materia simoniæ realis in iis, quæ sunt juris divini, ac de simoniaci pretii solutione.

DOCTRINA.

I. *Materia Simoniæ sunt res pure spirituales.*

II. *Et ipsa Sacramentorum administratio, non vero illorum materia.*

III. *Labor corporalis ad rem spiritualem necessarius est Simoniæ materia.*

IV. *Doctrina S. Thomæ de venditione rerum, quæ sunt spiritualibus adnexæ.*

V. *Nihil temporale accipi potest pro debito & onere exercendi spiritualia.*

VI. *Nec pro actibus jurisdictionis.*

VII. *Pro sacris Ordinibus aliquid largiri Simonia est.*

VIII. *Propter lucrum Verbum Dei prædicare simonia est.*

IX. *Artes liberales & Theologiam docere aliquando licet sine Simonia.*

X. *Pro Matrimonio, cum contractus sit, aliquid dare licet.*

XI. *In sepultura & funeribus defunctorum nihil ex pacto recipi potest sine Simoniæ labe.*

XII. *Et ipsa Beneficia vendere Simonia est juris divini.*

XIII. *Pretium simoniacum dicitur quidquid temporale datur ad aliquid spirituale obtinendum.*

XIV. *Licet non ut pretium detur, sed ut motivum, vel titulo gratitudinis. Propositiones damnatæ.*

XV. *Nec excusatur a Simonia, si dat ob aliquem honestum finem, expectans tamen rei spiritualis consecutionem.*

XVI. *Quando a largitione gratuita Simoniæ suspicio possit abesse.*

XVII. *Simonia committitur, cum temporalia dantur Mediatoribus, Intercessoribus, Ministris, famulis &c.*

XVIII. *Mutuum est connumerandum inter simoniaca munera.*

I. SUPERIUS Simoniam in eam distinximus, quæ juris divini est, & prohibita quia mala, & in eam, quæ juris ecclesiastici, & mala quia prohibita. Nunc ea sunt

sunt sigillatim perpendenda, quæ ad jus divinum pertinent. Et primo quidem res etiam pure spirituales, uti sunt gratia sanctificans, gratiæ gratis datæ, virtutes infusæ, characteres Sacramentorum esse posse materiam Simoniæ docet, & ostendit S. Thom. laud. q. 100. a. 2. ubi subdit: " Quod accipere pecuniam pro spirituali Sacramentorum gratia, est vitium Simoniæ. " Et art. 1. ad 4. dicit, quod " Simon Magus ad hoc emere voluit gratiam spiritualem, ut eam postea venderet. " Et de Giezi Elisæi discipulo dicit, accepisse pecuniam a lepraso mundato, quasi illi venderet sanitatem miraculo collatam.

II. Materia Simoniæ est ipsa Sacramentorum administratio; hinc quidquam temporale dare vel accipere ut pretium pro illorum administratione Simonia est, ut docet D. Thom. art. 2. " Dicendum, quod Sacramenta novæ legis sunt maxime spiritualia, inquantum sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest; & ejus rationi repugnat quod non gratuito detur. " Materia vero Sacramentorum, cujusmodi sunt panis, vinum, aqua, oleum, balsamum &c. vendere nulla est Simonia, quia, ut patet, hæ res sunt mere corporales, & contractuum materiam constituere possunt, dummodo tamen non vendantur in ipsa Sacramenti ministratione.

III. Labor ipse corporalis, qui necessario est eorum administrationi connexus, est materia Simoniæ, & pro illo nihil temporale omnino accipi potest. Ratio est, quia hujusmodi labor est pars necessaria ipsius spiritualis actionis, sine qua nec ipsa spiritualis actio esse potest, unde unum morale esse constituit cum ipsa actione; quare agens censeretur merito & ipsam spiritualem actionem vendere; sic optime in jure canonico dicitur Cap. *Si quis objecerit* 1. quæst. 1. *Quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. Et D. Th. hic art. 3. docet: " Si aliquid acciperet pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas .... sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ usum. " At si labor extrinsecus omnino sit rei spirituali, ut longum iter ad celebrandum, licet aliquid dare pro illo, vel accipere, dummodo tamen absit omnis mercimonii species. Notandum tamen hoc non licere illis, qui ex officio hæc spiritualia etiam cum magno labore conjuncta præstare tenentur, ut docet S. Thom. a. 3. ad 3. " Ille, cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad usum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispensatione, & etiam pro sua sustentatione statuta stipendia habet ex reditibus Ecclesiæ; & ideo si aliquid acciperet pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito suscepti officii debet impendere, sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ usum. "

IV. Pro venditione vel permutatione rerum, quæ sunt cum spiritualibus adnexæ, præ oculis est habenda D. Th. doctrina, qua docet, quod si res temporalis omnino a spirituali dependeat, non licet nec temporale vendere, quia & spirituale vendi censeretur, sicut diximus de labore adnexo administrationi Sacramentorum, & de reditibus temporalibus adnexis Beneficio. At contra si temporale sic quid principale, spirituale vero accessorium, ut contingit in calice consecrato, vel in jure patronatus, tunc & calicis materiam vendere licet, & fundum, cui est juspatronatus adnexum, dommodo tamen nihil temporale detur vel accipiatur pro ipsa consecratione, vel pro ipso jure. Sic itaque scribit D. Th. art. 4. *Dicendum, quod aliquid potest esse annexum spiritualibus dupliciter. Uno modo sicut ex:*

ex spiritualibus dependens; sicut habere Beneficia ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium clericale: unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus. Et propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici. Quædam autem sunt annexa spiritualibus, inquantum ad spiritualia ordinantur; sicut juspatronatus, quod ordinatur ad præsentandum clericos ad Ecclesiastica beneficia; & vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum: unde hujusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt. Et ideo aliquo modo vendi possunt, non autem inquantum sunt spiritualibus annexa. Et confirmat in IV. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 3. ad 1.

V. Pro debito, & obligatione exercendi spiritualia sine Simonia nihil aut dari aut accipi potest, ut perperam docent nonnulli Casuistæ putantes, hoc onus sive debitum ab ipso distingui exercitio & administratione spiritualium. Nam cum hoc onus & obligatio sit Beneficio, Parœciæ, Episcopatui, curæ animarum adnexum, sicut nihil pro illis absque Simonia dari potest, ideo nec pro ipso onere ab ipso inseparabili. Debentur quidem istis necessaria pro sustentatione, quæ petere & accipere jure possunt, at pro ipso onere nihil omnino possunt exigere. Ita sentiunt Suarez, & ex benignioribus Casuistis etiam Palaus.

VI. Nihil dari, vel accipi potest pro actibus jurisdictionis spiritualis, non solum pertinentibus ad forum conscientiæ, ut absolutio peccatorum, sed etiam ad forum externum, ut dispensatio in votis, ab irregularitate, absolutio a censuris, & similia, cum hujusmodi actus, ut docet S. Th. art. 3. ad 3. sint spirituales tum ex parte causæ efficientis, quæ est ecclesiastica potestas, tum ex parte finis, cum ordinentur ad salutem animarum, tum denique quandoque ex parte etiam effectus, ut contingit in absolutione a peccatis, vel a censuris, vel ab irregularitate, in quibus spiritualis producitur effectus, nimirum gratia sanctificans, vel aptitudo ad Ordines, & ecclesiasticas functiones. Pecunia vero, quæ solvitur in Romana Curia pro dispensationibus ad Matrimonium contrahendum, vel ad alia obtinenda privilegia, ut optime monet Juvenius sive Auctor Theologiæ Moralis Tom. 5. de Simonia cap. 6. §. 4. non dantur nec ut pretium, nec ut motivum concessæ dispensationis, sed ut commutatio oneris in aliud opus pium, vel mulcta pecuniaria, qua difficiliores reddantur hujusmodi dispensationes, & canonum observantia servetur & promoveatur.

VII. Pro sacris Ordinationibus nihil omnino recipere vel dare licet absque Simonia. Ita statuit Tridentinum Concilium sess. 21. de Reform. cap. 1. *Nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis Tonsuræ, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam pro Litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec sponte oblatum Episcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu accipiant. Notarii vero . . . . . decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum.*

VIII. Propter lucrum verbum Dei prædicare Simonia est. Ita docet aperte D. Thom. hic art. 3. ad 2. scribens: *Prædicantium temporalia debentur ad sustentationem prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde super illud 1. ad Timoth. 5.* Qui bene præsunt Presbyteri &c. *dicit Glossa, necessitatis est accipere unde vivitur, caritatis est præbere: Non tamen venale est Evangelium, ut pro his prædicetur: Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio.*

IX. Artes liberales, vel etiam Theologiam pro pretio docere simoniacum non est, nisi sit

sit onus alicui Beneficio annexum. Ita S. Thom. hic art. 3. ad 3. *Qui habet scientiam, & non suscepit cum hoc officium, ex quo obligetur aliis usum scientiæ impendere, licite potest pretium suæ doctrinæ, vel consilii accipere, non quasi veritatem, aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans. Si autem ex officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipsam vendere veritatem: unde graviter peccaret: sicut patet in illis, qui instituuntur in aliquibus Ecclesiis ad docendum clericos Ecclesiæ, & alios pauperes, pro quo ab Ecclesia Beneficium recipiunt, a quibus non licet eis aliquid recipere.*

X. In contrahendo Matrimonio aliquid date non est simoniacum. Quia, ut optime observat D. Th. ut est officium naturæ, sive civilis contractus, dotem & alia pacisci nec simoniacum est, nec illicitum; verum ut est sacramentum aliquid dare vel petere, simoniacum est; propterea nihil licet exigere pro nuptiarum benedictione. Audiatur D. Th. hic art. 2. ad 6. *Dicendum est, quod Matrimonium non solum est Ecclesiæ sacramentum, sed etiam naturæ officium. Et ideo dare pecuniam pro Matrimonio, inquantum est naturæ officium, licitum est: inquantum vero est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum. Et ideo secundum jura* (cap. *Cum in Ecclesia* de Simonia) *prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur.*

XI. In sepultura & funeribus defunctorum nihil ex pacto recipi potest sine Simoniæ labe, præter id, quod laudabili consuetudine ad Ministrorum sustentationem constitutum est. Ita statuit Innoc. III. in cap. *Apostolicum* Extra de Simonia dicens: *Quidam Clerici pro exequiis mortuorum pecuniam exigunt, & extorquent ... & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt; quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari, statuentes ut per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* Et D. Th. art. 3. ad 2. sic docet: *Aliqua temporalia dantur in celebratione ecclesiastici officii, vel pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. Et eo etiam tenore pro processionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemosynæ recipiuntur. Si autem hujusmodi pacto intervenienti fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, simoniacum esset. Unde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicujus, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem: quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur: quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet speciem exactionis; secunda autem habet speciem gratuitæ recompensationis.* Sed iterum inferius sermo redibit cap. 9. n. 8.

XII. Et ipsa Beneficia quatenus jus important ad ecclesiastica munia exercenda ordinatum pro pretio dare Simonia est juris divini, cum sub hoc aspectu nonnisi quid omnino spirituale præseferant, ut patet; sed etiam est ejusdem juris Simonia ea vendere, quatenus jus important ad aliqua temporalia emolumenta, ut manifeste patet ex D. Th. doctrina superius allata n. 4 ubi expresse docet, quod *hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus, & propter hoc ea nullo modo vendere licet, quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici*, juxta regulam juris, *qui horum alterum vendit, sine quo alterum non provenit, nihil invenditum relinquit.* Ita docent nobiliores Theologi, & etiam benigniores Cajetanus, Sotus, Ledesma, Victoria, Sanchez, Palaus, Azorius, Lay-

man-

man cum pluribus aliis.

XIII. Pretium vero simoniacum dicitur quidquid temporale datur ad aliquid spirituale obtinendum, sive illud ut pretium detur, sive ut motivum, sive titulo gratuitæ compensationis. Et primo quidem simoniacum esse date aliquid temporale ob spirituale nullus est qui ambiget, immo ut optime advertit D. Bonaventura in 4. dist. 4. art. 1. " Ille, qui emit ac vendit " spiritualia, aut credit ea pro pretio posse " æstimari, & valore rei terrenæ æquati, " & pro pecunia possideri; & hæc est hæ" resis manifesta. Aut ille, qui vendit & " emit, non credit quod gratia Dei per pe" cuniam comparetur, sed tamen ardens " avaritia nititur aliquid assequi vel impe" trare per pecuniam, quod ad humanam " spectat dispensationem; & sic non est " peccatum fidei, sed morum, quia talis " peroptime novit, & male facit, & sic " simoniacus est avarus, & in pessima spe" cie avaritiæ, nec est proprie hæreticus. "

XIV. Quod vero Simonia sit, cum aliquid temporale pro spirituali datur, licet non ut pretium, sed ut motivum, vel titulo gratitudinis, dubitare non sinunt propositiones ab Alex. VII. & ab Innoc. XI. damnatæ, quarum prima, quæ. n. 22. signatur, inquiebat: *Non est contra justitiam Beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens ea Beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illa pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*: & 2. n. 45. ajebat: *Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra*: & 46. sic dicebat: *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis*.

XV. Nec a Simonia excusari arbitror, qui pecuniam, vel aliquid temporale præstat non tanquam motivum obtinendi immediate rem spiritualem, sed ob alium honestum finem, expectans tamen rei spiritualis consecutionem. Nam & in hacce hypothesi adhuc temporale datur *ut motivum* obtinendi spirituale, quod est tanquam simoniacum reprobatum in propositione damnata. Præterea S. Th. aperte docet 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5 *Simoniam esse per pecuniam sibi parare viam ad rem spiritualem obtinendam*. Porro qui pecunia, vel quid temporale etiam honesto motivo immediate sibi constituto, adhuc tamen indirecte, & mediate sibi viam ad spiritualis rei consecutionem parat, nec honestas finis immediati & proximi tollit turpitudinem, & simoniacam labem finis secundarii, & indirecti; sicut pater in illo, qui puellæ virgini vere indigenti eleemosynam elargitur, ut ejus necessitati subveniat, vel præceptum eleemosynæ impleat, spe tamen intus in animo concepta ejus amorem simul conciliandi, & ad turpia pertrahendi; hic enim secundarius perversus finis, licet indirecte intentus, jam opus bonum inficit, pravumque reddit. Hinc optime scribit Innoc. III. in epist. ad Archiepiscopum Cantuariensem: *In tantum peccatis exigentibus corda quorumdam simoniaca pravitas depravavit, ut in exterminium canonicæ sanctionis, & in elusionem quodammodo divini judicii, lucris turpibus inhiantes, ac dicentes in corde suo* non est Deus *simoniam sub* HONESTO NOMINE *palliant, quasi mutato nomine culpa transferatur in pœnam. Verum* nec Deus *secundum Apostolum irridetur, nec tales Simoniæ sectatores, etsi temporalem in præsenti forsan evadant, in futuro pœnam non effugiunt sempiternam, cum nec* honestas

honeftas nominis ma itiam palliabit, nec vox poterit abolere reatum. Porro quia non perfpiciat, Sanctiffimum Pontificem quodcumque etiam verbo honeftiffimum motivum excludere dandi fpirituale pro temporali, vel viciffim ne Simonia pallietur? Honeftiffima porro funt nomina gratitudinis, amicitiæ, urbanitatis; at ifta vocabula & voces, ut inquit Innocentius, Simoniæ non poffunt abolere reatum. At inquiunt, qui oppofitum fuftinent, benigniores Theologi, prohibentur igitur actus virtutis, cujufmodi funt gratitudo, gratuita donatio, benevolentia? Utique prohibentur, & prava fiunt non quidem abfolute & in fe, fed refpective & in tali occafione, qua indirectum fecum afferunt finem obtinendi fpirituale, eo ferme pacto, quo eleemofynam dare nemo vetitum dicet, at eam tribuere puellæ indigenti, ut ab egeftate liberata benefactorem diligat, & ejus pravæ confentiat cupiditati, jam pravum efficitur, inhoneftum, criminofum. Id manifefte apparet in Giezi, qui a Naamano pecuniam, & veftes accepit, non ut pretium redditæ miraculo fanitatis, fed gratuitæ compenfationis, quæ fponte obtulerat Elifæo, & rejecta ab eo fuerant, & tamen tanquam fimoniacus fuit a Magiftro damnatus, & horribili lepra punitus. Non licebit igitur, urgent, nec ftipendium dare Sacerdoti, ut Miffam pro te celebret, nec Canonicis diftributiones largiri, ut divina Officia in choro perfolvant, nam licet titulo fuftentationis dentur, indirecte tamen aliquid fpirituale obtineri quifque intendit. Minime gentium. Nam & Sacerdotes & Canonici ex officio & munere ordinati funt ad fpiritualia præftanda, ob quæ fuftentationem accipere poffunt; qui ergo fuftentationem illis tribuunt, ab eis fpiritualia accipiunt, & de fpiritualibus bonis participant. At in eo, de quo difputamus, negotio non de fuftentatione agitur, fed de munere & dono alias non debito, fed gratis, titulo amicitiæ, gratitudinis, benevolentiæ collato, eo fine implicito, ut fpirituale obtineatur Beneficium. Quantum autem abhorruerit femper Ecclefia a quacumque gratuita donatione, collata occafione Beneficii obtinendi oftendit S. Synodus Tridentina, dum feff. 24. cap. 18. de Reform. expreffe indicit Examinatoribus Epifcoporum: *Caveant, ne quid prorfus occafione hujus examinis, nec ante, nec poft accipiant, alioquin Simoniæ vitium tam ipfi, quam alii dantes incurrunt, a qua abfolvi nequeunt, nifi dimiffis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia inhabiles in pofterum reddantur*.

XVI. Non negaverim tamen omnem abeffe poffe Simoniam, quando qui Beneficium eft confecutus ejufque poffeffionem adeptus, aliquid Collatori largiatur gratitudinis gratia, dummodo tamen 1. nec ullum five expreffum five implicitum pactum, nec ulla intentio five voluntas tum in conferente, tum in accipiente aliquid temporale etiam titulo gratitudinis dandum, vel accipiendum præcefferit; 2. ut in tali temporalis oblatione & dono quatuor illa fpectentur, quæ bene perpendenda proponit Alexander III. in epift. ad Archiepifcopum Arigonienfem, cui difplicebat a fratre fuo donatum fuiffe equum Legato Apoftolico, qui fuæ electionis Præfes fuerat illique Pallium attulerat, nimirum perfonæ dantis, accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Hæc enim clare indicabunt, num sub donationis titulo lateat Simonia. Nam fi qui Beneficium confert, perfonam quærat divitem, liberalem, munificam, profecto hic oftendit fe in tali collatione temporale quærere emolumentum, quare licet de gratitudine non pacifcatur, in ea tamen fe fperare

satis ostendit. Similiter si qui donum offert, talis sit conditionis, qui collatori nunquam vel quid donaverit vel etiam donare potuerit, quia vel pauper est, vel infimæ sortis respectu collatoris, manifeste patebit, donum illud non gratitudinem præferre, sed accepti Beneficii mercedem & pretium. Pari pacto si munus sit pingue, generosum, & aptum ad flectendum animum collatoris, hoc profecto indicium est non præcise dari ad gratitudinem ostendendam, sed in Beneficii pretium, si vero tenue sit & leve, præsumi poterit argumentum esse grati animi: quare idem Alex. III. In Extravag. de Simonia cap. *Etsi quæstiones* dicit: *Non tamen interpreteri consuevit Ecclesia Romana in his* [exiguis muneribus] accipientem delinquere vel donantem. Præ oculis tamen semper est habenda etiam in hisce munusculis D. Th. doctrina in IV. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 1. scribentis: *Dicendum, quod Ecclesia judicium est quantum ad exteriora: & quia non est probabile, quod animus judicis spiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere, ideo in parvis muneribus judici datis non judicat Simoniam committi. Sed apud Deum, qui cor videt, Simonia est & in parvis, & in magnis muneribus, si animus judicis ex eis flectitur.* Denique & donationis tempus est attendendum; si enim donum detur vel cum urget electio, vel statim post electionem, suspicio non vana consurget donationis non mere gratuitæ & liberalis, sed quæ implicitam continet dantis utilitatem. Hisce omnibus attente inspectis prudens Confessarius dignoscere probe poterit, num sub cortice & fuco gratuitæ donationis saltem mentalis lateat Simoniæ virus.

XVII. Simonia etiam committitur, cum munera temporalia dantur mediatoribus, intercessoribus, ministris, famulis, aliisque personis, ut precibus, verbis, officiis Beneficium alicui impetrent, cum per hujusmodi (juxta D. Thomæ semper præ oculis habendum justissimum effatum) *sibi viam paret ad spiritualia obtinenda.* Excusant benigniores Theologi hasce donationes obtentu laboris, industriæ, & incommodi, benevolentiæ captandæ, facilis aditus ad Collatorem, & similibus. Verum hæc sunt somniæ nimium brevia palliola, quæ coram Deo nihil prorsus valebunt, præsertim cum hujusmodi munera non labori, non industriæ respondent, sed vel opulentiæ Beneficii, vel difficultati superandæ in ejus assecutione.

XVIII. Inter simoniaca munera est connumerandum etiam mutuum, non solum cum ex conventione alter rem confert spiritualem, ut mutuum accipiat, & alter mutuum dat, ut Beneficium consequatur; hæc enim, ut omnes fatentur Theologi, aperta est Simonia; sed etiam quando mutuum datur spe, animo, voluntate quid spirituale obtinendi, & pari pacto eum quis spirituale confert animo, spe, & voluntate, ut vel ab exigenda mutuata pecunia cesset, vel saltem redditionem non urgeat & tardet; semper enim verum est, illum pecunia *sibi viam parare* ad spiritualia, vel per spirituale sibi viam sternere ad temporalia metenda. Improbabilis proinde habenda est sententia Sanchezii, & Dianæ, qui putant conditionem tradendi mutui non esse simoniacam, cum mutuatio sit quid per se pure gratuitum: nam ideo est illicitum, quia quod gratuitum est ea conditione vel expressa vel tacita, vel in pactum deducta, vel animo concepta jam sit onerosum, & quid temporale confertur ad spirituale obtinendum.

CA-

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Non licet pecuniam dare pro Sacramentorum administratione. Quid in casu infantis in mortis articulo constituti.*

II. *Nec in solemni Baptismo aliquid exigere a Parentibus vel Patrinis.*

III. *Nec in Confirmatione, vel pro ipso chrismate.*

IV. *A Missæ celebratione pactio qualibet & quæstus est alienandus.*

V. *In Sacramento Pænitentiæ Simoniam perpetrat, qui absolutionem impartitur spe temporalis emolumenti.*

VI. *Nec pro Extrema Unctione aliquid licet recipere sine Simonia.*

VII. *In sacris Ordinationibus aliquid temporale dare, vel recipere vetitum est.*

VIII. *Quid in Matrimonio dari possit, vel recipi.*

IX. *Quodnam turpe lucrum in Concionatoribus.*

X. *Quandoque etiam in omissione Simonia committitur.*

XI. *Dare pecuniam etiam pauperibus distribuendam ad obtinendum Beneficium, vel Officium spirituale simoniacum est.*

XII. *Simoniacum est etiam gratis dare, vel accipere temporale ea mente vel conventione, ut alter gratis det, vel accipiat spirituale.*

XIII. *Simonia pretium lucratur, qui spirituale confert, ut inde utilitas aliqua temporalis vel sibi vel familiæ suæ obveniat.*

XIV. *Temporalia, quæ Ministris ad eorum sustentationem conferuntur, ut ab eis spiritualia subsidia ministrentur, Simoniæ pretium non constituunt.*

XV. *Simoniacum pretium non est aliquid temporale gratis offerre ad alterius spirituale bonum promovendum.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. NON licet absque Simoniæ crimine pro administratione Baptismi, alteriusque Sacramenti aliquid temporale dare, adeo ut potius sit Sacramenti susceptio omittenda, quam simoniace recipere. Patet manifeste hujusce positionis veritas ex ipsa natura Simoniæ, quæ cum de se jure divino vetita, & in se mala, nunquam tali est utendum medio ad Sacramenta suscipienda, & cessat quodcumque aliud præceptum sive divinum, sive ecclesiasticum suscipiendi Sacramenta, quotiescumque ea non nisi simoniace possint obtineri. Hinc non licet adulto Baptismum recipere, nec in extrema necessitate a Sacerdote, qui nollet illum ministrare nisi persoluto pretio. Ita aperte D. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. in resp. ad 1. *Si esset adultus, qui baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari; quod si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potius absque baptismo decedere: suppleretur enim ei ex baptismo flaminis, quod ei ex sacramento deesset.* Nec licet puerum morientem Sacerdoti offerre, ut illud baptizet, si sacrum munus sine pretio præstare recuset, & tunc perinde ac si non adesset Sacerdos, potest etiam laicus & fœmina illum baptizare, & ordo præstitutus ab Ecclesia in Baptismo ex necessitate administrando, ut si adsit Sacerdos, nullus alius inferioris conditionis ministret, cederet necessitati, & esset prætermittendus potius quam Simonia perpetranda. Ita pariter S. Th. *Dicendum, quod in casu necessitatis quilibet potest baptizare. Et quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum, si Sacerdos*

cerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset qui baptizaret. Unde ille, qui gerit curam pueri, in tali casu licite potest eum baptizare. At quid si talis urgeat necessitas, ut qui puerum offert baptizandum sit mutus, & baptizare non valeat, nec alius adsit qui baptizet, licebit ne tunc pecuniam dare simoniaco Sacerdoti, ne infans in æternum pereat? De hoc extremo necessitatis casu ex professo non agit D. A., solum subindicare videtur aliquibus Theologis, dum in eodem articulo dicit, licere *tunc aquam a Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale*; immo & in 4. sent. addit licere & aquam sanctificatam emere, quia *si sit sanctificata, non operatur ad baptismum de necessitate ejus existens quasi sanctificata, sed quasi aqua, & ideo non emit aquam sanctificatam, sed aquam*. Dein subdit: Quidam vero dicunt, quod potest *pretium dare, quia hoc non est Simoniam committere, sed redimere vexationem suam*. Sed primum *melius videtur*. Ex quibus postremis verbis nonnulli etiam Thomistæ inferre videntur D. Thomæ eam fuisse mentem, sinendum esse potius infantem mori, quam simoniace illi baptismum obtinere. Et revera subdunt, hic locum non habet vexationis redemptio, quippe quæ locum non habet nisi in illo, qui vel a possessione rei, quam obtinet, deturbatur, vel positive impeditur, ne possessionem sibi jure debitam consequatur. At neutrum, inquiunt, hic locum habet, nam nec Infans est in possessione Baptismi, nec Sacerdos renuens ipsum a perceptione impedit, sed mere negative se habet baptismum non conferendo, integramque finit parvulo facultatem recipiendi baptismum a quocumque volente conferre. Ita sentiunt Alex. Alens. par. 3. quæst. 167. memb. 3. a. 1. Paludanus in 4. sent. dist. 5. q. 3. a. 3. Sylvest. V. *Simonia* quæst. 8. v. 8. & S. Antonin. Sum. T. 2. par. 2. tit. 1. cap. 5. §. 16. ubi sic habet: *Si est parvulus, in tali casu ipse offerens, vel quicumque alius potest ipsum baptizare, & debet, uti si esset puer in periculo mortis. Sed etsi vel nesciret, vel non posset alius baptizare, nisi talis Sacerdos, debet potius dimittere puerum sine baptismo mori, quam pecuniam dare Sacerdoti pro hujusmodi: non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona*; & citat D. Th. 2. 2. sed minus accurate, cum certe inibi urgentem hunc casum non tangat. Alii ex opposito sustinent licere pecuniam dare Sacerdoti illi simoniaco, quia in tali casu vera est vexatio, vera Injustitia, quippe quia summum & extremum alteri damnum infert, quod ipse avertere stricto jure tenetur, ut contingeret in illo, qui pauperi in extrema fame constituto panem cibumve negaret; licet enim hæc denegatio nihil positivi contra pauperem afferat, & adhuc supersit in paupere facultas cibum recipiendi ab alio si adesset, foret tamen vera causa ejus mortis, cujus ille reus evaderet, atque de illo merito dici posset, *si non pavisti, occidisti*. Nec dissentit S. Th. in sent. loc. cit. cum dicit, *Sed primum melius est*, nam illud primum, quod *melius* vocat, non est permissio mortis Infantis sine Baptismo, sed est collatio Baptismi ab ipso offerente, licet sit inferioris gradus, nec Sacerdos, sed laicus, vel fœmina. Et ita sentiunt Panormitanus in Cap. *Cum in Eccles.* Extra. de Simonia. Cajetanus 2. 2. q. 100. art. 1. Dom. Soto lib. 9. de just. quæst. 6. ad 1. Gabriel in 4. dist. 5. art. 2. concl. 2. & plures alii, & novissime Juveninus sive Auctor Theologiæ Moralis T. 5. tract. de Simonia cap. 6. inter 6. cujus tamen ratio minus mihi valida videtur, Ideo enim pecuniam dare licitum arbitratur, quia cum utraque sententia sit æque probabilis, tunc debet quisque tutiorem partem sequi; porro tutior est illa, quæ saluti prospicit infantis, non quæ illum perire finit. In qua ratiocinatione doctissimum

mum auctorem hallucinari vereor, nam tutior quidem est sententia respectu infantis, at non respectu operantis, qui dando pecuniam se exponit periculo peccandi, & quidem lethaliter, posita veritate prioris sententiæ, quæ simoniacum statuit esse, pecuniam dare etiam in urgenti illa necessitate. Ejus igitur decisioni libens subscribo, at non rationi; ideoque licitum arbitror dare eo casu pecuniam, quia mihi longe probabilior videtur sententia, quæ & veram vexationem in eo casu agnoscit, & ad eam unice redimendam pecuniam persolvi posse contendit.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Non licet sine Simonia aliquid exigere in solemni baptismo a baptizati parentibus, vel patrinis. Ita statuit Gelasius epist. ad Episcopos Lucaniæ scribens: *Baptizandis, consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant, nec illationibus quibusdam impositis exagitare cupiant renascentes, quoniam quod gratis accipimus, gratis dare mandamus, & ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur.* Et Innoc. II. in Concilio Lateranensi II. can. 2. jubet: *In Baptismo nec sub obtentu alicujus consuetudinis ante vel post a quoquam aliquid exigatur.* Ideo juremerito S. Carolus Borromæus 1. Mediolanensi Concilio statuit: *Detestabilem consuetudinem baptizatos infantes in Altari collocandi, ut muneribus compatrum inde redimantur, Episcopi severius vendicabunt.* Et in can. *Emendari*, qui est 48. Illiberitani Concilii, & habetur causa 1. quæst. 1. dicitur: *Emendari placuit, ut hi, qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos quod gratis accepit pretio distrahere videatur.* In Rituali tamen Romano hæc habentur: *Si quid vero nomine eleemosynæ, aut devotionis studio, peracto jam sacramento, a fidelibus SPONTE offeratur, id licite pro consuetudine locorum Minister accipere poterit.* Quod & prius concessum fuerat in Concilio Bracharensi can. 7. *Placuit, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis, si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent quod offerant, nullum ei pignus violenter tollatur a Clericis.*

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Nec pro Confirmatione conferenda licet aliquid exigere, id enim & simoniacum esset, cum Confirmatio sit res omnino spiritualis, & a Gelasio Pontifice sit omnino statutum, ut superius notavimus: *Baptizandis, consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant.* Immo & pro ipso chrismate aliquid peti vetuit Innoc. III. in Extr. de Simonia cap. *In tantum* scribens: *Pervenit ad audientiam nostram, quod cum olim quidam suffraganei tui pro chrismate certam consueverint accipere pecuniæ quantitatem, non metuentes pœnam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ solutionis anticipant, recipientes in media quadragesima quod recipere consueverunt post Pascha, & ut causam recipiendi dissimulent, nomen denariorum variant, denarios, quos prius chrismales, secundo Paschales dicebant, consuetudinem mediæ quadragesimæ nuncupantes .... mandamus quatenus tales excessus corrigas, supradictos suffraganeos tuos, & officiales eorum a tam illicita exactione compescas.* Ubi tamen consuetudo est, ut ad Confirmationem accedentes candelam afferant Episcopo offerendam, non videtur damnanda, dummodo nec a Confirmante exigatur, nec eam non offerentem a chrismatione repellat.

CON-

CONSETCARIUM QUARTUM.

IV. A Missæ celebratione pactio quælibet & quæstus est eliminandus, cum fere semper simoniaca labe sit infectus. Ita statuit Tridentinum Concilium sess. 22. ubi monet Episcopos, ut *in primis quoad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedem, conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant*. Et D. Th. in IV. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 1. ad 4. docet: *Facere pactionem de Missa celebranda est simoniacum semper: si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios [sicut conducti Sacerdotes faciunt] non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ*: & 2. 2. q. 100. art. 2. ad 2. *Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ [hoc enim esset simoniacum] sed quasi stipendium suæ sustentationis*. Et rursus in IV. l. mox cit. ad 1. *Anniversarium celebrare est spiritualis actus ex parte agentis, hinc nullo modo pacisci licet pro eo celebrando. Si tamen cum devotione aliquid detur Ecclesiæ, Ecclesia tenetur celebrare pro illis, pro quibus rogatur*. Hinc a turpi quæstu & Simonia non longe absunt, qui Missas celebrant, ut eleemosynam accipiant, qua si carerent, non celebrarent. *Non potest* (inquit S. Th. opusc. de Officio Sacerdotis) *Sacerdos illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter*; nam manifeste ostenderet principale motivum celebrationis esse lucrum temporale. Quod multo verius est de Sacerdote in lethali existente, vel plures Missas celebrante, qui profecto non nisi turpe lucrum sectatur, & de quo merito dicit Cardinalis Pullus part. 7. cap. 17. *Quid est Missarum solemnia intuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere tanto nequius, quanto resurgendo est sublimatus?* Qui proinde præter sacrilegia quæ perpetrat, & de simonia ac turpi quæstu est redarguendus. Temporale quoque emolumentum quærere ostendunt Sacerdotes, qui in propriis Ecclesiis congruas jam obtinentes eleemosynas ad alias convolant Ecclesias, ubi largius stipendium & abundantior tribuitur eleemosyna sive alicujus Anniversarii, sive solemnitatis causa. Similiter & lucrum sectari indicant Sacerdotes, qui post ebrietates vel alia scelera perpetrata, etiam ex illis, de quibus inquit Apostolus, *Nec nominentur in vobis*, brevi confessione, ne eleemosynam perdant, ad Altare illico convolant, quorum profecto celebratio quæstus est, non pietas. Superiores quoque Regulares culpa turpis lucris non vacant, qui parum solliciti, num Religiosi sic pie vivant, ut quotidie celebrare digne possint, summa tamen sollicitudine vigilant, ne Missam omittant, ne Sacristia lucrum perdat. Hinc observat Alvarus Pelagius a Van Espen citatus To. 1. pag. 408. col. 2. S. Franciscum *voluisse, ut in quocumque Conventu fratres contenti essent una Missa, præsciens, fratres se velle justificare per Missas, & ad quæstum ea reducere, sicut vidimus hodie fieri*.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. In Sacramento Pœnitentiæ Simoniam perpetrat, qui absolutionem impartitur spe alicujus temporalis emolumenti, & ipsa absolutio ab excommunicatione pretio dari non debet, sed licet reo in favorem pauperum, vel Ecclesiæ mulctam pecuniariam imponere. *Indignum est* [inquit Lucius III. de Simonia cap. *Ad aures*) *& ecclesiasticæ rationi contrarium, ut absolutionis beneficium redimatur*. Turpis lucri cupidos etiam se produnt Confessarii, qui Missarum celebratio-

tione imponunt pœnitentibus, quarum eleemosynas sibi dari vel petunt, vel cupere se ostendunt. Hinc optime docet S. Carolus Borromæus in sua Instruct. part. 2. *Nominatim autem pecunias, vel aliquid hujusmodi pro confessionum audientia non petat, etiamsi occasio se præbeat, ac ne signum quidem vel minimum ejus ostendat, quin potius voce & re ipsa declaret, animum se prorsus abhorrentem a talibus habere. Cum pœnitenti jubebit, ut Missæ Sacrificium faciat uspiam peragi, nec recte, nec oblique significet, quasi velit ipse celebrare, vel in sua Ecclesia, aut Monasterio curare celebrari*. De absolutione vero ab excommunicatione, cum in foro externo datur, sic docet D. Th. hic q. 100. a. 2. ad 3. *Pecunia non exigitur ab eo, qui absolvitur ab excommunicatione, quasi pretium absolutionis (hoc enim esset simoniacum), sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus*.

Consectarium Sextum.

VI. Nec pro Extremæ Unctionis administratione aliquid recipere licet sine Simonia, contraria proinde si qua forte aliquid dandi abolenda consuetudo. Id constat ex decisione Sacræ Congregationis Concilii, quæ in causa Albanensi funerum anni 1721. declaravit, non licere Parochis vas sive discum, super quod vasculum reponebatur olei sancti, sibi retinere, & affert Decretum Innoc. XI. anni 1667. quo statuit, ut Episcopi, Prælati, eorumque Vicarii nullo modo permittant Parochis, Confessariis, aliisque accipere sibi, ac retinere discum, patenam, sive aliud vasculum, in quo vas olei sancti reponunt; hoc enim illicitum est: & similiter in alia causa Tudertina vetuit, ne sudariolum acciperent, quod dari consueverat in administratione sacramenti Extremæ Unctionis.

Consectarium Septimum.

VII. In Sacris Ordinationibus aliquid temporale accipere tum in Jure Canonico, tum a Concilio Tridentino vetitum est. Gregorius VII. Extr. de Simonia cap. *In ordinando* sic statuit: *Pro Ordinatione, vel usu Pallii, seu chartis, atque pastellis eum, qui ordinatur, aliquid dare prohibemus*: & quod de Episcopo statuitur, est intelligendum & de Archidiacono, qui nomine Ecclesiæ ordinandos præsentat, & de Testibus Ordinationi adsistentibus, immo & de Notariis, qui testimoniales litteras conficiunt; subditur enim: *Sicut non debet Episcopus manum, quam imponit, ita nec minister, vel Notarius in ordinatione ejus vocem, vel calamum vendere*. Quod antiquum statutum confirmavit & declaravit Tridentina Synodus sess. 21. de Refor. cap. 1. *Quoniam ab ecclesiastica ordine omnis avaritia suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia qua cumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum Ministri* QUOVIS PRÆTEXTU *accipiant*. De Notariis tamen subdit: *Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint*. Hoc tamen decreto minime interdicitur cerei oblatio, quæ, juxta Pontificale Romanum, est in ordinatione facienda, cujus tamen magnitudo & pondus omnino ab offerentis voluntate statuenda sunt, non ab Ordinante. Unde optime animadvertit D. Th. q. 100. art. 2. ad 4. *Si vero exigantur aliqua quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est Simonia; si tamen desit intentio emendi vel vendendi, sed intentio referatur ad soam con-*

consuetudinis observantiam, & præcipue quando aliquis voluntarie solvit. *In his tamen omnibus solicite cavendum est, quod habet speciem Simoniæ, vel cupiditatis, secundum illud Apostoli 1. ad Thessal. ult.* Ab omni specie mala abstinete vos. Bonacina aliique Theologi excipiunt etiam strophiola, quibus Sacerdotum manus Sacro oleo linitæ vinciuntur, quæ, ut ipsi dicunt, sibi ceremoniarum Magister aliquibus in locis retinere consuevit. Verum Fagnanus affirmat quod *Sacra Congregatio Concilii alias censuit consuetudinem etiam immemorabilem percipiendi ab ordinatis ad primam tonsuram forcipes, pectines, & mappas, præter faculas, pariterque mappas a presbyteris, intelligi perinde ac corruptelam revocatam, nullamque in ea functione oblationem percipi posse præter eam, quam quis dum Sacris Ordinibus initiatur, Pontificali Romano permittente, consuevit offerre*. Quod vero conceditur Notariis pro dimissoriis vel testimonialibus litteris vel juxta legitimam consuetudinem, vel ex Tridentini decreto, nequit ab ipsis augeri, vel ratione dignioris Ordinis qui confertur, vel quia de pluribus susceptis Ordinibus testimonium reddunt, ut nonnulli docent benigniores Theologi.

Consectarium Octavum.

VIII. Tametsi *pecuniam dare*, ut inquit S. Th. *pro matrimonio inquantum est naturæ officium licitum sit, est tamen illicitum* in quantum est Ecclesiæ Sacramentum. Hinc non licet pro nuptiarum benedictione aliquid exigere; quæ tamen ex consuetudine donari solent, recipere jure possunt Parochi. Ita statuit in Conc. Later. Innoc. III., & habetur Extr. de Simonia cap. *Ad Apostolicam*, ubi dicitur. " Quidam Clerici pro benedictionibus nubentium . . . . pecuniam exigunt, " & extorquent . . . . e contra vero quidam " Laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam devotione fidelium introductam ex fermento hæreticæ pravitatis " nituntur infringere . . . . Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari ". Non licet itidem Episcopo vel ejus Vicario pro executione litterarum Apostolicarum, in quibus dispensatio conceditur ab aliquo impedimento, aliquid exigere, id enim expresse prohibetur in ipsis Apostolicis litteris, ubi sic dicitur: *Mandamus quatenus deposita per te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus . . . Volumus autem quod si, spreta monitione nostra, aliquid muneris, aut præmii occasione dictæ dispensationis exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras*. Quam prohibitionem & pœnam licet Navarrus etiam ad Notarium sive Cancellarium pro veritate petitionis dignoscendæ processum conficientem extendat, Sambovius tamen putat, & meo judicio probabilius, illum non comprehendi, tum quia solis Episcopis, & Vicariis aliquid accipere prohibetur, ut declaravit S. Congregatio apud Van-Espen Tom. 1. pag. 703. col. 2. ubi sic scribit: *Refert ibidem Conradus respondisse S. Congregationem*, quod pro dispensationibus matrimonialibus *non liceat Episcopo, seu ejus Vicario quidquam recipere nec ratione sigilli, vel alicujus alterius rei. Quapropter Decretum illud, quod solet poni in litteris dispensationum Matrimonialium, ut nihil muneris, aut præmii sponte oblati accipi possit pro illarum executione, ita intelligendum esse, ut neque Ordinarius ipse, nec Vicarius ejus quidquam pro mercede laboris, quem in ea re susciperent, capere possint*. 2. Quia quod Cancellario persolvitur, non tam munus aut præmium est, quam stipendium laboris, quo privari non debet.

CON-

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Turpis lucri aviditatem ostendunt Concionatores, qui statutum non habentes stipendium, vel illud modicum existimantes eleemosynarum partem sibi concedi postulant, quas postea ut uberiores & abundantiores corrogent, artem omnem, omnemque adhibent industriam, vel chirographum ad Crucifixi pedes appendentes, vel ipsum tamquam Christum stipem petentem inducentes, quem non tenui moneta contentum exaggerant, sed omnem postulantem, quam apud se habent, pecuniam, vel ipsa mulierum aurea ornamenta, non sine piorum stomacho, qui optime norunt hujuscemodi nescio an Rabulas dicam vel Concionatores, non esse de animarum lucro, sed de turpi quæstu sollicitos, & non quærere sustentationem, ut in divino se exerceant officio, sed divinum exercere officium, ut lautiorem obtineant sustentationem. Unde, ut optime animadvertit P. Boranga Tom. 2. tract. de Virt. Relig. cap. 7. §. 23. *Ista detestabilis anxietas lucrandi in sancta prædicatione tanta affecit populos molestia, pietatemque adeo graviter læsit, ut loca fere omnia, quæ jus habent eligendi in suis Ecclesiis Concionatorem, decreverint, ut semper eligeretur ex Ordinibus Mendicantium, qui pecuniis non utuntur, cum exclusione aliorum Ordinum, qui usum habent pecuniæ, ne amplius occasione sacræ Concionis turpe lucrum eorum auribus obstreperet.* Istos proinde Episcopi a sacro deberent arcere ministerio, quippe qui nullum vel tenuissimum spiritualem profectum reportant, & rusticos, mulieres, & rudes, quorum animi inconditis clamoribus & ficta pietate facilius moventur, etiam necessariis spoliant, & nudant. Hujusmodi autem Concionatores sic instruit D. Augustinus de oper. Monach. cap. 26. *Qui propter hoc Evangelium prædicat, ut habeat unde manducet, & unde vestiatur, simul se putat & Deo servire, quia Evangelium prædicat, & Mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat, quod Dominus dicit fieri non posse. At per hoc ille, qui propter ista Evangelium prædicat, non Deo, sed Mammonæ servire convincitur, etsi Deus illo, ad aliorum profectum quo modo ipse nescit, utatur.*

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Quandoque etiam omissione vel Simonia committitur, vel turpis lucri crimen incurritur. Et quidem Simoniam etiam sola omissione committi docet S. Thom. hic a. 3. ad 3. ubi de Prælatis dicit, quod illis *non licet pro quacumque dispensatione aliquid accipere. Nec etiam per hoc quod vices suas committant. Nec etiam per hoc quod subditos suos corrigant, vel a corrigendo desistant.* Et in IV. sent. dist. 25. q. 3. a. 2. q. 11. ad 6. *Correctio est spiritualis actus, unde Simoniam committit, qui pecuniam accipit, ut peccatum, quod tenetur revelare, aut punire, non revelet, nec puniat.* Hinc Simoniæ reus est, qui pecuniam accipit, ne absolutionem vel a peccatis vel ab excommunicatione concedat, vel differat, ut interim postulans ineptus fit ad aliquod officium obtinendum; hujusmodi enim denegatio actum importat potestatis & jurisdictionis spiritualis. Similiter qui pecuniam solveret alteri, ut non obsisteret sibi in alicujus Benefic i, ad quod aspirat, consecutione, quia tali pacto viam sibi pararet ad Beneficium pecunia. Turpis vero lucri rei forent habendi, qui pecuniam acciperent, ne indignum ad Beneficium eligerent, vel Episcopus, vel Parochus, qui ob pecuniam vel ab Ordinatione, vel a suis Ministeriis cessaret, quia quæ ex officio præstare tenetur, injuste omitteret; Simoniæ tamen rei non forent, cum nihil sacri vendant,

dant, sed solum liberos actus suos, quos pro libito sive injuste sive juste possunt omittere.

Consectarium Undecimum.

XI. Pretium simoniacum est, alteri promittere, vel dare pecuniam vel pauperibus distribuendam vel pio loco applicandam, ut ipse danti officium aliquod spirituale vel Beneficium imperret. Ratio est manifesta, quia iste pecunia sibi viam parat, & sternit ad spirituale obtinendum, & pecuniam exhibet, vel largitur, ut spirituale consequatur. Nec urget ratio Salmanticensium, aliorumque nonnullorum Theologorum, qui id licere contendunt, quia pecunia non per modum pretii pro spirituali erogatur, sed gratis datur & titulo eleemosynæ, quandoquidem semper verum est dari pecuniam pro re spirituali assequenda; usus autem, seu distributio hujus pecuniæ extranea omnino est & accidentalis, & Simoniam quidem fuco celat, sed non tollit. Audiatur D. Gregorius epist. 106. lib. 9. in qua illos reprehendit, qui sub *specie pietatis & eleemosynæ colata obumbratione* pro spiritualibus temporalia accipiebant, scribens: *Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur .... nimis ergo declinandum est, fratres charissimi, obtentu eleemosynæ peccata simoniacæ hæreseos perpetrare*. Et Alex. II. can. *Ut nullus* caus. 1. q. 3. statuit: *Nullus cujuscumque gradus Clericus pro Ecclesiæ Beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Ecclesiarum, vel donatariis Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum*.

Consectarium Duodecimum.

XII. Pretium simoniacum est, aliquid etiam gratis dare, vel accipere temporale ea mente, vel etiam conventione, ut alter gratis det, vel accipiat spirituale, alias non daturus, vel accepturus. Nam hisce nominibus gratuitæ donationis, vel gratitudinis Simonia tegitur. Sic Patronus Clerico dicit, te ad Beneficium nominabo, memineris tamen accepti doni, nec mihi, qui te aliis præfero, sis ingratus, Clericus vero Patrono agnum, vitulum largitur, addens, accipe hoc munusculum, quod ultro offero, & si me idoneum censes, ad Beneficium tuæ collationis pro tua in me humanitate nomina; vel si verbis id non exprimant, ratione tamen vel circumstantiæ, vel personæ donantis & accipientis, vel temporis ita animo & mente concipiunt, profecto quis non videt in hisce specietenus gratuitis donationibus latere simoniacum virus? At inquiunt, nonne motivum gratitudinis est motivum virtutis? Qui igitur dat temporale, ut ex mera gratitudine accipiat spirituale, & vicissim qui liberaliter dat spirituale ex mera gratitudine sperans temporale, nullam Simoniam committit, cum non aliam inducat obligationem præter eam, quam ipse naturalis secum affert gratus animus. Doctrina meo judicio hæc est omnibus antiquis Patribus, & Pontificibus, Conciliis omnino ignota, ita enim omnes loquuntur, ut quodcumque temporale quocumque nomine datum a rebus spiritualibus debeat omnino exulare. Canon 30. inter Apostolicos sic habet: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur*. Hæc canonis propositio est in materia doctrinali, proinde, ut Logici docent, æquivalet huic universali: Episcopus, qui per pecunias sive ex pacto oneroso datas, sive ex liberali donatione concessas, sive ex beneficentia, sive ex gratitudine, sive quocumque alio nomine collatas eam obtinuerit dignitatem, dejiciatur. Concilium Toletanum vetavit: *Si quis pro accipienda dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore anathe-*

thematis se noverit opprobrio condemnatum. At præmium dare benefactori & quidem munificentissimo, qui gratis pingue contulit Beneficium, dignitatem, ecclesiasticum honorem, nonne actus est gratitudinis & virtutis? Et tamen Concilium ab anathematis opprobrio hunc donatorem non liberat. Concilium Tolosanum VIII. *Si quis Episcoporum accepta* QUOCUMQUE MODO *pecunia ordinaverit Episcopum, aut quemque alium, qui numeratur inter Clericos, ipse gradus sui subjaceat periculo, Et qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex hujusmodi mercimonio*. Audisti? *Quocumque modo*, sive tanquam motivo, sive titulo gratuitæ compensationis, sive per modum antidotalis obligationis, sive animo excitandi ad virtuosam gratitudinem, sive ad significandum animum gratum, sive *quocumque* alio excogitabili *modo*; quam tu enim vocas gratitudinem, beneficentiam, liberalem largitionem, cum de obtinenda re spirituali agitur, Concilium appellat *mercimonium*. S. Thomas aperte docet Simoniam committere, *qui per pecuniam sibi viam parat ad rem spiritualem obtinendam*; at quis amabo inficiabitur, illum, qui ex liberalitate donat alicui temporale sperans se acepturum ab eo ex gratitudine spirituale, vel vicissim, non sibi parare viam ad spirituale obtinendum? Ideo enim donat, ideo largitur, alias non daturus. Patat utique, reponunt benigniores Theologi, at non medio illicito sed honesto, non vitii sed virtutis actu, alioquin a tota materia beneficiali exulare compellitur virtus gratitudinis. Verum repono, hujus medii honesti, hujusce actus virtutis ignari ne erant Patres, Concilia, S. Th., & Theologi, qui ejus nunquam meminere, qui *quodlibet præmium quocumque modo* datum a re beneficiali extortem maluere? Quid quod? Innoc. XI. 45. propositionem confixit, quæ dicebat: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando per temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, vel e contrario*. In qua propositione quid est amabo, quod vitium redoleat, & non potius virtutis actum præseferat? Nullus in in ea sermo de pacto, de conventione, nihil de pretio, nihil de motivo, sola habetur *compensatio*, & non *qualiscumque*, sed plane *gratuita*; & nihilominus S. moniam in ea gratuita compensatione latentem aperuit, & indigitavit SS. Pontifex. Et revera plane absurdum videtur grati animi virtutem, quam raram admodum in humano convictu agnoscunt omnes, summa sollicitudine curare, ut in materia beneficiali, ubi merito semper suspecta esse debet, sedem teneat, & nullo modo exulet. Hinc Viri Sancti & pii tantum abest, ut ecclesiasticæ dignitates, honores, præpositruras, præsertim annexam habentes animarum curam, sibi collatas loco beneficii, pro quo grati esse deberent, habuerint, quin immo sibi grave onus imponi senserint, & pro virili a se fluducrint arcere, nec nisi vel præcepto coacti, vel divinum formidantes judicium humeros oneri inviti & reluctantes supposuerint.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM

XIII. Simoniæ pretium luctatur, qui spirituale confert, ut inde utilitas aliqua temporalis, vel sibi, vel familiæ suæ obveniat. Ita docet S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. art. 5. ad 7. *Qui dat ratione consanguinitatis præbendam, si intendit aliquod bonum in seipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua; vel quod ipse in consanguineis sit fortior; Simoniam committit, quia aliquid accipere sperat, pro quo spirituale dat* Et 2. 2. q. 100. art. 5 ad 2. subdit: *Si aliquis det Beneficium alicui hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis, provideat*

eff:

manifesta Simonia. In quo duplici D. Aug. testimonio illud animadvertendum propono, S. D. Simoniam agnoscere etiam in sola intentione illius, qui spirituale confert, ut sibi, vel consanguineis aliquid temporalis utilitatis redundet, nec discernit inter intentionem temporalis boni obtinendi, vel tanquam pretium, vel mercedem, vel finem principalem, vel vi gratitudinis, vel antidoralis obligationis, sed quamcumque intentionem temporalis emolumenti excludit, & amovet a spiritualium largitione.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Temporalia, quæ sacris Ministris ad eorum sustentationem conferuntur, ut ab eis spiritualia subsidia ministrentur, Simoniæ pretium non constituunt. Manifesta est hujus propositionis veritas; nam Christus Dominus, qui jussit Apostolis, ut ea, quæ gratis acceperant, gratis darent, docuit tamen dignum esse operarium cibo suo: & Apostolus ad Corinth. 1. cap. 9. v. 11. scribit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Hine optime docet S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. *Quæ per hominum ministerium exhibentur, quos oportet a populo sustentari, cui spiritualia administrant, secundum illud 1. ad Corinth. 9. v. 7.* Quis militat suis stipendiis umquam? ...... Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? *Et ideo vendere quod spirituale est in hujusmodi actibus, aut emere, simoniacum est. Sed accipere, aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, licitum est; ita tamen quod desit intentio emptionis, vel venditionis, & quod ab invitis non exigatur per spiritualium subtractionem, quæ sunt exhibenda: hoc enim haberet quamdam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ, & consuetæ oblationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus, & valentibus solvere, auctoritate Superioris interveniente.* Et in resp. ad 2. *Illi, qui dant eleemosynas pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant, quasi intendentes orationes emere; sed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant ad hoc, quod pro eis gratis & ex caritate orent. Prædicantibus etiam temporalia debentur ad sustentationem prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde sup. er illud 1. ad Timoth. 5.* Qui bene præsunt Præsbyteri &c. *dicit Glossa* Aug. lib. de Pastorib. cap. 2. ad fin. " *Necessitatis* est accipere unde vivitur, " caritatis est præbere: non tamen venale " est Evangelium, ut pro his prædicetur: " si enim sic vendunt, magnam rem vili " vendunt pretio. " *Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione ecclesiastici officii sive pro vivis sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. Et eo etiam tenore pro processionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemosynæ recipiuntur. Si autem hujusmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, simoniacum esset. Unde illicita esset ordinatio, si in aliqua ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicujus, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem: quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi.*

Consectarium Decimumquintum.

XV. Simoniacum pretium non est aliquid temporale gratis offerre ad alterius bonum spirituale promovendum. Nam in Jure Canonico cap. 2. de conditionib. appositis &c. licita & valida pronunciatur libertatis promissio mancipio facta, si Monachorum statum velit amplecti, & in illo perseverare. Et

Et cap. 23. q. 6. conceditur dominis, ut levamen a laboribus servitutis mancipiis polliceantur, si christianam fidem velint amplecti. Hinc nec illicitum nec simoniacum est polliceri aliquod temporale commodum alicui, ut ad Sacramenta accedat. Nec culpandi sunt Domini, qui servos ad sui servitium retinere nolunt, qui vel in Paschate, vel etiam frequentius ad Eucharistiam recusant accedere. Nam in hisce largitionibus nulla imponitur alteri obligatio, sed optio datur, ut quod maluerit eligat, & solum ejus spiritualis promovetur utilitas. Hinc docet S. Th. laud. q. 100. art. 3. ad 4. " Licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad Monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in Monasterio recipiatur: sicut etiam licitum est aliquem e converso provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum; licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu Monasterii. " Et in resp. ad 2. ostendit, quomodo simoniacum non sit eleemosynas dare pauperibus, ut pro dantibus orent, scribens: *Illi, qui dant eleemosynas pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant, quasi intendentes orationes emere; sed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant ad hoc, quod pro eis gratis, & ex caritate orent.*

CAPUT VII.

De Simonia in collatione Beneficiorum & de Confidentia Beneficiali.

DOCTRINA.

I. *Beneficia etiam simplicia ob pretium dare vel recipere Simonia est juris divini.*

II. *Jus patronatus etiam mere laicale absque Simonia pretio mercari non licet.*

III. *Ab ipsa præsentatione ad Beneficia pactio omnis debet exulare.*

IV. *Pro Beneficiorum collatione nihil temporale a Collatoribus recipi potest absque Simonia.*

V. *Simonia est aliquid dare pro immissione in possessionem alicujus Beneficii.*

VI. *Resignatio Beneficii in favorem alterius absque Summi Pontificis venia & concessione simoniaca est.*

VII. *Permutatio quoque Beneficiorum simoniaca est ex Jure Ecclesiastico, si fiat privata auctoritate.*

VIII. *Simonia est redimere pretio justam vexationem.*

IX. *Quando vero simoniacum non sit vexationem injustam redimere.*

X. *Simonia non est pecunia injustam redimere vexationem post acquisitum jus in re spirituali.*

XI. *Simoniacum non est vexationem pretio redimere impedientem adire Beneficii possessionem.*

XII. *Transactiones quando simoniacæ sint habendæ.*

XIII. *Simoniæ fiduciariæ sive confidentiæ beneficialis definitio.*

XIV. *Quot modis Simoniæ fiduciariæ crimen perpetretur.*

I. BENEFICIA etiam simplicia, licet non aliam afferant obligationem præter divini Officii recitationem, ob pretium dare, vel accipere, Simonia est juris divini. Simoniam in tali nundinatione agnoscunt Theologi omnes, & Canonistæ. Nonnulli tamen ex istis solam agnoscunt Simoniam Juris ecclesiastici, non divini; at immerito: nam Canones, omni prorsus distinctione semota inter Beneficia simplicia, & quæ spiritualem jurisdictionem important, illorum nundinatores ejusdem reos Simoniæ constituunt, qua reus declaratus fuit ab Apostolis Simon

Magus,

Magus. In Canone *Si quis* caus. 1. q. 3. statuitur: *Si quis dator, vel acceptor, Dei Ecclesias, vel ecclesiastica Beneficia, quæ præbendas vocant, sub pecuniæ interventu susceperit, sive dando emerit, a Simonis non excluditur perditione*. Et Alexander II. can. *Ex multis* caus. 1. q. 3. inquit: *Sicut per columbarum venditores designantur, quia sacram manuum impositionem vendere conantur; sic per numularios ecclesiastici Beneficii venditores denotantur*. Ubi observandum tunc temporis, cum hæc statuere Pontifices, onus suscipiendi Sacros Ordines non annexum fuisse Beneficiis & præbendis absque cura animarum, cum illud solum quartodecimo seculo impositum fuerit in Concilio Viennensi sub Clemente V. sicut & decretum de quibusdam præbendis non conferendis nisi Clericis in Sacris constitutis editum fuerit in Concil. Trid sess. 24. de Ref. Id etiam evincit ipsa ratio naturalis: nam jus percipiendi fructus est quid spirituale, tum quia ab ecclesiastica provenit potestate, tum quia clericalem tonsuram, quæ de se est quid spirituale, necessario postulat. Propterea optime docet D. Thom. laud. q. 100. art. 4. „ Aliquid potest esse annexum spiritualibus „ dupliciter. Uno modo sicut ex spiritua- „ libus dependens; sicut habere Beneficia „ ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum, „ quia non competit nisi habenti officium „ clericale: unde hujusmodi nullo modo pos- „ sunt esse sine spiritualibus. Et propter „ hoc ea nullo modo vendere licet; quia, „ eis venditis, intelliguntur etiam spirituali „ venditioni subjici." Unde & merito damnata fuit Ab Alex. VII. propositio 22. quæ dicebat: " Non est contra justitiam Bene- „ ficia ecclesiastica non conferre gratis, quia „ collator conferens ea Beneficia ecclesiasti- „ ca, pecunia interveniente, non exigit illa „ pro collatione Beneficii, sed veluti pro „ emolumento temporali, quod sibi con- „ ferre non tenebatur."

II. Juspatronatus etiam mere laicale absque Simonia & quidem probabilius juris divini, pretio mercari non potest, quia ad spiritualia ordinatur, & jus spirituale importat præsentandi ad Beneficia, cujus præsentationis vi, jus præsentatus obtinet ad Beneficia, si alias sit idoneus. Espropter Alex. III. Extr. de jurepatronatus cap. *De jure* statuit: *Mandamus, cum inconveniens sit vendi juspatronatus, quod est spirituali annexum, contractum illum irritum esse decernas*. Et S. Thom. 1. c. docet: " Quædam autem „ annexa sunt spiritualibus inquantum ad „ spiritualia ordinantur, sicut jus patrona- „ tus, quod ordinatur ad præsentandos Cle- „ ricos ad ecclesiastica Beneficia ... ideo ali- „ quo modo vendi possunt, non autem in „ quantum sunt spiritualibus annexa ", nimirum, ut ibid. explicat, quatenus vendi potest fundus realis, cui illud est annexum, unde subdit: " Patronatus per se vendi non „ potest, sed transit cum villa, quæ ven- „ ditur, vel conceditur." Fundus propterea ratione annexi juris patronatus carius vendi non potest quam revera in se valeat. Hinc S. Carolus Borromæus in I. Mediol. Con. statuit: *Episcopi munus erit cavere, ne propter juris patronatus occasionem pluris aliquanto res, cui jus illud annexum est vendatur, aut transferatur. Si qui vero nihilominus ita vendiderint, pœnas contra simoniacos editas incurrant*.

III. Ab ipsa præsentatione ad Beneficia pactio omnis, omnisque conventio exulare debet. Ita definitum fuit in Extra. *de pactis* cap. finali ubi statuitur: *In spiritualibus obtinendis omnis pactio, omnisque conventio cessare debet*. Optime tamen animadvertunt Canonistæ & Theologi, duo pactionum & conventionum genera distingui posse, nimirum alte-

alterum illarum, quæ *jure ipsis Beneficiis insunt*, alterum earum, quæ alienæ prorsus sunt, &, ut ipsi loquuntur, *jure non insunt*. Priorum pactiones licitæ sunt, & omni Simonia carent: sic pacisci potest Patronus, ut Beneficium obtinens resideat fideliter, si residentiam postulet Beneficium, ut jura & possessiones Beneficii conservet, & tueatur, ne ex superfluis Beneficii consanguineos ditet, ut Beneficium, quod jam obtinet & est comparibile, abrenunciet. Hæc enim omnia insunt Beneficio, sive Beneficio congrua sunt & annexa. Et contra vero pacisci sine Simonia non valet, ut præsentatus Beneficium quod obtinet, & abdicare debet, cedat filio, vel Nepoti, vel alteri determinatæ personæ, quod reditus Beneficii partem aliquam ipsi Patrono, vel alteri cedat, vel consentiat pensioni in favorem alterius; hæc enim omnia Beneficio non insunt, sive extranea omnino sunt, & onus imponunt plane simoniacum. Et hæc quæ de præsentatione diximus, locum habent etiam in collatione, institutione, confirmatione Beneficiorum.

IV. Pro Beneficiorum collatione nihil temporale absque Simonia a Collatoribus recipi potest. Ita statuit Basileense Concilium sess. 21. cap. 1. *De cetero nihil penitus ante vel post exigatur ratione litterarum, Bullæ, Sigilli, in Beneficiis, officiisque Ecclesiasticis quibuscumque. Solum scriptoribus, abbreviatoribus, & registratoribus litterarum, seu minutarum pro ipsorum labore competens salarium solvendum*. Quod confirmavit & Tridentina Synodus sess. 13. de Refor cap. 1. cujus decretum in seq. recitabimus, & declaravit Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Congregatio, statuens, Collatoribus nihil dandum, sed solum *posse Notarium, vel Cancellarium aliquid percipere, si nullum sibi salarium sit constitutum. Tuncque congruam tantum sui laboris mercedem, quæ quoad litteras collationis vel institutionis curatarum Ecclesiarum, vel deputationum Vicariorum in illis, unum aureum, & quoad litteras testimoniales decimam auri partem nunquam excedat*.

V. Simonia est aliquid dare, vel accipere pro immissione in possessionem alicujus Beneficii. Ita statuit Trident. Concil. sess. 24. de Refor. cap. 14. ubi sic legitur: *In pluribus Ecclesiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis, & Parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, aut præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesque illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur. Hæc cum sancta Synodus detestatur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus illos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant*.

VI. Resignatio Beneficii in favorem alterius absque Summi Pontificis venia & concessione simoniaca est jure ecclesiastico. Tum quia in tali resignatione habetur conventio & pactum, quæ a canonibus omnino vetantur. S. Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 11. docet: *Renuntiare autem Beneficium, ut detur alteri, est simoniacum quia prohibitum, scilicet ex jure positivo*. Et S. Raym. in Sum. tit. 1. lib. 1. ait: *Quædam sunt simoniaca, quia prohibita, scilicet per constitutionem Ecclesiæ tantum, ut cum quis renuntiat Ecclesiæ illa conditione, vel pacto, ut Nepoti suo detur, vel alteri*. Et in jure canon. cap. 39. *Tua nos* tit. 3. lib. 5. Decret. statuitur:

In spiritualibus omnis pactio, aut conventio cessare debet juxta canonicas sanctiones. Tum quia S. Pius V. in sua Bulla anni 1568. expresse indicit: *Caveant Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes electores & patroni tam Ecclesiastici, quam Laici quicumque sint, ne verbo quidem futuri in hujusmodi Beneficiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat*. Recolantur ea, quæ superius diximus Differt. 3. de Benef. cap. 5. Multoque magis simoniaca erit etiam juris divini si qua interveniat pactio conventio dandi aliquid temporale.

VII. Permutatio quoque Beneficiorum simoniaca est juris Ecclesiastici, si fiat privata auctoritate. Ita enim statuunt & antiquiores canones, & jure canon. ab Urbano III. cap. *Quæsitum* statuitur: *Generaliter itaque teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel annexa spiritualibus labem semper continent Simoniæ*. Vide de Beneficiis loc. mox cit.

VIII. Simonia est redimere pretio vexationem justam, qua quis ab obtinendo Beneficio impeditur. Hoc est de se manifestum; nam hoc pacto sibi per pecuniam viam pararet ad Beneficium, & cum ille jus nullum habeat ad Beneficium, ad quod aspirat, & impeditur, convincitur pretio sibi viam sternere ad illius consecutionem. Hinc non licet pecunia obtinere, ne Prælatus Beneficium auferat ob delictum, ejus privationem promerens, licet jus in illud possideas, cum ob perpetratum delictum jus illud infirmum factum sit, & in discrimen adductum. Pari pacto non licet pecuniam dare, ut quis vel crimen, vel impedimentum non revelet, cujus causa ab obtinendo Beneficio removereris. Similiter si lis oriatur super electione, nominatione, præsentatione, neutri parti licet cum alia transigere, & pecuniam tradere, vel pensionem polliceri. Immo & simoniacus foret, qui ad opulentum electus Beneficium, suo competitori tenuius aliquod Beneficium offerret, vel in suum Vicarium eligeret, quia re spirituali temporalem vexationem arceret & redimeret. Nec audiendi sunt benigniores Theologi, qui dicunt pretio nihil spirituale emi, quando pecunia quis impeditur, ne vel concurrat ad Beneficium, vel crimen aut impedimentum non aperiat; quod enim emitur, est quid temporale, nimirum vel actio alterius, vel silentium, vel quid simile. Nam licet hæc immediate & in se inspecta sint quid mere temporale, nihilo tamen secus illorum redemptio ordinatur ad consecutionem rei spiritualis; & sic qui redimit, viam sibi parat pecunia ad rei spiritualis consecutionem. Ita docet D. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. *Dicendum, quod antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam*.

IX. Redimere vexationem injustam, qua quis a Beneficii consecutione arcetur, si fiat cum illis, qui obesse possunt, juvare vero non possunt, Simonia non est; at simoniaca erit, si injustæ vexationis redemptio fiat cum illis, qui prodesse & obesse possunt. Prioris exemplum habes in illo, qui ab hoste & inimico falsis calumniis, vel electorum animos malis artibus seducendo, impeditur a Beneficii consecutione, interim tamen qui impedit, nullum jus, nullam habet in electione actionem. Hunc muneribus & donis impedire ne noceat, nulla

est

est Simonia, sed solum remotio impedimentorum, calumniarum, malæque artis, cum ille ceteroquin nihil influat in electionem; proinde temporale non datur pro re spirituali, in quam calumniator & infensus hostis non influit, sed solum ad ejus declinandam invidiam. Nec dicas, hanc qualemcumque vexationis redemptionem viam sternere ad Beneficii consecutionem; nam hoc minime verum est, cum hæc impedimentorum ablatio nihil influat in electionem, nec electorum animos nullo modo tangat & moveat. Quod tunc solum contingeret, si corruptis ab adversario electoribus vel pecunia vel malis artibus ipse electoribus aliquid temporale vel promitteret vel largiretur, tunc enim non sola removeret obstacula pecunia, sed etiam in suam influeret electionem. Hinc Simoniæ damnant Theologi eum, qui electores vel aliquos illorum ex odio, inimicitia, vel prava aliqua injustaque de causa suffragium denegantes muneribus placaret, eorumque animos sibi pecunia devinciret, & jure merito, quippe non solum injustam redimeret vexationem, sed & viam sibi pararet ad spirituale obtinendum pecunia & re temporali, quæ in ejus electionem mirum in modum influeret.

X. Simonia non est injustam redimere pecunia vexationem post acquisitum jus in re spirituali. Ita docet S. Th. loc. cit. *Postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere*. Et jure merito; nam jus acquisitum in commutativa justitia fundatum est, unde res est illi ex justitia debita. Sic qui electus est & confirmatus, jus habet in Episcopatu, dignitate, vel præbenda, quæ jam est illi debita. Proinde dum injustam vexationem pecunia redimit, non pro re spirituali aliquid confert, in qua jus obtinet plenum & certum, sed pro temporali molestia tollenda pretium solvit; ideoque si pro redimenda tali vexatione aliquid spirituale cederet, Simoniam, & quidem juris divini perpetraret, quia rem spiritualem pro temporali emolumento tribueret. Duo tamen hic sunt attente notanda; primo quod vexatio plane sit injusta; alioquin si justa sit, jam apparet manifeste jus in re acquisitum certum non esse & firmum; 2. ut jus in re nulli subsit contradictioni, sed firmum sit, ratum & inconcussum, si enim lis moveatur super electionem, præsentationem confirmationem, licet etiam dubium sit, num lis mota æqua sit vel iniqua, non licet pecunia collitigantem removere; hoc enim pacto pecunia & re temporali viam sibi pararet ad spirituale obtinendum, ut in Corollariis clarius ostendemus.

XI. Simoniacum non est vexationem redimere impedientem possessionem Beneficii adire. Juveninus, seu Auctor Gallus theoriæ & praxis Sacramentorum censet, non adita possessione jus quidem haberi ad rem, sed non in re, vel si etiam jus admittatur in re, non esse completum omnino & perfectum. At a vero aberrat doctissimus Auctor; jus enim in re perfecte acquiritur electione, & confirmatione, etiam ante aditam possessionem, & ipsa actio possessionis non est nisi quid ceremoniale, vel signum adepti Beneficii. Proinde qui post electionem, & confirmationem injusta vexatione ab adeunda possessione præpeditur, ipsam vexationem poterit pecunia redimere, cum per possessionem nullum majus jus ad Beneficium adipiscatur, quod plenum, certum inconcessum jam obtinebat. Nec opponas, ipsam possessionem esse rei spiritualis, proinde spiritualem: nam ideo est spiritualis, quia in jure & titulo plane spirituali tota fundatur; eapropter quando jus spirituale est plene, & inconcusse concessum, ipsa possel-

possessio non est nisi factum corporale, pro quo solvitur illud temporale quod datur.

XII. Transactiones inter litigantes pro bono pacis habitæ simoniacæ sunt, dum retinetur aut remittitur spirituale pro re temporali. Transactio, ut superius de Beneficiis diximus, est onerosa conventio super jus dubium, & incertum ad litem vel motam vel movendam auferendam. Onerosa dicitur hæc conventio, quia si gratuita sit, non pactum, non conventio est, sed cessio, condonatio, & amica compositio: additur super jus dubium; si enim jus firmum, certumque sit, jam locum non habet compositio, sed sola vexationis redemptio: denique additur ad dirimendam litem aut motam aut movendam; quia ubi nulla est controversia, transactio locum habere nequit. Porro quod hujusmodi transactio sit illicita, & simoniaca, quando aliquid temporale vel retinetur, vel remittitur, patet manifeste; nam tunc pro spirituali datur temporale, vel temporale accipitur pro spiritualis juris cessione. Hinc hujusmodi transactiones a jure canonico prohibentur. Alex. III. Cap. *Super eo* de transactionibus sic decernit: *Super eo, quod quæsivisti, utrum ab ecclesiastico Beneficio in litigium deducto possit fieri transactio, tale damus responsum, quod transigi super re sacra, & litigiosa non potest. Etenim res sacræ ut possideantur aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus habere Simoniæ.* Et Cap. *Constitutus* iterum decernit: *Quia hujusmodi transactionis speciem continent Simoniæ, mandamus quatenus revocata transactione in irritum, causam audiatis.* Hinc nec Episcopus litem componere eo pacto valet, ut alter Beneficium, alter pensionem accipiat, hoc enim modo temporale daretur pro re spirituali. Non desunt tamen Theologi, qui hujusmodi transactiones Episcopi intervenientes auctoritate licitas putant, cum non pro spirituali, sed pro temporali pecunia solvatur, vel pensio; bonum enim pacis, inquiunt, res est temporalis, pro quo temporale datur. At non perspiciunt Theologi, qui hæc docent, hoc pacto Beneficia sacra, & spiritualia ad conditionem detrahi negotiorum temporalium de possessione agrorum, vinearum, domorum, hoc enim pacto de illis lites dirimuntur. Ad instar igitur terrenarum mercium Beneficia erunt compositioni, & transactioni obnoxia? At, inquiunt, in jure canonico hujusmodi transactiones permittuntur, nam cap. *Nisi essent* Extra. De Præbendis dicitur: *Quod post concertationem diutinam ordinatum est circa unum de duobus electis, ut ipse habeat Prioratum, hoc ex jurisdictione delegata secundum justitiam, videtur esse statutum. Quod autem ordinatum est circa reliquum, ut ipse viginti libras de redditibus Capituli, & quadraginta de proventibus Prioratus accipiat annuatim, secundum providentiam intelligatur esse præceptum, ex arbitraria potestate cum in delegatos fuerit compromissum, qui auctoritatem sibi retinendo commissam, se pro bono pacis, & utilitatis hoc ordinasse fateantur. Nos eam ordinationem toleramus, hoc adhibito moderamine, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata.* Verum in hac Decretali plura sunt notanda. 1. Hujusmodi transactionem non adprobatam fuisse a Summo Pontifice, sed solum toleratam ad majora vitanda mala. 2. Non inductam conventione & pacto collitigantium; sed auctoritate & potestate Judicum; subdit enim Pontifex: *Quia hæc ordinatio ab omnibus est recepta, possunt licite Prator & Capitulum de proventibus suis propter causas prædictas, non quidem ex pactione partium, sed ex jussione Judicum provisionem hujusmodi exhibere.* 3. Non a quocumque judice, sed ab Arbitris, & quidem probis, & piis, & æquissimis, qui non partium inspexerint utilitatem, sed bonum Ecclesiæ, talem

lem prodiisse transactionem: subdit enim Pontifex: *Nisi essent viri providi, & honesti, tam qui ordinationem fecerint, quam illi, circa quos est facta ordinatio super negotio Prioratus, ordinationem illam valde suspectam propter exempli perniciem haberemus*. 4. Statuitur, ut pensio non super Beneficium imponatur, sed tantum super Beneficiarii personam, ut ex postremis superius recitatæ Decretalis verbis apparet. 5. Denique quod hæc transactio, ut vidimus, non collitigantium emolumentum spectet, sed ipsius Ecclesiæ bonum, & utilitatem. Hinc si quando hujusmodi transactiones Summus Pontifex tolerat, & pensionem concedit, non ideo litigantes tuti sunt in conscientia, sed respicere debent, num Ecclesiæ utilis sit eorum transactio, alioquin Deo de nundinatione rationem erunt reddituri. Quandoquidem spectato privato jure, ut optime observat P. Concina, locum habere nequit justa transactio: " Nam (inquit Ille Tom. 10. " lib. 1. diss. 3. cap. 7. n.° 20.) vel jus, " quod alter collitigantium cedit, est certum, & tunc pro talis juris omnino spi- " ritualis cessione quidpiam exigere, Simo- " nia manifesta est. Aut jus illud nullum " est, & tunc aliquid exigere non modo Si- " monia, sed & furtum apertum est. Aut " jus dubium est, & tunc fur est, & simo- " niacus, qui tale dubium nundinatur." Lites igitur de Beneficiis sunt judicis auctoritati relinquendæ, qui quod de jure est decernat.

XIII. Simonia fiduciaria, seu confidentia beneficialis definitur, Conventio sive tacita, sive expressa, ut qui Beneficium recipit, illud ipsum postea in aliam certam personam transferat, aut Beneficii fructus ab alio percipi sinat. Ita enim statutum est a S. Pio V. in sua Constit. *Intolerabilis*, ubi Pii IV. prædecessoris sui Bullam hac de re confirmat, & explicat dicens: *Si quis quæcumque auctoritate Ecclesiam, vel Monasterium, vel aliud Beneficium ex resignatione, vel cessione cujuscumque personæ .... receperit, ut illa eidem dimittantur, vel alteri postea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars illis, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem, hæc confidentia censetur*. Hujus autem fiduciariæ Simoniæ materia sunt omnia cujuscumque generis Beneficia, ut declarat ipse Pontifex subdens: *Omnes & singulas Ecclesias, etiam Metropolitanas, & alias Cathedrales, ac Monasteria etiam consistorialia, Prioratus, Præposituras, dignitates etiam majores, & principales, etiam conventualis Personatus, Administrationes, & officia, ceteraque Ecclesiastica Beneficia cum cura, & sine cura sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia etiam de jure patronatus, etiam laicorum, & nobilium, & illustrium, etiam ex fundatione, & dotatione existentia*.

XIV. Triplici modo hoc fiduciariæ Simoniæ crimen committitur, nimirum per ingressum, accessum, & regressum. Ingressus fit, quando quis Beneficium sibi collatum, sed cujus nondum est possessionem consecutus, alteri cedit ea pactione, ut si accipiens moriatur, sive alia de causa illud non assequatur, revertatur ad cedentem. Regressus eodem modo habetur hoc solo discrimine, quod Beneficium supponit jam in possessione cedentis. Accessus autem dicitur, cum quis cupiens Beneficium in filii vel nepotis manum venire, qui tamen ob ætatem, vel aliis de causis illius capax non est, alteri confert, vel cedit ea conditione, ut, remoto impedimento, filio, vel nepoti resignet. His tribus modis accedit & quartus, cum quis Beneficium confert eo pacto, ut alteri fructuum partem cedat, vel solvat pensionem. Num vero fiduciaria inquinetur Simonia, qui Beneficium alteri cedit inita pactione de pensione illi solvenda, disputant Theologi, Navarrus, Lessius, immo & Natalis Alexander

der reg. 18. putant quidem, Simoniam in ea cessione committi, fiduciariam vero locum non habere; siquidem S. Pium confidentiæ Simoniam tunc solum adesse statuisse, cum pensio reservatur *alii*, vel *aliis* solvenda, non ipsi Beneficium conferenti vel procuranti. At licet ita legatur in Bulla Piana, ubi de recipientibus sermo habetur, ubi tamen de dantibus vel conferentibus loquitur S. Pontifex, sic statuit: *Si ordinarius, vel alius collator contulerit . . . aut conferat Beneficium Ecclesiasticum ea conditione tacita, vel expressa, ut postea . . . . pensionem ILLI, aut ILLIS, quem, vel quos idem collator aut cedens . . . . jusserit, aut significaverit, persolvat*. Porro in illo, vel in illis, quos collator jusserit, vel significaverit, comprehenditur & ipse Beneficium conferens, cum se ipsum significare possit. Addo in sequentibus clarius mentem suam explicare SS. Pontificem dum subdit: *Conferens Beneficium eo pacto, ut de eo provisus fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, aut cedentis relinquat, & remittat*: porro partem fructuum relinquere ad utilitatem cedentis idem omnino est ac pensionem illi solvere: quid enim aliud est pensio, nisi jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio? Ita sentiunt Garzias, Suarez, immo & benignissimus Castropalao, quorum sententiæ lubens subscribo, eamque non solum probabiliorem, sed unice veram censeo.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Beneficia Ecclesiastica pecunia dare absque Simonia nec Summo Pontifici licet.*

II. *Non licet Beneficium conferre addito aliquo onere etiam spirituali.*

III. *Patronus jus præsentandi alteri cedere nequit eo pacto, ut ipse ad Beneficium præsentetur.*

IV. *Simoniacus non est, qui ex propriis bonis Beneficium fundans postulat & rogat, ut si dignus reputetur, sibi primo conferatur.*

V. *Simoniacum est dare temporale alicui, ut intercedat apud Collatorem, & quidem non solius intercessionis gratia, sed & titulo laboris.*

VI. *Nonnulle consuetudines Simoniam, vel sordidæ avaritiæ suspicionem ingerentes.*

VII. *In resignatione Beneficii quando Simonia, vel fraudis suspicio oriatur.*

VIII. *Simoniacum est ad Beneficium eligere indignum ob preces præsertim armatas.*

IX. *Non licet spiritualia, quæ annexa habent temporalia emolumenta, quamvis propriam Beneficii rationem non obtineant, cum beneficio permutare.*

X. *Quomodo in Beneficiorum permutationibus pacifcentes Simoniæ rei non sint.*

XI. *Simonia est in permutatione Beneficiorum ad æqualitatem inducendam pensionem addere.*

XII. *Similiter & onus addere, ut expensæ pro Bulla, vel pro lite compensentur.*

XIII. *Quando non liceat vexationem pecunia redimere.*

XIV. *Nec licitum est Electores pecunia subornatos muneribus à subornatione revocare.*

XV. *Quando in Beneficii resignatione intervenit quidem Simonia, at non confidentia beneficialis;*

XVI. *Quinam confidentialis Simoniæ rei sint.*

XVII. *Quinam vero immunes ab ea sint habendi.*

XVIII. *In confidentia beneficiali aliquando intervenit Simonia juris divini, aliquando solum juris ecclesiastici.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. BENEFICIA Ecclesiastica pecunia dare adeo simoniacum est, ut nec ipsi Summo

mo Pontifici liceat. Ita aperte S. Thom. in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. ubi sic sibi secundo loco objicit: " Papa potest munus a manu
„ suscipere pro aliquo spirituali. Sed (ut
„ quidam dicunt) Papa non potest committere Simoniam maxime cum aliqua persona
„ Ecclesiastica, quia res Ecclesiæ sunt sue:
„ ergo &c. " Respondet: " Dicendum, quod
„ opinio illa erronea est. Si enim Papa pro
„ aliquo spirituali munus acciperet, Simo-
„ niam committeret, sicut & alius homo,
„ quia sub Petro, cui Papa succedit, Simo-
„ niæ vitium inchoavit in novo Testamento.
„ Et quamvis res Ecclesiæ sint aliquo modo
„ Papæ, non tamen sunt ejus omnibus mo-
„ dis habendi, sicut illud, quod habet ad
„ manum. Non est autem dubium, quod
„ Simoniam committeret, si quis aliquid
„ spirituale debitori suo daret, ut quod suum
„ est recuperaret, & ita etiam in proposito
„ Papa a Simonia non excusaretur, si (quod
„ absit) spiritualia pro temporalibus rebus
Ecclesiarum daret ". Quod & repetit atque
„ confirmat hic q. 100. art. 1. in resp. ad
7. scribens: " Papa potest incurrere vitium
„ Simoniæ, sicut & quilibet alius homo.
„ Peccatum enim tanto in aliqua persona
„ est gravius, quanto majorem obtinet lo-
„ cum. Quamvis enim res Ecclesiæ sint
„ ejus ut principalis dispensatoris; non ta-
„ men sunt ejus ut domini, & possessoris.
„ Et ideo si reciperet pro aliqua re spiri-
„ tuali pecuniam de redditibus Ecclesiæ ali-
„ cujus, non careret vitio Simoniæ:
„ & similiter etiam posset Simoniam com-
„ mittere, recipiendo pecuniam ab ali-
„ quo laico non de bonis Ecclesiæ ".
Verum quidem est, quod leges ecclesiasticæ, quæ permutationes, resignationes, commutationes Beneficiorum sub conditione, modo, aut cum pensione prohibent, vetant hæc fieri sine consensu Summi Pontificis, proinde nec peccat, nec simoniacus est quotiescumque ea concedit, dummodo tamen hujusmodi concessiones cedant in gloriam Dei, in Ecclesiæ utilitatem, vel in pauperum subsidium & levamen, non vero duntaxat in ipsorum resignantium, vel petentium commodum & utilitatem.

Consectarium Secundum.

II. Non licet conferre, vel alio modo tradere Beneficium alicui addito onere aliquid etiam spirituale præstandi. Hic sermo non est de oneribus, ut superius diximus, per se Beneficio adnexis, puta Sacramenta administrandi, choro adsistendi, docendi, concionandi; hæc enim onera non ex pacto aliquo inter dantem & accipientem resultant, sed ipsi Beneficio annexa sunt, ut quicumque illud obtineat, statuta debeat onera subire. Immo hoc pacto licet Episcopis in utilitatem Ecclesiæ beneficiis Ecclesiasticis sua onera addere. Sermo itaque est de oneribus, quæ Beneficio non insunt, & de his loquimur. Et primo quidem non licere temporale onus addere, manifestum est, quia temporale acciperetur pro spirituali; sic non potest Patronus Clericum ad Beneficium postulare cum onere docendi, vel educandi filios suos, vel Electos ad Beneficium eligere cum onere cessandi a lite sibi, vel aliis mota, vel movenda. At si onus, quod additur, sit mere spirituale, adjici posse censet Suarez. At oppositum tenendum est, cum in jure canonico tanquam axioma certissimum statutum sit: *In spiritualibus obtinendis omnis pactio, omnisque conventio cessare debet*, ut habetur Extra *de rerum permutat.* Cap. *Quæsitum*, & in Extr. *de pactis* cap. final. Proinde absque Summi Pontificis venia, quæcumque pactio & conventio etiam mere spiritualis illicita est. Hinc non licet

liceat alicui Beneficium vel conferre, vel resignare cum pacto, ut ille suum Beneficium, quod obtinet, in alterius favorem resignet.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Patronus jus præsentandi alteri cedere nequit eo pacto vel explicitè vel implicitè, ut ipse ad Beneficium præsentetur. Ratio est apertissima, quia hoc pacto per eam cessionem pararet sibi viam ad Beneficium; quod utique magis verum est, si non absolute, sed solum pro ea vice jus præsentandi alteri cederet, cum adhuc jus præsentandi apud ipsum maneret. Summus tamen Pontifex Benedictus XIV. in sua Inst. 95. §. 5. docet, licere Patrono rogare Episcopum, ut Beneficium sibi conferat, si dignum idoneumque agnoscat. Vel si donatione sincera, per quam spolietur jure Patroni, alteri jus suum cedat approbante Episcopo. Tunc enim cum non sit amplius Beneficii Patronus, poterit ab alio præsentari, ne efficiatur deterioris conditionis quam ceteri. Deinde addit, posse Episcopum eidem absque ulla præsentatione Beneficium conferre, quod Beneficiatus acceptet, & post collationem suum præstet assensum. Ceterum Patronis non licere se ipsum præsentare, decretum est Cap. *Per nostras* Ext. de jure Patronatus, & meritò quidem, quippe quia cum præsentatio initium sit vocationis, & missionis ad ecclesiastica obeunda munia, nemo se ipsum vocare vel mittere debet, ne sacrum ministerium sibi videatur usurpare. Recolantur quæ diximus de ecclesiasticis Beneficiis.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Simoniacus non est, qui Beneficium ex propriis bonis fundat, postulans & rogans, ut si dignus reputetur, sibi Beneficium primo conferatur, & post ejus obitum jus patronatus ad hæredes transferatur. Aliquibus Theologis & Canonistis hujusmodi institutio visa est simoniaca labe infecta ex duplici capite; 1. quia pactum intervenit, & conditio de Beneficii collatione ipsi fundatori facienda: 2. ex Decreto Innoc. III. qui cap. *Dum nos* de Simonia sic statuit: *Si Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in canonicum admittatur, talis oblatio, vel receptio non poterit fieri sine vitio Simoniæ.* 3. Addunt auctoritatem Fagnani clarissimi Canonistæ, qui præfatum explicans Decretum ait: *Simoniam esse fundare, vel dotare Canonicatum, vel aliud Beneficium Ecclesiasticum eo pacto, ut Beneficium illud sibi conferatur, de quo hic est casus apertus. Unde cum quidam Clericus non ita pridem sua bona patrimonialia contulisset pro erectione Archipresbyteratus in Cathedrali Ecclesia cum reservatione jurispatronatus, eo pacto adjecto, ut posset seipsum præsentare, & non alios; consultus ab eodem Clerico respondi, erectionem, & institutionem inde secutam fuisse simoniacam, & nullam per hanc Decretalem, & opus esse nova erectione, & provisione Sedis Apostolicæ, quam postea idem Clericus impetravit ab Urbano VIII.* Verum sapientissimus Pontifex Bened. XIV. in sua Institutione 95. aperte docet, nullam inibi esse Simoniam, quia si licet ex Ecclesiæ auctoritate Beneficium instituere cum pacto, ut Beneficium Filio, vel Nepoti, vel alteri conferatur, quin hujusmodi pactum Simoniam inducat, nulla apparet satis congrua ratio, unde simoniacum fiat, si ipsemet instituens Beneficium, paciscatur sibi conferri. Ad Decretalem vero optime respondet, illum, qui sua bona obrulerat petens ut illa tenere pro Præbenda liceret, & etiam inter Canonicos cooptaretur, haud Canonicatum instituisse, sed tantum in Canonicum assumi optasse, mutatoque nomine bona patrimonialia tamquam Præ-

Præbendam sibi retinere liceret, ne forte Canonici ipsum adscribere suo cœtui recusarent, eo quod Præbenda careret. Insuper cum nulla mentio habeatur, utrum posteris ea Præbenda superesse deberet, apertissime constat, Simoniam tunc implicitam fuisse, contrarium tamen futurum Pontifex testatur, si absque ulla conventione bona sua Ecclesiæ obtulisset, declarans illis frui velle tamquam Præbenda, cumque Canonici nulla oblati muneris ratione habita, in suum cœtum recepissent. Fagnanum vero in Decretalis intelligentia deceptum dicit, & concessam ab Urbano VIII. novam erectionem, non quasi necessariam, sed ad sedandos Fundatoris scrupulos opportunam.

Consectarium Quintum.

V. Simoniacum est aliquid dare alicui, ut intercedat apud Collatorem, & quidem non solius intercessionis gratia, sed & titulo laboris, sive sit mediatus intercessor, sive immediatus. Et quidem pro ipsa intercessione temporale largiri simoniacum esse fatentur omnes etiam benigniores Casuistæ, quippe quia satis clare perspiciunt, per pecuniam viam sterni ad spiritualia impetranda. At nullam agnoscunt Simoniam plures ex benignioribus Casuistis Dianam sequentibus, uti La-Croix, Castropalao, Mazzotta, si pro labore quidpiam detur. At perperam; nam, ut observat P. Daniel Concina, si non licet dare temporale pro intercessione, ergo nec pro labore necessario vel utili, cum sine ipso intercessio haberi non possit. At reponunt: non pro quocumque labore pretium discimus persolvi posse, nempe pro necessario & intrinseco intercessioni, sed pro extrinseco & accidentali, nimirum itinere laborioso repetito & quidem pluries ad Collatorem. Verum hæc ad fucum faciendum sunt dicta. Nam rursum quæro, labor hic extrinsecus & accidentalis, ut vocant, vel necessarius est, aut saltem utilis ad Beneficium a Collatore obtinendum, fortassis ob ambientis Beneficium mores, ætatem, doctrinam, difficultatem in eligendo ostentatam, vel minime necessarius, & inutilis. Si primum, redit argumentum, sicut non licet pro impetratione aliquid dare, non licebit nec pro labore necessario, vel utili, licet repetito, licet extrinseco; si vero inutilis est & minime necessaarius, quis amabo operam suam in tali labore perdere voluerit, & quodnam merebitur pro tali inutili labore præmium? At urgent: nonne licet Sacerdoti pinguius dare stipendium pro Missæ celebratione in Templo valde distanti, & incommodo? Utique. Verum labor hic nedum extrinsecus est, sed & licitus; at labor rogantis, & precibus impetrantis Beneficium illicitus est: Simonia enim est ab obsequio precibus Beneficia aucupari. Audiatur D. Th. hic q. 100. art. 5. ad 3. *Munus a lingua dicitur, vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium vitatur.* Et eo magis humanum favorem quæri fit manifestum, quo preces repetitæ sunt urgentiores, & per repetitos itus & reditus multiplicatæ, quæque rogantem jam Beneficio indignum ostendunt, juxta D. Bernardi Regulam: *Alius pro alio, alius forte & pro se rogat. Pro quo rogatis sit suspectus; qui ipse rogat pro se, jam judicatus est, nec interest per se, an per alium quis roget.* Si ergo simoniacum est precibus impetrare, seu potius extorquere Beneficium, quanto magis simoniacum erit hujusmodi impetratorem pecunia compensare? Et ipse impetrans precibus Simoniæ cooperatur, & fit ejusdem criminis socius & particeps. Jure itaque meritoque statuit S. Carolus Borro-

mæus in suo I. Mediolanensi Concilio: *Qui Beneficium ecclesiasticum vacans multis & ambitiosis precibus per se, vel per alios petierit, eo facto ita redditur indignus, ut per biennium in eum neque illud, neque aliud conferri possit*. Legatus Doctor Franzoja in suis Animadversionibus, ubi lib. 3. tract. 1. cap. 2. Animad. 6. nervose cavillationes omnes tum Noceti adversus Concinam, tum Zachariæ nervose confutat, & protetir.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem ingerunt consuetudines illæ, quæ non sinunt Canonicum possessionem adire Beneficii, nisi vel prandium sive prandia Concanonicis instruat, vel eis pro chirothecis certam pecuniæ summam persolvat: hæc enim omnia & in jure canonico reprobantur, & a Tridentino Concilio interdicuntur. Gregor. IX. Extra. de Simonia cap. *Jacobus* sic statuit: *Jacobus Canonicus Esculanus exposuit, quod cum in Ecclesia Aprutina sit receptus in Canonicum, & fratrem, Canonici ejusdem Ecclesiæ ... præbendam sibi assignare recusent, quamdam consuetudinem prætendentes, quod prandium habere debeant a Canonico recepto de novo. Mandamus, quatenus si ita est, dictos Canonicos, ut tali consuetudine non obstante, sicut uni ex aliis, in proventibus, & præbenda provideant, appellatione remota compellas*. Et Concil. Remense anni 1583. statuit: *Rerum exactio, quæ pro Canonicorum, & aliorum Beneficiorum ingressu in plerisque locis suspicione simoniæ, vel sordidæ avaritiæ non caret, nullo modo permittatur*. Concilium vero Tridentinum, cujus Decretum capite præcedente num. 5. dedimus, vetuit quidquam dare *in institutione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem*, & omnes contrarias consuetudines tamquam simoniacas, vel sordidæ avaritiæ labe infectas vetuit, & abrogavit: illas duntaxat excepit erogationes, quæ in usus pios converterentur, & laudabiles forent, in quorum numero consuetudo collocari potest, qua Canonici vel alii Beneficiarii Sacristiæ persolvunt pro sacrarum vestium usu, conservatione, & incremento aliquam pecuniæ summam cum Beneficium adeunt; cum hæc non in privatum cujuspiam commodum cedat, sed in solius Ecclesiæ utilitatem.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Simoniæ & fraudis merito suspicionem ingerunt Beneficiarii, qui jam effœtæ ætatis pingue Beneficium coram Ordinario permutant cum altero tenui & exiguo, ut pinguius Beneficium consequantur vel ipsius renuntiantis, vel Episcopi consanguinei. Hic sermo non est de permutatione cum pacto, cum hæc apertam præseferat Simoniam, sed de illis loquimur permutationibus, quæ modo præfato fiunt, nullo adjecto explicito vel implicito pacto. Nam, ut optime animadvertit Benedictus XIV. de Synodo lib. 13. cap. 24. n. 10. *Hujusmodi permutatio non est ad canonum normam exacta*; quinimmo dolosa est; *ideoque Piæ Constitutioni adversatur*, quæ jubet, ut Beneficia non conferantur consanguineis Episcopi, vel resignantis, quando per renuntiationem vacare contingat, ut superius diximus.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Simonia est eligere, nominare, vel presentare aliquem indignum ad Beneficium vel ob preces, vel ob timorem mali a petente, vel ab alio inferendi. Ita S. Thom. in IV. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 4. " Quando preces fiunt pro indigno, satis apparet, quod non aliud intenditur nisi favor, aut etiam periculum evitandum; quia etiam carere malo quoddam bonum est,

„ est, ut dicit Philosophus 5 Ethic. & ideo „ quando fiunt precès armatæ, manifeste „ Simonia committitur, si propter hoc Be„ neficium ecclesiasticum detur. "

CONSECTARIUM NONUM.

IX. *Non* licet absque Simonia, spiritualia, quæ annexa habent temporalia emolumenta, quamvis propriam Beneficii rationem non obtineant, cum Beneficio permutare; id enim Ecclesiæ decreto vetitum est. Hinc nonnullorum Theologorum est rejicienda opinio existimantium, licere Beneficium permutare cum Vicaria, vel Capellania amovibili. Immo optime docet Turnelius, Simoniam juris ecclesiastici committi, si & ipsæ actiones ad Beneficiorum provisionem pertinentes commutentur, ut si unus Electorum alteri Electori dicat, tu hac vice elige hunc, & alia vice ego alium a te propositum eligam; vel tu Beneficium confer huic, & ego alium confirmabo, vel tibi Beneficium confero, dummodo tu cedas præsentationi ad aliud Beneficium a te jam factæ, vel præsentabo hunc ad Beneficium mei jurispatronatus, si tu meum simplex Beneficium mihi renuntiaveris, & similia. Ratio est, quia præterquamquod pacta omnia atque conventiones in re beneficiali vetitæ sunt, in hisce pactis licet non alia appareat commutatio nisi spiritualis actionis cum alia pariter spirituali; attamen reputantur media ad aliquid temporale lucrandum; nam rarissime sine hoc temporali lucro contingit has fieri permutationes, & illud semper ab altertutro, vel ab utroque intenditur. Nec a Simoniæ labe immunis habendus foret Regularis, qui alium in Priorem eligeret, ut ille vicissim ab ipso in Provincialem eligatur, vel suffragium suum in electione polliceretur eo pacto, ut ipse vicissim suffragium suum altera vice in electione tribuat, vel aliquod officium vel munus in Religione conferat, in hisce enim casibus spiritualis jurisdictio non gratis confertur.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Licet permutare volentes Beneficia de Superioris concessione & licentia, nullas deberent inter se pactiones inire, sed arbitrio & voluntati relinquere; non tamen Simoniæ rei habendi sunt, si inter se de honestis conditionibus apponendis pacificantur, quas & candide Superiori repræsentent, ab eo prout Ecclesiæ bono prodesse judicaverit vel admittendas, vel rejiciendas; nam vix aliter fieri possunt, vel solent hujusmodi permutationes, & si quid pacti, vel negotiationis interesse videtur, manifesta tamen causa & honesta, nec non utilitas Ecclesiæ, & Superioris auctoritas omnem ab ea permutatione turpitudinem tollit. Si vero hasce permutationes nullas esse contingat ex aliquo capite, etiam inculpabili non licebit tamen ad proprium redire Beneficium privata auctoritate, cum per renunciationem jam titulum & possessionem Beneficii a se removerit, sed iterum est illi a Superiore conferendum.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. In permutatione *Beneficiorum* inæqualium non solum in gradus dignitate & jurisdictione, sed etiam in temporalibus Beneficii fructibus Simonia est addere compensationem faciendam vel pensione, vel pretio, vel alia re temporali. Et quidem omnes conveniunt Theologi, re temporali compensari non posse majorem dignitatem, gradum, jurisdictionem spiritualem; hoc enim aperte esset dare temporale pro re spirituali. At non desunt qui a Simoniæ labe eximunt compensationem in temporalibus emolumentis, quod certe falsum esse manifeste apparet, cum illi abundantiores fructus sint necessario titulo Beneficii connexi,

nexi, ac proinde jus ad illos vendi non potest, quin & Beneficium ipsummet & titulus veneat, quod profecto simoniacum est. Nec dicas, pinguiori Beneficio adjecta pensione fieri æqualitatem, nam hoc ipsum simoniacum est, ut ostendimus superius in tract. de Beneficiis; & pensio non ad æqualitatem inducendam fit instituta, sed ad sustentationem Ministrorum egentium: proinde vel permutatum Beneficium licet tenue sufficit ad sustentationem, & tunc non est adjicienda pensio, vel non sufficit, & tunc addi poterit quidem ab habente potestatem, non ad æqualitatem inducendam, sed ad sustentationem.

Consectarium Duodecimum.

XII. Permutatio sive resignatio Beneficii cum onere, ut expensæ pro lite, vel pro Bullis compensentur, simoniaca est, quia datur temporale vel pro re spirituali, vel pro fructibus rei spirituali connexis, & verum est quod per pecuniam sibi viam parat ad obtinendam rem spiritualem. Præterea vel illæ expensæ erant necessario faciendæ, & tunc non nisi simoniace ab hoc onere temporali liberatur sola resignatione vel permutatione Beneficii, vel necessariæ non sunt, & tunc Simonia magis fit patens, cum fictus inducatur titulus, quo pecunia accipiatur, quæ pro Beneficii consecutione persolvi jam manifestum est. Et D.Th. in 4.dist. 25 q. 3. a. 3. ad 8. docet: *In permutatione est Simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius talis commutatio fiet.*

Consectarium decimumtertium

XIII. Non licet pecunia redimere vexationem, qua eum tentat a possessione Beneficii deturbare vel Episcopus ob ejus commissa crimina, vel accusator qui ejus crimina, Prælato denuntiare minatur, vel alius, qui legitimum jus se ad idem Beneficium habere arbitratur. Ratio est, quia hujusmodi vexatio talis est non de solo facto, sed etiam de jure, & legitime inducitur, proinde justa est, non iniqua; ea propter ipsam pecunia redimere, vel alio temporali bono est viam sibi ad spiritualia retinenda parare. Et in jure canonico cap. *Nemo* Extra. de Simonia declaratur, simoniacum esse pretium, quod accipitur vel persolvitur, ne Prælato seu Electori innotescat crimen aliquod, quo fœdatur, qui Beneficium postulat.

Consectarium Decimumquartum

XIV. Simonia est, Electores subornatos muneribus vel pecunia ab hac subornatione revocare, ex. g. Si quis Electores muneribus pervertat, ut se, non Petrum ad Beneficium eligant, non licet Petro obtentu redimendæ vexationis alios Electores, vel eosdem, pecunia vel muneribus in sui favorem pertrahere, hoc enim pacto directe pecunia sibi viam pararet ad Beneficium: & non foret redemptio vexationis, sed emptio Beneficii. Simoniacum tamen non esset, absolute loquendo, pecuniam Electoribus dare, ut ab indigni electione, ad quam jam sunt dispositi, desistant; cum enim Ecclesia jus habeat, ne indignus ad Beneficia eligatur, sicut nec dignus respectu dignioris, injustam patitur vexationem, dum ab iniquis Electoribus indigni assumuntur, proinde licet hanc vexationem pecunia redimere. Duo tamen sunt cavenda: primo ne pecunia vel muneribus præveniantur Electores ex mera suspicione, vel timore, ne eligant indignum, sed constare debere illos paratos jam esse, vel satis dispositos ad indigni electionem; nam tunc munera & pecunia data merito censerentur non ad vexationem redimendam, sed ad ipsam

ipsam electionem, quod profecto simoniacum est. 2. Ne error facile subrepat in judicanda alicujus indignitate, vel minori dignitate; frequenter enim prout affecti sumus judicamus, proinde quos nobis incommodos, molestos, morosos suspicamur, tamquam indignos, vel minus dignos iniqua præoccupatione judicamus. A Simonia tamen in praxi non forent excusandi, qui pecuniam vel munera præberent Electoribus, ut vel dignum absolute, vel digniorem eligerent, nulla etiam designata persona; nam quo titulo licite hanc pecuniam acciperent? Non pro electione digni, ad hoc enim jure naturæ tenentur; non, ne indignum eligant, nam non supponuntur ad indignum eligendum parati; superest igitur, ut pro sola electione pretium accipiant, quod profecto simoniacum apparet; quod magis foret manifestum, si pecunia, vel munera darentur pro determinata Persona eligenda, licet illa unice digna, vel dignior esset, cum clare appareat pecuniam dari pro hac particulari electione.

Consectarium decimumquintum.

XV. Qui Beneficium resignat Electori, vel Patrono cum pacto, ut illud determinatæ personæ, puta Petro a resignante designato conferat, Simoniæ reus est., at non confidentiæ beneficialis. Et quidem Simoniam committi patet manifeste ex superius dictis, cum quodlibet pactum & conventio exulare debeat a Beneficiis. Quod vero hic locum non habeat confidentia beneficialis ex eo apparet, quia S. Pius in sua Bulla *Intolerabilis* nonnisi de accipientibus, vel obtinentibus Beneficia, non de eligentibus, vel præsentantibus loquitur, sic enim decernit: *Qui receperit, ut illa Beneficia eidem dimittantur, vel alteri postea conferantur.*

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Confidentialis Simoniæ rei sunt 1. Qui præsentationem ad aliquod Beneficium acceptat cum pacto, ut post aliquod tempus illud resignet filio, vel nepoti Patroni præsentantis. 2. Qui Beneficium confert nepoti, vel consanguineo cum onere, ut reditus dividat cum fratre suo in castris militante. 3. Qui Beneficium acceptat cum onere, ut postea illud cedat non resignanti, vel collatori, vel patrono, sed alteri, qui Beneficium sibi procuravit, vel cui hic designaverit, vel cum onere solvendi pensionem, vel partem redituum filio, vel consanguineis illius, qui sibi Beneficium impetravit, licet hic nec collator sit, nec resignans, nec patronus. Et quidem duo priores casus aperte habentur in Constitutione S. Pii sic jubentis: " Si Ordinarius, „ vel alius Collator contulerit antehac, aut „ conferat in futurum Beneficium ecclesiasticum quovis modo vacans, ea condi„ tione tacita vel expressa, ut postea in al„ terum pro arbitrio Collatoris, seu alte„ rius cujuscumque contra juris communis „ ordinationem disponatur, sive ut de eo „ provisus fructus illius, vel partem ad „ utilitatem, vel libitum conferentis, vel „ cedentis, aut alterius relinquat & remit„ tat, seu pensionem illi, vel illis, quem vel „ quos idem Collator, aut cedens, aut alius, „ qui per se, vel per alium, scripto aut „ verbo jusserit, seu significaverit, persolvat. „ Et pariter si a Patrono etiam laico, vel „ altero præsentatore seu electore contige„ rit, aut contingat id fieri. " Tertius vero ex ipsa Bulla deducitur, quia confidentiale pactum continet de resignando Beneficio in favorem alterius, vel pensionem solvendi, licet nec Beneficium, nec pensio in utilitatem cedat aut patroni, aut collatoris, aut resignantis; quilibet enim, qui hisce ini

iniquis pactionibus cooperantur, vel aliquo modo concurrunt, feu ut declaravit Concilium Remense anni 1583. *verbo, vel facto juverint, vel procuraverint, ejusdem criminis participes sunt habendi*.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. Qui Beneficium confert alteri, nulla expressa vel tacita conventione, sed sola interna spe & fiducia collatum Beneficium a recipiente sponte resignandum filio Collatoris non committit beneficialem confidentiam, quia S. Pius V. expresse postulat ad hoc Simoniæ genus, ut intersit pactum sive expressum, sive tacitum. At reus hujusce Simoniæ foret, qui Beneficium acceptat a resignante ea pactione, ut illud postea alteri cedat, licet expresse protestaretur se nolle pactionem acceptare, vel exequi; nam laudatus Pontifex declarat ad confidentialem Simoniam sufficere *etiamsi sola dimittentis intentione receperit ... conscientia tantum unius partis*.

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. In confidentia beneficiali habetur aliquando Simonia juris divini, & aliquando solius juris ecclesiastici. Et quidem Simonia juris divini habetur quotiescumque Patronus, vel Collator, vel Resignans sibi aut aliis fructus, vel partem fructuum reservant; tunc enim datur spirituale pro temporali, cum hoc ineant tacitum pactum, confero, resigno, vel præsento ad Beneficium, ut mihi, vel alteri talem persolvas pecuniam. Quando vero pactum initur, ut collatum Beneficium resignet alteri, habetur sola Simonia juris ecclesiastici, quo pacta omnia in Beneficiorum collatione vetantur, & interdicitur, ne quis Beneficium acceptet animo illud renunciandi, & ne quid fiat, quod libertatem eligentium, præsentantium, & conferentium Beneficia imminuat.

CAPUT IX.

De Simonia in ingressu Religionis, & in Defunctorum funeribus.

Doctrina.

I. *Temporale aliquid exigere pro Religionis ingressu simoniacum est.*

II. *Licet tamen petere & accipere necessaria pro anno probationis.*

III. *Et ea accipere, quæ sponte & liberaliter offeruntur.*

IV. *Monasteria, quæ reditus habent ad Religiosos alendos, temporale pro ingressu exigere non posse decernunt Concilia & Pontifices.*

V. *Confirmant Theologi.*

VI. *Si vero pauper sit Monasterium, necessaria tantum pro petentis ingressum sustentatione potest exigere.*

VII. *Quid statuerit Tridentinum Concilium.*

VIII. *Quando dos & census Monialibus possit constitui.*

IX. *Quid liceat Clericis pro Defunctorum tumulatione exigere.*

X. *Quid vero sit illis interdictum.*

XI. *Quid de delatione cadaveris, aliisque ministeriis dicendum sit.*

XII. *De loco sepulcri quid dicendum.*

I. UT in hac quæstione satis implexa recta methodo, & ea, quæ maxime necessaria est, perspicuitate disputemus; quæ certa sunt, omnibusque comperta præmittimus, videlicet 1. Temporale aliquid exigere pro ingressu Religionis tamquam pretium, simoniacum est, ut docet S. Tho. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. scribens: *Dicendum, quod pro ingressu in Monasterio non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium.* Et

Et jure merito, cum Religionis status, quo homo se totum Deo devovet, ejusque servitio, & ministerio integre offert, & mancipat, fit res omnino spiritualis.

II. Licet tamen accipere, & petere, quæ necessaria sunt pro victu, & vestitu anno primo probationis; ita statuit Trident. Concil. sess. 25. de Reform. cap. 16. decernens: *Neque ante professionem, excepto victu, & vestitu novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.* Et jure merito; nam Novitius cum adhuc non sit Religionis membrum, nullum jus habet, ut redditibus Monasterii alatur; nec deessent, qui Religionem ingrederentur, ut per plures menses vel etiam integro anno expensis Religionis sibi victum & vestitum compararent.

III. Licet etiam ea recipere, quæ sponte & liberaliter vel ab ingredientibus Religionem, vel eorum Parentibus, vel Curatoribus offeruntur. Ita docent plures, etiam ex præcipuis sacrorum Ordinum Fundatoribus. S. Benedictus in Reg. cap. 25. dicit: *Res si quis habet, aut eroget prius pauperibus, aut conferat Monasterio.* S. Isidorus Hispalensis scribit: *Omnia sua primum aut indigentibus dividant, aut Monasterio conferant.* Et denique S. August. epist. 109. quæ aliquid habebant in seculo, quando *ingressæ fuerint Monasterium, libenter velint illud esse commune.* Et Urbanus V. declaravit, recipi posse *illa dumtaxat, quæ personæ illæ ingredientes plene, sponte, & plena libertate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, & locis hujusmodi voluerint.*

IV. Quando Monasteria reditus, possessiones, & bona possident, queis Religiosos alere queunt, absque Simonia pro ingressu Religionis temporale exigere non valent. Ita expresse statuunt Pontifices, & Concilia. Lateranense sub Alex. III. decernit: *Monachi non pretio recipiantur in Monasteria*: & iterum IV. Lateranense sub Innoc. III. can. 64. scribit: *Quoniam simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cetero fiat prohibemus, statuentes, ut quæcumque de cetero talem commiserit pravitatem, tam recipiens, quam recepta, sive sit subdita, sive sit Prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris Regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda.* Et ne quis in excusationem afferat morem, & consuetudinem, idem Concilium canone 19. subdit: *Putant plures ex hoc sibi licere, quia legem moris longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non satis, quia cupiditate excæcati sunt, attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam.* Similiter ut omnem ignorantiæ tolleret excusationem canone 64. dixerat: *Verum, ne per simplicitatem, & ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœceses publicari.*

V. Idem docent Theologi. S. Th. in IV. dist. 25. q. 3. a. 2. quæstiunc. 2. ad 7. cum sibi objecisset *in quibusdam Monasteriis, præcipue Monialium, exigi aliquid ab eis, quæ ibi recipi debent.* Respondet, *quod si sine gravamine Ecclesiæ potest recipi, simoniacum est aliquid pro receptione exigere.* S. Antoninus in Summa part. 2. tit. cap. 5. §. 18. docet: *Si Monasterium sit abundans, nullus ibi debet esse tractus de temporalibus in receptione. Et hoc est contra communem abusionem, quia quanto Monasterium est abundans, tanto volunt majores dotes.*

VI. Si vero Monasterium tenue sit, nec habeat unde ingressum petentes alere possit, licet

licet tunc aliquid pro ipsius postulantis sustentatione exigere. Ita docent etiam nobiliores Doctores 1. S. Th. loc. superius laud. recitatis mox verbis præmiserat: *Cum possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat Monasterium unde ei possit providere, & ideo non committitur Simonia.* Et luculentius in Summa 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. *Dicendum, quod pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; licet tamen si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes. Similiter etiam licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad Monasterium ostendit: largas eleemosynas faciendo, facilius in Monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est aliquem e converso provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum; licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu monasterii, ut habetur 1. quæst. 11. cap. Quam pio.* Idem docet & S. Raymundus lib. 1. tit. 1. §. 22. *Si Monasterium esset adeo tenue, vel paupertate depressum, quod reditus vel vix, vel non sufficerent personis præsentibus, non solum intentionem possent habere, sed etiam credo quod possent dicere: Non sufficiunt nobis, libenter suscipimus te ad spiritualia, ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones; & tunc ille offerat se & sua.* Quam doctrinam approbat, & exscribit etiam D. Antoninus loc. superius laud., & similia docent S. Bonaventura in Apologetico c. 18. & Dionysius Carthus. lib. de Simonia, & Petrus Cantor Verbi abbreviati cap. 38.

VII. Optime itaque statuit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. *Ut in Monasteriis tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum, vel a consuetis eleemosynis commode possit sustentari.* Ex quo *Decreto* plane consequitur, in his Monasteriis in quibus juxta redituum vel eleemosynarum copiam præfixus est Religiosorum numerus, nihil exigendum esse ab illis, qui ingredi postulant; quidquid etenim acciperetur, jam non pro alimentis, & sustentatione daretur, sed propter Religionis ingressum, quod profecto Simoniæ labe non careret. Nihilo tamen secius non sunt Simoniæ damnanda illa etiam Monasteria, in quibus licet præfinitus sit Monialium numerus, attamen adhuc dotem ab ingredientibus accipiunt, sed præ oculis habenda prudens œconomia, a Sacra Congregatione Concilii interprete præstituta a Fagnano relata; quæ *animadvertens Sanctimonialium Monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse, & propter ingruentes necessitates, & casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontificibus approbantibus, sanxit, ut dotales eleemosynæ a Monialibus numerariis persolverentur, tametsi numerus sit taxatus ad mensuram redituum Monasterii*: nonnullis tamen adjectis conditionibus accurate custodiendis, servandisque, videlicet 1. ut pecunia, quæ nomine dotis dabitur, convertatur vere in emptionem tanti annui reditus, vel in redemptionem tot bonorum Monasterii oppigneratorum, ut sic reditus Monasterii tantum augeantur, quantum sufficiant pro victu puellarum in Moniales recipiendarum. 2. Quod hoc augmentum non privatim vertatur in utilitatem ipsarum puellarum, sed in totius Monasterii communem usum, ex quo & ipsæ puellæ cum aliis

ali

aliis poterunt. 3. Ut licitum sit Puellarum parentibus vel propinquis se ad annuam præstationem obstringere solvendam pro necessitatibus puellarum, dum vixerint, dummodo tamen hæc pecunia minime eis detur puellis, sed recta deferatur ad manus Abbatissæ, vel Superiorissæ, & bonis communibus Monasterii uniatur, ex quibus postea subveniat arbitrio suo necessitatibus earum Monialium, pro quibus fuerint persolutæ, & siquid supersit, in utilitatem cedat, & communem usum totius familiæ. Sunt præterea servandæ etiam leges & statuta cujuscumque Diœcesis, vel in Synodis, vel per Episcopos, tum ad communitatem servandam vel inducendam, tum ad Paupertatis votum sartum tectumque custodiendum constituta. Legantur ea, quæ hac de re habet, & docet sapientissimus Pontifex Bened. XIV. in suo opere de Synodo Diœcesana lib. 11. cap. 6. n. 2. & sequent.

VIII. Si vero dos ad Puellæ alimenta sufficiat, non est addendus annuus census sive præstatio, sicut e contra si annui census constituantur, qui ad eadem satis sint alimenta, non est dos expetenda, cum nihil sine Simonia exigi possit præter puellæ sustentationi necessaria, tunc enim pretium evadere receptionis vel ingressus, ut optime statuit S. Carolus Borromæus in suo Concil. II. Mediolanensi, ubi tum dotis, tum annui census taxationem Episcopo, non ipsis Monialibus, ut 1. Concilio decreverat, reservavit. *Episcopus tum impensas æstimet, quæ & in Religionis ingressu, & tempore professionis fieri solent pro vestitu, & aliis rebus ad ipsius puellæ & Monasterii usum commoditatemve pertinentibus; tum pecuniæ summam, quam puella alimentorum nomine Monasterio dat, nisi census, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus ejusdem judicio ad alimenta satis sint, Monasterio attribuantur.*

IX. Cum in Defunctorum funeribus plures habeantur actiones, nimirum Parochi & Ecclesiasticorum præsentia, & ad sepulturam consociatio, cadaveris ad sepulcrum delatio, & fossæ seu sepulturæ apertio, nec non locus, ubi cadavera tumulantur, nonnulla sunt circa hæc omnia attendenda. Et quoad primum attinet, est præ oculis habendum Decretum Innoc. III. in cap. ad *Apostolicum* Ext. de Simonia, ubi sic statuitur: *Quid Clerici pro exequiis mortuorum pecuniam exigunt, & extorquent, & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt, quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari; statuentes, ut per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* Ex quo Decreto hæc tamquam certa colliguntur. 1. Non licere absque Simonia saltem juris Ecclesiastici aliquid pro funeribus exigere & extorquere. 2. Multo minus licere vel sepulturam denegare, vel diutius differre cum familiæ defuncti molestia & incommodo, ut major pecuniæ summa extorqueatur. 3. Licere tamen post defuncti corporis tumulationem ea vel accipere, quæ sponte offeruntur, vel quæ a legibus vel synodalibus, vel Episcopalibus, vel a laudabili & adprobata consuetudine sunt pro funeribus præstituta, exigere, & postulare. 4. Defunctorum propinquos teneri præfatas oblationes a Constitutionibus vel consuetudine præstitutas persolvere, & ad hoc compelli jure posse a legitima potestate.

X. Non licet tamen ecclesiasticis viris statutum condere de non associando cadavere, nisi certa pecuniæ summa persolvatur, ut docet S. Th. 2. 2. q. 100. a. 3. ad. 2. scribens: *Illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicujus, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem; quia per tale statutum præcluderetur*

vetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. *Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur: quia per hoc non praecluderetur via aliis exhibendi*.

XI. Quoad actionem vero deferendi ad tumulum cadavera, fossam, vel sepulcrum aperiendi, licet olim primis Ecclesiæ seculis opus Ecclesiasticum & spirituale habitum fuerit; nam D. Epiphanius & antiquiores nonnulli Patres Fossores inter Ecclesiæ minostros connumerarunt, modo tamen munus est mere laicale, & a laicis exerceri solet, qui proinde absque ullo Simoniæ piaculo pro suo labore justum pretium petere possunt & exigere.

XIII. Quoad locum vero sepulturæ, si profanum sit, materiam Simoniæ nequit constituere, unde emi & vendi potest, ut docet S. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3. scribens de Abrahamo: *Dicendum, quod spelunca duplex, quam Abraham emit in sepulturam, non habetur, quod erat terra consecrata ad sepeliendum: & ideo licebat Abrahæ terram illam emere ad usum sepulturæ, ut ibi institueret sepulcrum; sicut etiam nunc liceret emere aliquem agrum communem ad instituendum ibi cœmeterium, vel etiam Ecclesiam*. Si vero locus sacer sit, vendi non potest; cum, ut habetur cap. *Ad abolendam*, Cœmeterium terra sancta sit, & immunis, in qua sepulturam habere fideli jus competit post mortem. Consuevit tamen aliquid ab eis exigi, & expectare, qui vel in aliquo peculiari Ecclesiæ loco, vel in aliquo sibi proprio sepulcro humari postulant, cum hic reputetur honor omnino profanus, & non sacer & religiosus. Non licet tamen laicis sepulturæ locum vendere, cum ad Ecclesiam pertineat, cujus proinde domini non sunt, & pro libito disponere non valent.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quid vetitum sit Monasteriis omnibus pro ingressu Religionis exigere.*

II. *Nonulla alia illicita in receptione Monialium.*

III. *Quænam sint Monasteria opulenta, quæ nihil pro ingressu exigere queunt.*

IV. *Non sunt licitæ propinæ Monialibus ab ingredituris distribuendæ.*

V. *Nec quid amplius exigendum ob defectus petentis, vel aliis de causis præter sustentationis necessitatem.*

VI. *Quid vetitum ab Urbano V. in ingressu, & professione Monialium.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. IN Monasteriis tam virorum, quam mulierum, sive tenuiora sint, sive opulentiora, non licet aliquid exigere sive pro prandio, sive ad Sacristiæ, vel Ecclesiæ ornamentum, sive aliquo quovis nomine. Ita expresse jubet Urbanus V. in sua Constit. quæ incipit *In vinea Domini Sabaoth* scribens *Universis Prioribus, Abbatibus, Abbatissis, Priorissis tenore præsentium auctoritate Apostolica, quamvis sit eis jure prohibitum, districtius inhibemus, ne tam a maribus, quam a mulieribus ingredi eorum Religionem volentibus in earumdem personarum receptione, vel ante, vel post illam quocumque pastus, seu prandia, vel cœnas, pecuniam, jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemlibet alium pium usum deputata, vel deputanda, directe vel indirecte, petere vel exigere quoquo modo præsumant*. Quem morem, cum nulla ratione cohonestari valeat, ab Episcopis compescendum docet Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana lib. 11. cap. 6. n. 6.

CON-

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Illicitè omnino sunt sumptuosi apparatus, musici concentus, comessationes, munera, & alia hujusmodi, quæ fieri solent in Monialium ingressu & professione, quæque, si ex pacto expresso, vel tacito fiant, labe Simoniæ non carent. Ita aperte docent Navarrus in tract. de Reditibus quæst. 1. ubi hæc habet: *Quid quæso dicemus ad prodigas illas expensas, & profanos apparatus fieri solitos ex pacto tacito, vel expresso, dum Puellæ vel ingrediuntur in Monasterium, vel professionem emittunt? Quid aliud moderatius, quam ut hæc vehementer interdicantur, & culpentur, & puniantur illæ, quæ taliter faciunt, & simul etiam doceantur, quam honestior appareat cunctis hac inspicientibus, modesta quædam humilisque temperantia spirituali juncta contemplationi, quam pompposa profanitas mundanæ cuidam admixta voluptati in funeralibus ejus, quæ per professionem moritur mundo, & nascitur, vel excrescit Deo?* Quod & confirmat Turnelius de Simonia cap. 4. sect. 3. &c. ubi hæc habet: *Non plus exigatur, quam congrua sustentati eni necessarium sit, quia pasita congrua sustentatione quod superest, exigi nequit nisi titulo Religionis, quod est simoniacum. Ita Doctores communiter. Hinc colliges cum Navarro & Decoq quid dicendum sit de exactione conviviorum, prandiorum, donorum, quæ Superioribus offeruntur, & similium, quæ si ex pacto expresso vel tacito fiant, a gravi culpa excusari nequeunt.* Legatur Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana loc. sup. laud. n. 7. unde ista delibavimus.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Monasterium dives dicitur & opulentum, quod proinde nihil exigere potest a petentibus ingressum, quando juxta Tridentinum ea habet, queis Monialium vel Monachorum præstitutus numerus sustentari commode valet, & sicut non est expectanda arcta necessitas, & summa indigentia, ut tenue dicatur Monasterium, ita nec inter necessaria computanda sunt, quæ religiosæ parcitatis, paupertatis & modestiæ limites transgrediuntur, nimirum quæ ad splendidiora construenda ædificia, ad Templa pretiosioribus incrustanda marmoribus, ad Altaria auro & argento oneranda, ad parietes pretiosioribus picturis vel aulæis auro renidentibus, & varia arte elaboratis convestiendos, ad hortos peregrinis floribus, vel fructibus excolendos, ad hospites lautiori apparatu excipiendos, ad sumptuosiores epulas instruendas corrogantur & coadunantur. Audiatur Dionysius Carthusianus lib. de Simonia art. 17. scribens: *Insuper contingit, quod falso prætendatur insufficientia ex eo, quod proventus Monasterii passim impendantur contra fundatarum, ac Ecclesiæ intentionem in usus a natura bonorum Monasterii plane diversos, quo ex capite valde temerarie paupertatis sive insufficientiæ titulo persuadent sibi licere, pecuniam ab ingressuris petere, qui ex bonis Monasterii magnifica construunt ædificia, divitias atque pompam seculi magis quam religiosam simplicitatem, atque paupertatem exhibentia, aut ex illis mensas sumptuosiores, quæ magis mundi delicias, quam Christi pænitentiam redolent, vel etiam superbam colligunt supellectilem &c.* Hinc patet laxam esse, & rejiciendam Salmanticensium opinionem docentium, titulo sustentationis honestari, quod Monasteria nobilium Monialium pinguiorem dotem, & majorem summam pro ingressu sustentationem exigant, quia quo sunt Monasteria celebriora, majores sumptus habent, & sic major summa, ut dos, pro ingressuris assignatur. Videantur quæ diximus ex S. Antonino cap. præced. num. 4.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Falsa quoque mihi videtur altera eorumdem Doctorum opinio, quia dicunt tract. 19. de

19. de Sim. cap. 2. punct. 7. n. 4. titulo sustentationis *honestari quasdam distributiones pecuniæ, quæ vulgo vocantur propinæ, quæ Monialibus dantur in aliquibus Monasteriis, & ab ipsis exiguntur, quando Novitiæ ingredi volunt, quia se habet ut pars dotis, hæc enim non consistit in indivisibili, sed pars illius tota distribuitur Monasterio, & pars ad solvendas necessitates Monialium inter illas per modum propinæ distribuitur*. Nam dos datur non ad sustentationem Monialium, quæ gratis largiri debent ingressum in Monasterium, sed ad sustentationem ingredientis, cui temporalia ob veram paupertatem Cœnobia nequeunt suppeditare: dum igitur Moniales & accipiunt & exigunt partem dotis tamquam *propinam*, convincuntur vendere ingressum in Religionem; accipiunt enim & exigunt temporalem sustentationem, ut tribuant eis spirituale, & sic veram committunt Simoniam. Nec dicant Salmanticenses, hanc partem dotis per modum *propinæ* distributive Monialibus in sustentationem redundare ipsius ingredientis, quæ & ipsa postea parem utilitatem exiget, & accipiet ab ingredientibus post ipsam; nam hoc modo esset emere ingressum in Religionem, ut iterum vendatur, quod profecto non tollit, sed duplicat Simoniæ reatum. At dos, inquiunt Smalmanticenses, non est indivisibilis. Fateor. Sed quid inde? Numquid quia indivisibilis non est, erit dividenda inter Moniales per modum propinæ? Quis sapiens intelliget hæc? Pecunia, quæ pro dote pauperi Cœnobio tribuitur, juxta Summorum Pontificum statuta est convertenda vel in emptionem annui reditus, vel in redemptionem tot bonorum Monasterii oppignoratorum, ut sic reditus Monasterii tantum augeatur, quantum sufficiat victui puellæ in Monasterium recipiendæ. Hic est legitimus dotis usus, hæc unica & legitima ratio cur exigi queat & accipi; quicumque alius usus corruptela est & abusus a Virginum Monasteriis eliminandus ab Ecclesiæ Pastoribus.

Consectarium Quintum.

V. Non licet uberiorem exigere dotem; quia puella recipienda sit deformis, vel minus nobilis, vel vidua, vel aliqua notata infamia, vel quia supra præstitutum numerum recipiatur, vel quia aliam, vel alias habeat in eodem Cœnobio sorores. Et ratio quidem de se manifesta est; cum enim non alio nomine recipi possit dos a puellis nisi in earum sustentationem, quam Monasterium ob paupertatem nequit illis suppeditare; cetera quæ afferuntur motiva, & causæ non nisi Simoniæ palliationes sunt, vera mercimonia, & turpes nundinationes, quibus carius venditur illis puellis in Monasterium receptio. At inquiunt, hoc fit, ut difficilior illis reddatur ingressus in Monasterium; at quis non videt, hoc pacto ideo difficiliorem reddi præfatis puellis, ut carius illis vendatur, & carius vendi, ut difficilior efficiatur? Vel igitur recipiendæ non sunt hujusmodi puellæ, si ad munia Religionis ineptæ sunt, si leges Monasterii non concedant; vel si recipiantur, nihil ultra eorum sustentationem est exigendum. Juvat hic Tridentini, & Lateranensis Conciliorum decreta proponere. Illud sess. 25. cap. 16. statuit, *Neque ante professionem, excepto victu, & vestitu illius temporis, quo in probatione est*, QUOCUMQUE PRÆTEXTU ... *Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur*. Illud can. 64. *Quoniam simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cetero fiat penitus prohibemus*. Quid si puella, quæ ingressum petit, infirma sit, debilis, Monasterio proinde onerosior futura, non

non licebit aliquid supra communem dotem exigere ? Primum dico, si ob præfatas infirmitates inepta sit puella religiosis officiis, & muneribus, nullo modo est recipienda & admittenda ad Professionem: si vero ejus infirmitas talis non sit, ut ineptam non efficiat, sed tamen pluribus indigeat, illicitum non erit uberiorem dotem accipere, tunc enim non exigeretur nisi in puellæ sustentationem, quæ ob suas infirmitates plus cogitur accipere quam ceteris datur sororibus: semper tamen videndum, ne infirmitatis prætextu nundinatio & mercimonium tegatur.

Consectarium Sextum.

VI. Prandia, cœnas, pastus, jocalia, munera pro Ecclesia vel Sacristia exigere a puellis ingressuris Monasterium omnino interdicitur ab Urbano V. Constitutione *in Vinea Domini*, ubi sic jubet, & statuit: *Universis Prioribus, Abbatibus, Abatissis, Priorissis tenore præsentium, auctoritate Apostolica, quamvis sit eis jure prohibitum, districtius inhibemus, ne tam a maribus, quam a mulieribus ingredi eorum Religionem volentibus, in earumdem personarum receptione, vel ante, vel post illam quecumque pastus, seu prandia, seu cœnas, pecuniam, jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemlibet alium pium usum deputata, vel deputanda, directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo præsumant*. Quam Urbani Constitutionem vigere etiam nostris temporibus, nec contraria consuetudine abolitam esse declaravit sapientissimus Pontifex Bened. XIV. de Synodo Diœcef. lib. 11. cap. 6. n. 6. scribens: " Illud autem curabit Episcopus, „ ne ultra præfinitam dotem Monasterio „ pendendam, alia pecuniæ summa a puellis „ extorqueatur in Monialium commodum, „ aliosque usus impendenda, qui ad puellæ „ sustentationem nequaquam pertinent; id „ quippe *eum nulla ratione cohonestari valeat*, „ adhuc remanet sub censura Extrav. Ur„ ban. V. " cujus verba, quæ superius recitavimus, exscribit.

CAPUT XI.

De Simoniacorum pœnis, & Restitutione.

DOCTRINA.

I. *Pœna in Simoniacos lata.*
II. *Quænam Simoniæ species pœnis subjiciatur.*
III. *Simonia pure mentalis nulli ecclesiasticæ subjicitur pœnæ.*
IV. *Sicut nec pure conventionalis.*
V. *Quid de Simonia conventionali mixta.*
VI. *Quibus pœnis subjiciantur, qui Ordines vel conferunt, vel suscipiunt simoniace.*
VII. *Et qui Beneficia vel conferunt, vel adipiscuntur.*
VIII. *Pœnæ contra Simoniam fiduciariam lata.*
IX. *Et contra simoniace ingressum in Religionem obtinentes.*
X. *Pretium simoniacum restituendum est ante omnem sententiam Judicis.*
XI. *Non tamen illi, qui turpiter dedit, sed Ecclesiæ, vel pauperibus.*
XII. *Fructus quoque a Simoniaco percepti sunt restituendi.*

I. TRIa sunt pœnarum genera in Simoniacos lata, videlicet, 1. privatio rerum per Simoniam acquisitarum. 2. Restitutio pretii simoniaci accepti. 3. Excommunicatio latæ sententiæ, & suspensio ab exercitio Ordinum cum reservatione utriusque pœnæ ad S. Sedem.

II. Sola Simonia commissa in Beneficiis, in Ordinibus, & in ingressu in Religionem subjicitur canonicis pœnis. Hinc Simonia in venditione sepulturæ, Missæ, Concionis,

nis, aliarumque rerum facrarum, præter præfatas Ordinis, Beneficii, & Religionis ingreffus, lethale quidem peccatum eft, at minime ecclefiafticis pœnis Simoniacus fubjicitur.

III. Simonia pure mentalis peccatum eft, at nulli ecclefiafticæ obnoxia pœnæ. Ita S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 6. " ,, Dicendum, quod quoad Deum fola vo- ,, luntas facit fimoniacum; fed quoad pœ- ,, nam ecclefiafticam exteriorem non puni- ,, tur ut fimoniacus, ut abrenuntiare tene- ,, atur; fed debet de mala intentione pœ- ,, nitere ".

IV. Simonia pure conventionalis, quando nimirum facta quidem eft conventio de temporali dando, & fpirituali accipiendo, fed neutrum traditum eft, peccatum quidem lethale eft, at pœnis non fubjicitur canonicis, cum nondum realis fit & completa.

V. In Simonia vero conventionali mixta ex reali, quando nimirum vel datum eft fpirituale, & temporale pacto promiffum, vel viciffim, difcrepant Theologi, num fpirituales pœnæ contrahantur. Et 1. quidem conveniunt, quod fi accepto pretio, vel quid minimum rei fpiritualis traditum fuerit, vel e contra, fi accepta re fpirituali etiam minima pars pretii perfoluta fit, jam habeatur completa realis Simonia, ac proinde Simoniaci canonicis pœnis fubjiciantur. 2. Conveniunt in confidentia beneficiali idem continere, licet qui Beneficium permutavit cum pacto acceptum Beneficium in favorem tertii refignandi, vel fructuum partem alteri concedendi, poftea juxta pactum vel refignare renuet, vel fructuum partem nolit alteri cedere, quia in fua Conftitutione S. Pius V. ftatuit, etiam a folo accipiente Beneficium pœnas incurri. At quoties in Simonia non confidentiali tradita quidem eft res fpiritualis, at non pretium, quod folum promiffum eft, plures arbitrantur pœnis non fubjacere, ut fi qui accepit fpirituale, & promifit pecuniam, pœnitens poftea pecuniam folvere recufat, quia, inquiunt, Simonia non eft completa, & cenfuræ non infliguntur nifi opere completo. Verum longe probabilior mihi videtur contraria opinio, tum quia Simonia confiftit non tam in executione, quam in ipfo fimoniaco pacto, unde a D. Thoma definitur per actum voluntatis emendi vel vendendi fpirituale pro temporali: porro hæc ftudiofa voluntas jam perfecte impleta eft, quando tradita fpirituali re expectatur folutio promiffi pretii. 2. Quia emptio, venditio, locatio cenfentur completæ, quotiefcumque merces, ager, domus alteri contrahenti traditum eft, licet pretium non fit ftatim perfolutum, fed perfolvendum refervetur ftatuto tempore. 3. Quia hoc pacto via fraudibus fterneretur latiffima, qui enim fimoniace Beneficium emiffet, nunquam profecto vellet pactam pecuniam perfolvere, ut ita & Beneficium tuta confcientia retinere poffet, & pecuniam fibi refervare, & fic fimoniacis pactionibus aditus pateret. Pari pacto pœnas incurrunt etiam qui Simoniam perpetrant folius ecclefiaftici juris, quia lex non diftinguit inter Simoniacos, fed contra omnes indifcriminatim pœnas tulit.

VI. Simoniace fcienter ordinans, & fimoniace fcienter ordinati Simonia reali & completa, ficut & qui talis ordinationis mediatores funt, excommunicationi refervatæ Summo Pontifici fubjiciuntur. Præterea Ordinans fufpenfus remanet a collatione cujufvis Ordinis etiam Tonfuræ, nec non ab exercitio aliorum omnium Pontificalium officiorum. Interdicitur etiam ab ingreffu Ecclefiæ, & ab adminiftratione propriæ Ecclefiæ fufpenditur, nec non a perceptione fructuum Beneficiorum omnium, quæ poffidet, a quibus fingulis pœnis non nifi ab Apoftolica Se-

de

de absolvi potest, ut ex cap. 45. de Simonia ex Bulla Sixti V. quæ incipit *Sanctum & salutare*. Quam Bullam Theologi, quo fundamento nixi in multis locis non esse usu receptam doceant, me ignorare fateor. Simoniace vero ordinati præter præfatam excommunicationem, suspensionem etiam incurrunt nedum ab ordine suscepto, sed ab omnibus aliis, quamvis licite susceptis, & si in ordinibus ministrent, irregulares evadunt.

VII. Pœnæ vero Simoniæ realis circa Beneficia, & officia spiritualia sunt 1. excommunicatio Summo Pontifici reservata; cui subjacet etiam, qui tali simoniaco pacto alteri quovis modo Beneficium procurat, ut constat ex cit. cap. de Simonia, & ex Bulla Sixti V. contra male promotos. Præterea ipsa collatio & provisio Beneficii simoniace facta irrita omnino est & nulla, proinde & Beneficium renuntiare tenetur, & cum non faciat fructus suos, eos omnes quos percepisset, restituere debet, ut statuit Martinus V. in Concilio Constant. sess. 43. Et constat ex laud. Extravag. Pauli II. Tertio simoniace electus vel provisus fit inhabilis ad idem Beneficium ulterius obtinendum, nec ab Episcopo dispensari potest. Quarto ineptus evadit ad quæcumque alia Beneficia vel dignitates obtinendas. Hisce pœnis subjiciuntur etiam, qui propria auctoritate Beneficia permutant, cum in jure vere simoniaci reputentur. Sicut qui etiam Regularium Prælaturas simoniace obtinent, quia licet Beneficia non sint, sunt tamen officia, quæ spiritualem, & ecclesiasticam jurisdictionem habent annexam.

VIII. In confidentiam vero beneficialem hæ latæ sunt pœnæ. 1. Excommunicatio reservata Papæ, si contrahentes simoniace sint Episcopo inferiores, Episcopis enim indicitur interdictum ab ingressu Ecclesiæ. 2. Beneficio per Simoniam confidentialem obtento, ipso facto ante omnem judicis sententiam privantur, seu potius ejus collatio nulla, & irrita habetur. 3. Inepti omnino efficiuntur tum ad illud, tum ad alia obtinenda Beneficia. 4. Ceteris Beneficiis cum pensionibus etiam legitime, & licite acquisitis privantur. 5. Beneficia per hujusmodi Simoniam collata & acceptata Papæ reservantur, nec in manibus Ordinariorum queunt resignari, vel ab illis conferri. 6. Fructus Beneficiorum per confidentiam acquisitorum, ubi mos est & consuetudo, Cameræ Apostolicæ reservantur. Hæc omnia statuta leguntur in Bullis 85. Pii IV. & 84. & 85. S. Pii V.

IX. Qui vero Simoniam committunt pro ingressu in Religionem, si sint privatæ personæ, excommunicatione innodantur Summo Pontifici reservata; si vero sit Conventus vel Communitas, suspensionem, ipso facto incurrit reservatam Summo Pontifici ab omnibus capitularibus officiis, quæ ad Ecclesiasticam attinent administrationem, ut habetur in cap. *Sine* ex. de Simonia. Receptus vero, ac professus per sententiam declaratoriam Judicis in arctius Monasterium est detrudendus, interim tamen dum in Monasterio manet, omni voce activa, & passiva privatur. Præterea Simoniæ infamiam etiam incurrunt, & propterea fiunt irregulares, si crimen sit notorium notorietate juris & facti; hinc optime animadverterat S. Thom. hic q. 100. art. 6. " Quod Simoniaci tam „ vendentes, quam ementes spiritualia, aut „ etiam mediatores aliis pœnis puniuntur, „ scilicet infamia, & depositione, si sint „ Clerici; & excommunicatione, si sint lai„ ci, ut habetur 1. quæst. 1. cap. *Si quis* „ *Episcopus*. "

X. Qui pretium simoniacum accepit, illud ante omnem sententiam Judicis non solum positivo jure, sed & naturali ac divino restituere tenetur. Ita aperte docet D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. in corp. ubi sic docet: *Dicendum, quod nullus potest licite retinere id*

quod

quod contra voluntatem domini acquisivit : puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licite retinere non posset. Et in resp. ad 4. subdit: *Dicendum, quod pecunia, vel possessio, vel fructus simoniace accepti debent restitui*. Quod verum est etiam in illis rebus, quæ solo jure ecclesiastico vendi prohibentur, cum auctoritate Ecclesiæ a rebus temporalibus sejunctæ sint, & inter spiritualia nunquam pretio vendenda, connumeratæ. Ad eamdem restitutionem tenentur etiam mediatores, qui pecuniam perceperunt, ut alteri Beneficium, vel quid spirituale obtinerent, ut docet S. Thom. l. laud. dum subdit, *tam vendentes, quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores aliis pœnis puniuntur*.

XI. Pretium simoniace acceptum non est danti restituendum, sed Ecclesiæ, vel pauperibus, quia turpiter dedit, & eo privari meretur: ita docet S. Thom. l. c. scribens ad 4. " Dicendum, quod pecunia, vel possessio, vel fructus simoniace accepta debent " restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data " fuerunt, non obstante quod prælatus, vel " aliquis de collegio illius Ecclesiæ fuit in " culpa: quia eorum peccatum non debet " aliis nocere: ita tamen quod quantum fieri " potest, ipsi qui peccaverunt, inde commo- " dum non consequantur. Si vero Prælatus, " & totum Collegium sunt in culpa, tunc " debet cum auctoritate superioris vel pau- " peribus, vel alteri Ecclesiæ erogari ". Et in responsione ad 1. de simoniace ad Ordines promoto dixerat, quod *est ipso jure suspensus . . . . . nec potest pecuniam repetere, quam turpiter dedit, licet alius injuste detineat*. Nec obstat, quod solvens pretium pecuniæ suæ dominium non amittat, quippe quia cum turpiter dederit, meretur pecunia sua privari. Licet vero cap. unicus extr. de Simonia statuatur; pecuniam a quodam persolutam, ut ad Monasticum institutum reciperetur, esse fratri, qui dedit, restituendam, hoc ideo factum est, quia, ut dicit Pontifex, *bona fide eam persolverat* putans licere, quia dictum illi fuerat, *hoc esse de consuetudine Monasterii*.

XII. Fructus Beneficii simoniace obtenti retineri a Simoniaco non possunt, sed ante Judicis sententiam sunt pauperibus distribuendi. Ita S. Thom. l. c. ad 3. docens: *Si aliquis scienter accipiat . . . . . Ecclesiasticum Beneficium . . . . tenetur ad restituendos fructus non solum perceptos, sed etiam eos qui percipi potuerunt a possessore diligenti* (quod tamen intelligendum est de fructibus, qui supersunt deductis expensis factis causa fructuum, exceptis fructibus illis, qui alias expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ).

CAPUT XI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Bona temporalia per Simoniam acquisita sunt restituenda ex justitia*.
II. *Etiam pretium Simoniæ mentalis est restituendum*.
III. *Nonnullæ laxæ Gibalini propositiones*.
IV. *Quid teneatur restituere, qui alteri Beneficium simoniace impetravit*.
V. *Simoniæ ignarus renuntiare Beneficio tenetur, quod simoniace est adeptus*.
VI. *Quid si Simoniæ contradixerit?*
VII. *Qui simoniace Beneficium adeptus est, nisi sit fiduciaria Simonia, non privatur Beneficiis antea habitis, sed ineptus efficitur ad alia habenda*.
VIII. *Quid possint Episcopi in absolutione a censuris & pœnis contra Simoniacos latis*. *Reflexio*.

CON-

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. BONA temporalia per quamcumque Simoniam acquisita sunt restituenda non ex religione tantum, seu ex statuto Ecclesiæ, sed quia sunt acquisita contra justitiam. Plurimi sunt Theologi, inter quos præcipue Salmanticenses, qui aperte docent, in emptione vel venditione sacrarum rerum nullam committi injustitiam, proinde inferunt, solum in Simonia commissa ad obtinendum Beneficium, vel ad Ordines recipiendos, vel in ingressu ad Religionem Simoniacos ad restitutionem teneri, in aliis vero simoniacis nundinationibus a restitutionis onere esse Simoniacos immunes. Hujusce falsitatem doctrinæ primo ostendit propositio 22. ab Alex. VII. proscripta, quæ ajebat: *Non est contra justitiam Beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia ecclesiastica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* 2. Evincit S. Thom. doctrina 2. 2. q. 32. art. 7. scribentis: " Alio „ modo est aliquid illicite acquisitum: quia „ ille quidem, qui acquisivit, retinere non „ potest, nec tamen debetur ei, a quo ac„ quisivit, quia scilicet contra justitiam ac„ cepit, & alter contra justitiam dedit, „ sicut contingit in Simonia, in qua dans, „ & accipiens contra justitiam legis divinæ „ agit: unde non debet fieri restitutio ei, qui „ dedit, sed debet in eleemosynas erogari ". 3. Ipsa ratio evincit, nam Deus jubet ut spiritualia gratis conferantur, & omnium spiritualium rerum venditionem vetuit, quippe quæ nullo sunt temporali pretio æstimabiles; ergo contra justitiam peccat, quando emit, quod non est vendibile. Unde optime scribit D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. „ Neminem posse retinere id, quod con„ tra voluntatem domini acquisivit, pu„ ta si aliquis dispensator de rebus domini „ sui daret alicui contra voluntatem, & or„ dinationem domini sui, ille qui accipe„ ret, licite retinere non posset ". In quo exemplo clare ostendit Angel. P. in simoniaca emptione non solum religionem violari, sed & justitiam.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Etiam pretium acceptum ob solam mentalem Simoniam est restituendum. Pari enim pacto est ratiocinandum & de usura mentali, & de Simonia; sicut itaque, qui mutuum dedit spe & animo aliquid ultra sortem accipiendi, licet id in pactum non deducat, ad restitutionem tenetur; ita qui Beneficium, vel rem spiritualem confert animo & spe aliquod temporale recipiendi ad restitutionem tenebitur, cum in utroque casu justitia violetur, vendendo, & pretium sperando de re, quam Christus jussit gratis præstandam. Nec obstat, quod legitur in cap. *Mandatum* Extr. de Simonia, ubi Gregorius IX. videtur declarare, accepta ob Simoniam mentalem non esse restituenda, statuens: *Et ad resignationes spiritualium & temporalium, quæ nullo pacto sed affectu animi præcedente utrinque taliter acquisivit, in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori, eos pro Simonia hujusmodi non teneri*. Non obstat, inquam, nam ibi Pontifex declarat, mandatum Apostolicum concessum Legato dispensandi Monachos a Simonia, extendi etiam ad Abbates; ac proinde posse ab ipso liberari ab onere restitutionis ob mentalem Simoniam, quam Monachi fatebantur se commisisse, relinquendo bona taliter accepta in beneficium Ecclesiæ; quare ex hac dispensatione colligendum est, eos alias ea obligatione censeri adstrictos, cum ab ea ab Apostolico Legato per

per dispensationem liberentur. Ita Jueninus, sive Auctor Theoriæ & praxis de Sacramentis Tom. 6. de Simonia cap. 9. n. 5.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Falsæ & laxe habendæ sunt sequentes Gibalini propositiones de Simonia pag. 440. edit. Lugd. *Qui vendunt Reliquias eo quod se vel voluptate, quam ex illis capiebant, vel emolumento, quamvis spirituali duntaxat, privant, non violant justitiam, adeoque non obligantur ad restitutionem*. Sicut dum de illo, qui jurispatronatum vendit contra Decretum Tridentini sess. 25. de Reform cap. 9. scribit: *Ubi autem viget antiquum jus, & venditio valet, non erit restituendum*; cum juxta S. Thom. qu. 100. art. 4. Juspatronatus nullo pacto vendi possit. Similiter dum docet, Episcopum ecclesiasticum officium vendens non teneri ad restitutionem, scribens: „ Pro eo affectu, quo aliis re præfert, & „ privat se facultate benefaciendi aliis, pec- „ cat quidem, sed non committit injusti- „ tiam . . . . quia hæc omnia vulgo magni „ æstimantur, quare sine injustitia com- „ pensabuntur, neque inde nascetur obliga- „ tio ad restitutionem ". Pari pacto dum docet: " Electores, qui pretium accipiunt „ ut indignum eligant, omisso digno, tenen- „ tur ad restitutionem, quia tenebantur ex „ officio dignum eligere. Si vero accipiunt „ ut dignum eligant, non tenentur ad re- „ stitutionem, quia non obligabantur ad „ dignioris electionem. Deinde quod unum „ præ alio eligant, postulant pretium non „ electionis, sed quod præferant unum al- „ teri, propterea non violant justitiam „ commutativam, quod dignum præferant „ digniori ". Præfata hæc doctrina latissimum aperit simoniacis nundinationibus campum.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum Beneficium, tenetur non solum pretium simoniace acceptum, sed etiam, Beneficiario non restituente, Ecclesiæ vel pauperibus fructus ab ipso Beneficiario male perceptos restituere etiam ante omnem sententiam Judicis. Et primo ad pretii restitutionem teneri constat ex dictis præcedenti capite; quoad fructus vero sic aperte docet Bened. XIV. Instit. Eccles. 12. §. 12. ubi sic scribit: *Simoniace ad Beneficia promoti fructus, quos ab Ecclesia exerunt, licet nullum Decretum intercesserit, restituere debent . . . criminis etiam adjutores pro Ecclesiæ utilitate, vel pro sublevandis egenis eosdem fructus in subsidium impendere tenentur*. Et quidem jure meritoque, cum enim fructus illi injuste percepti ad Ecclesiam & pauperes, cujus sunt patrimonia, & quibus fraudantur per iniquum Pastorem, pertineant, sunt illis restituendi.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Qui simoniace Beneficium obtinuit, ipso tamen inscio, & nolente, Beneficium resignare debet, & fructus extantes restituere tenetur, nisi forte fraudulenter per inimicum Simonia patrata fuisset. Ita S. Th. laud. quæst. 100. art. 6. ad 3. " Si vero eo ne- „ sciente, nec volente, per alios alicujus „ promotio simoniace procuratur, caret qui- „ dem ordinis executione, & tenetur resi- „ gnare Beneficium, quod est consecutus, „ cum fructibus extantibus; non autem te- „ netur restituere fructus consumptos, quia „ bona fide possedit: nisi forte inimicus ejus „ fraudulenter pecuniam daret pro alicujus „ promotione, vel nisi ipse expresse contra- „ dixerit: tunc enim non tenetur ad renun- „ tiandum, nisi forte postmodum pacto con- „ senserit, solvendo quod fuerit promissum."

Es

Et quidem statim ac ipsi innotuerit simoniaca pravitas, & ante omnem sententiam judicis, quia ut optime animadvertit idem Angelicus, Beneficio privatur non in pœnam, cum ipsum non deliquisse supponatur, sed quia, ut ante dixerat, *quod aliquis privetur eo quod accepit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ; puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non potest.*

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Qui Beneficium obtinet, quod illi alius impertravit simoniaca nundinatione, sed non contradixerit, Beneficium renuntiare tenetur, quippe qui silentio suo patratam Simoniam adprobare ostendit. Si vero primo contradixerit, sed postea ante possessionem acquieverit, adhuc renuntiare tenetur: si vero constanter in contradictione perstiterit, non tenetur Beneficium a se abdicare, tenetur tamen convalidationem a Sede Apostolica petere & obtinere. Hæc omnia colliguntur & ex decretali Innoc. III. Cap. *sicut* Ext. de Simonia, ubi postquam Summus Pontifex declaravit, Simoniam fraudulenter ab Inimico pattatam non obesse Beneficiario, quia *alioquin contingeret, quod alicujus factum insidias inimico parantis ei damnosum existeret cui penitus displiceret, & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret*: subdit postea de eo, qui Simoniæ contradicit; *Quoniam ex eo quod contra prohibitionem & voluntatem tuam, a qua postmodum minime recessisti, aliquis te penitus ignorante promisit pecuniam, & exsolvit, nihil debet ad pœnam vel culpam sicut credimus imputari*. Et Bened. XIV. in superius laud. Inst. 12. §. 12. aperte docet, quod si quis a Sacra Congregatione absolutionem petat a Simonia commissa ab aliquo tertio inscio Beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante possessionem*, idest modo id non resciverit ante acceptam Beneficii possessionem; tunc enim nec convalidatio tituli conceditur.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Qui simoniace Beneficium obtinuit, non privatur ipso facto Beneficiis antea obtentis, nisi Simonia sit confidentialis; inhabilis tamen remanet ipso facto ad alia Beneficia obtinenda. Et quidem non privari Beneficiis alias legitime acquisitis communiter docent Theologi, cum hoc nulla sit lege sancitum, & hæc peculiaris pœna sit confidentiæ beneficialis, ut statuit S. Pius V. decernens: *Omnes & singulos, qui Ecclesias, Monasteria, Beneficii fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc confidentiæ vitio, receperunt, ac retinent etiam eum omnibus & singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis obtentis, nec non fructibus, pensionibus, & alii rebus ecclesiasticis privatos decernimus*. Illis tamen per judicis sententiam, pensata criminis gravitate, poterit privari. Inhabilitatis autem ad alia Beneficia obtinenda, etiam ante sententiam judicis, pœnam inflixit S. Pius V. sua Constitut. *Cum primum* decernens: *Qui dignitates Ecclesiasticas simoniace acquisiverit, illis sit ipso jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas. Qui Beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, perpetuo sit inhabilis ad ea, & quaecumque alia Beneficia obtinenda*. Addunt quidem Salmanticenses, hanc S. Pii Constitutionem non esse usu receptam: at e contra Cabassutius in Theoria, & praxi juris Canonici ostendit, hanc Constitutionem etiam quoad hoc esse in Galliis acceptatam, ut refert Auctor Gallus Theoriæ, & praxis de Sacramentis Tom. 6. cap. 12. num. 6. qui tamen hallucinatur dum subdit, locum solum habere in foro

foro exteriori, & post sententiam judicis, cum Pontifex dicat, *Quicumque detestabile crimen simoniacæ pravitatis commisisse convictus fuerit*: nam Pontifex statim subdit, *In consequendis Ordinibus eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, ac per annum carceribus mancipetur*. Et has quidem pœnas non incurrit simoniace ordinatus, nisi post sententiam judicis. Verum postea de ceteris simoniacis statuit, ut fint inhabiles ad dignitates & Beneficia ecclesiastica in posterum obtinenda non si convicti fuerint, sed solum *si acquisierint*, *si adepti fuerint*, ut patet ex verbis paulo superius recitatis.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Quoad absolutionem & dispensationem a pœnis, quæ subjiciuntur Simoniaci, hæc D. Thomæ ævo vigebat disciplina, ut scribit l. c. ad. 7. " Dicendum, „ quod dispensare cum eo, qui est benefi„ciatus simoniace scienter, solus Papa po„test; in aliis autem casibus potest etiam „Episcopus dispensare; ita tamen quod „prius abrenuntiet quod simoniace acquisi„vit; & tunc dispensationem consequatur, „vel parvam, ut habeat laicam commu„nionem; vel magnam, ut post pœniten„tiam in alia Ecclesia in suo Ordine re„maneat; vel majorem, ut remaneat in „eadem, sed in minoribus ordinibus; vel „maximam, ut in eadem Ecclesia etiam „majores Ordines exequatur, non tamen „prælationem accipiat." At postea in Concilio Tridentino statutum est: " Liceat E„piscopis in Irregularitatibus omnibus & „suspensionibus ex delicto occulto provenien„tibus, excepta ea quæ oritur ex homi„cidio voluntario, & exceptis aliis de„ductis ad forum contentiosum, dispen„sare, & in quibuscumque casibus occul„tis etiam Sedi Apostolicæ reservatis de„linquentes quoscumque sibi subditos in „Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium „ad id specialiter deputandum in foro con„scientiæ gratis absolvere, imposita pœ„nitentia salutari. Idem & in hæresis cri„mine in eodem foro conscientiæ eis tan„tum, non eorum Vicariis, sit permis„sum." Possunt itaque Episcopi a pœnis in Simonia occulta absolvere, & dispensare. A nonnullis tamen Theologis, & juris Canonici Doctoribus excipiuntur pœnæ latæ contra Simoniacos in susceptione & collatione Ordinum, quippe quia Sixtus V. eas sibi expresse reservavit Constit. 91. quæ incipit *Sanctum, & salutare* derogando omnibus privilegiis & Concilio Tridentino. Reiffenstuel lib. 5. Decretalium tit. 3. num. 335 addit, eam tamen Bullam non in omnibus Regnis ac Provinciis vim obtinere. Qui merito addit, Episcopos, licet ab occulto Simoniæ scelere queant absolvere, non posse tamen Simoniacum ad Beneficia imposterum obtinenda idoneum reddere, licet Simonia sit occulta; excipitur tamen, si Beneficium simplex, immo & Prælaturam aut Dignitatem quis simoniace esset consecutus, ipso tamen invincibiliter ignorante, & bona fide acceptante, debet tamen illa prius libere resignare, nisi forte electio, vel collatio jam foret per sententiam judicis reprobata; tunc enim nequaquam poterit Episcopus dispensationem elargiri.

REFLEXIO.

Tametsi lætandum summopere sit tum sanctissimis Tridentini Concilii statutis, tum Sanctorum Præsulum cura, studio, & diligentia apertam illam exulare ab Ecclesia Dei simoniacam labem, quæ seculis decimo, & undecimo pene totam defœdabat Ecclesiæ faciem; attamen verendum summopere est, ne

ne occulte & ementita veste adhuc serpat, & Sanctuarium polluat, & ad ecclesiastica munia non ii tantum accedant, qui a Deo *vocati sunt tanquam Aaron*, sed & ii, de quibus Dominus conqueri merito possit: *Ipsi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & ego non vocavi eos*. Audiatur Gaufridus Abbas ex S. Bernardo sic declamans Tom. 3. num. 13. " Huic pusillo adhuc aut forsitan necdum nato ecclesiastica Beneficia provida sane parentum sollicitudo parabat. Hunc nos, inquiunt, illi, vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiæ locum, aut cui forte servivimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra dividatur hæreditas. Illum Præpositus aut Decanus ut sibi succederet plusquam materno educavit affectu, in deliciis enutritus, & delictis. Ille dignus Archidiaconatu utpote filius Principis, magis autem si sit consobrinus Episcopi, in quo nimirum tota est episcopata progenies. Alius undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, mistaque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus & pedibus repens, si quo modo aliquando se ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita. Nimirum peregre profectus est, sed in plenilunio fore ut sua districte repetat redditurus."

II. Sunt etiam qui in Ecclesiam irrepunt vel propriis sollicitationibus, vel importunis precibus, vel Magnatum favore, & quandoque etiam Matronarum & principum feminarum patrocinio. De his recte monet Eugenium Pontificem D. Bernardus de *Consider*. lib. 4. cap. 4. " Tuum est undequaque evocare & adsciscere tibi, exemplo Moysis, senes, non juvenes, sed senes non tam ætate quam moribus. quos tu nosti, quia senes populi sunt... Sane huic negotio non se ingerat rogans. Consilio non prece agendum est. Sunt quæ necessario a nobis rogantium aut extorquet importunitas, aut necessitas meretur. At istud in his quæ nostra sunt. Ubi autem non licet quod volo facere, quis locus rogandi? Nisi forte qui me rogat, hoc rogat, ut quod vult, velle liceat mihi, & non magis ut velim. Alius pro alio, alius forte pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus: qui pro se rogat jam judicatus est. Nec interest, per se, an per alium quis roget. Clericum curiam frequentantem, qui non sit de Curia, ad idem notis pertinere ambientium genus. Adulantem, & ad placitum cujuscumque loquentem, unum de rogantibus puta, etiamsi nihil rogaverit. Scorpioni non est in facie quod formides, sed pungit a cauda."

III. Denique sunt, qui ad Beneficia viam sternunt, ut inquit S. Laurentius Justinianus de institutione Prælatorum cap. 16. *opportune, importune, per propinquos, amicos, & notos*. Et licet, ut ipse subdit " saepe scente caritate fidelium, atque ab antiqua perfectione gradu ecclesiastico supra modum deficiente... expediat iis, qui præsunt regimini, juris relaxare rigorem, illosque, qui etiam præesse desiderant, præficere "... Monet tamen Prælatum " non debere omnibus omnia credere, eum Mundi amatores Deum minime timentes, nec mentiri erubescent, nec simulare formident, neque blandiri desinant, neque, ut vota sua, sive justa sive injusta sint, queant perficere, peccare verentur. Qui profecto eum Pastoris mentem non possint arte mutare, vel prece, hanc nituntur superare muneribus, quæ, sacro testante eloquio, judicum corda cæcare consueverunt. Adversus itaque hujusmodi

subdit

[subdit S. Præsul] machinamenta malo-
„ rum, constans & armatus sit Præsul, ne
„ ipsius evertatur affectio, atque cupiditate
„ devictus in eo consentiat, quod conscien-
„ tia nequaquam sibi licere proclamat. "

IV. Sed nec a Religionis ingressu ea omnia absunt, quæ Simoniam redolent, & vix ab ea labe queunt purgari. Nam dum quis filium suum in Religiosorum Monasterium collocare desiderat, non leves nec exiguos debet sumptus impendere. Sunt enim plura scutorum centena eumeranda pro affiliatione obtinenda, sunt & alia, eleemosynæ larva, Sacristiæ donanda, quæ tamen omnia, si Novitium a Religione contingat resilire, licet muneris loco oblata, sunt restituenda; præterea tributa exhibenda Priori, Magistris, Suffragatoribus, quæ vel ex consuetudine juxta graduum dignitatem taxata sunt, vel si arbitrio quoad quantitatem relicta, aliquo sunt tamen modo exsolvenda: addendus census vitalitius, & vestium tanta copia, ut per plures annos satis esse possint, ne vel Conventus in vestitu tribuendo gravetur, vel si vestiarium in pecunia solvatur, hæc in commodum Religiosi cedat. Quid vero de Monialibus dicam? Heu quot dispendiis gravantur etiam nobiliores familiæ! Heu quot. puellæ bonis moribus ornatæ, optimæ indolis, virtutibus claræ, quæ Monasteria sua sanctitate illustrarent, ob paupertatem a religioso, quem anhelant, statu repelluntur, quippe quæ graves illos nequeunt subire sumptus, qui necessarii obtruduntur, non solum pro dote, quæ si exigua esset & paupertati Religiosæ conformis, non eorum parentes perterrefaceret, sed pro censu vitalitio, pro supellectili Cellæ, pro vestibus ad plures annos, pro epulis construendis, pro muneribus singulis Monialibus, Confessariis, Episcopis distribuendis, pro Ecclesiæ apparatu, pro Musica, & cantoribus, pro Poetarum libellis typis imprimendis & affabre compingendis; præterea innumeras pene bellariorum, crustularum cistas benefactoribus, consanguineis, amicis, Patronis, Protectoribus distribuendas. Hæccine justa, necessaria, opportuna censenda sunt pro puella, quæ Mundo moritur, & Christo nudo, pauperi, crucifixo, ceu sponso conjungitur? Num ista omnia consuetudine, Præsulum silentio, Secularium hæc onera subeuntium voluntate, a culpa excusentur, viderint Ecclesiæ Pastores: quos tamen sapientissime monet Benedictus XIV. in suo aureo de Synodo Opere, ut modum imponant sumptuosis apparatibus, musicis concentibus, comessationibus, aliisque hujusmodi quæ cum magno familiarum impendio fieri solent in Monialium ingressu & professione: omnem siquidem mundanam pompam, omnem profanum luxum dedecere spirituales nuptias, quas eligit puella, quæ Deo & Religioni se devovet, scite ponderatum dicit a Navarro, immo superius dixerat, ex illis nonnulla adhuc remanere sub censura Extr. de Simonia inter comm. ubi Urbanus V. utriusque sexus Regularibus stricte inhibuit, ne ante aut post cujusquam in Religionem ingressum quoscumque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu quempiam alium pium usum deputatas seu deputandas, directe vel indirecte petere vel exigere quoquo modo præsumant. Hæc tum Ecclesiæ Præsules, tum ipsi Monialium Confessarii serio considerent, perspiciant, meditentur.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX

Tractatuum, Dissertationum, & Capitum, quæ in hoc Tomo continentur.

TRACTATUS QUARTUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, FIDE, SPE, ET CHARITATE.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT I.

De Fide Theologica. De ejus objecto, aliisque ad fidem necessariis.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT III.

De necessitate Fidei ad justificationem, & salutem, ac de credendis necessitate medii.

DOCTRINA.

CAPUT IV.

DOCTRINÆ CONSECTARIA.

CAPUT V.

De Præcepto fidei affirmativo.

DOCTRINA.

XIII.

CAPUT VIII.

De vitiis Fidei oppositis, scilicet Infidelitate.

DOCTRINA.

CAPUT IX.

De Haeresi.

DOCTRINA.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRAECEDENTIUM DUORUM CAPITUM.

DISSERTATIO II.

DE SECUNDA VIRTUTE THEOLOGICA, SCILICET DE SPE.

CAPUT I.

De natura, & indole Spei, tum prout animi passio est, tum prout est virtus theologica.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA.

CAPUT III.

De subjecto, aliisque Spei Theologicæ conditionibus

DOCTRINA.

IX. Quo

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT V.

De Timore Dei.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

CAPUT VI.

De Vitiis Christianæ Spei oppositis, Desperatione scilicet, & Præsumptione.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

DISSERTATIO III.

DE CARITATE.

CAPUT I.

De Caritatis notione, indole, & prærogativis.

DOCTRINA.

CAPUT II.

De Caritatis objecto, distinctione, & qualitate.

DOCTRINA.

CAPUT III.

CONSECTARIA DOCTRINÆ DUORUM PRÆCEDENTIUM CAPITUM.

C A P U T IV.

De Caritatis incremento , decremento, & interitu .

C A P U T V.

CONSECTARIA DOCTRINÆ.

C A P U T VI.

De Objectis secundariis Caritatis .

D O C T R I N A.

III. Amor

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT VIII.

De necessitate & præcepto Deum diligendi, & de tempore quo urget, ac de modo implendi.

DOCTRINA.

CAPUT IX.

DOCTRINÆ CONSECTARIA.

CAPUT X.

De Amore Proximi, ac Inimicorum Dilectione.

DOCTRINA.

CAPUT XI.

CONSECTARIA DOCTRINÆ.

CAPUT XII.

De Ordine Caritatis.

DOCTRINA.

CAPUT XIII.

CONIECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT II.

De actibus exterioribus Caritatis, Eleemosyna, & Correctione fraterna.

DOCTRINA.

CAPUT XV.

CONSECTARIA PRAECEDENTIS DOCTRINAE.

CAPUT XVI.

De Eleemosyna spirituali, seu de fraterna Correctione.

DOCTRINA.

V. Non

CAPUT XVII.

CONSECTARIA DOCTRINÆ.

CAPUT XVIII.

De vitiis Caritati oppositis, Scandalo, & Cooperatione ad malum.

DE SCANDALO

DOCTRINA.

CAPUT XIX.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

IV. Peccant

CAPUT XX.

De Cooperatione ad malum.

DOCTRINA.

CAPUT XXI.

CONSECTARIA DOCTRINÆ.

præser-

TRACTATUS V.

DE DECALOGI PRÆCEPTIS.

CAPUT I.

DOCTRINA.

CAPUT II.

PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ CONSECTARIA.

TRACTATUS

DE DECALOGI PRÆCEPTIS

PARS PRIMA

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

DISSERTATIO I.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

CAPUT. I.

De natura , objecto , & præstantia Virtutis Religionis .

DOCTRINA.

CAPUT II.

Actus Religionis tum interiores , tum exteriores

DOCTRINA.

IX. Ado-

CAPUT III.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

DISSERTATIO II.

DE ORATIONE ET LAUDE DEI PUBLICA, SIVE DE HORIS CANONICIS.

CAPUT I.

De Officii divini nomine & definitione, nec non de horarum numero, & ordine.

CONSECTARIA.

CAPUT II.

Quinam publice horas canonicas recitare teneantur, quove loco tempore, & ordine hoc debeant munus implere.

DOCTRINA.

CAPUT III.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT IV.

De privata recitatione Officii tum titulo Beneficii, tum Clericalis, tum Religiosi status.

DOCTRINA.

I. Professi in aliquo Ordine, licet in sacris non constituti, tenentur ad Offici divini reci-

CAPUT V.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT VI.

De modo, ritu, ordine, tempore recitandi privatim Horas Canonicas.

DOCTRINA.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT VIII.

De Causis a recitatione divini Officii excusantibus.

DOCTRINA.

CAPUT IX.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT X.

De onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis divini Officii.

DOCTRINA.

CAPUT XI.

De Distributionibus quotidianis juste percipiendis, vel injuste perceptis restituendis.

DOCTRINA.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

DISSERTATIO III.

DE ECCLESIASTICIS BENEFICIIS.

CAPUT I.

De definitione & divisione Beneficiorum .

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT III.

De Subjectis ad Beneficia idoneis , & de conditionibus ad ea obtinenda requisitis .

DOCTRINA.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ .

CAPUT V.

De modis Beneficia obtinendi .

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT VII.

De dignioribus ad Beneficia eligendis, & de vetita Beneficiorum pluralitate.

DOCTRINA.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT X.

De Beneficiariorum oneribus.

DOCTRINA.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

DE RESIDENTIA.

CAPUT XI.

De Beneficiorum vacatione.

DOCTRINA.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

DISSERTATIO IV.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

DOCTRINA.

CAPUT I.

De Superstitione indebiti cultus , & de Idololatria.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT III.

De ceteris Superstitionis speciebus, Divinatione, & vana Observantia .

DOCTRINA.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT V.

De Magia & Maleficio .

DOCTRINA.

XII.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

DISSERTATIO V.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS PER DEFECTUM.

CAPUT I.

De Tentatione Dei, & Sacrilegio.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CA-

CAPUT III.

DE SIMONIA.

Simoniæ notio, definitio, & divisio traditur. Varia pretii genera enumerantur & explicantur.

DOCTRINA.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT V.

De materia Simoniæ realis in iis, quæ sunt juris divini, ac de simoniaci pretii solutione.

DOCTRINA.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

V. In

CAPUT VII.

De Simonia in collatione Beneficiorum & de Confidentia Beneficiali.

DOCTRINA.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT IX.

De Simonia in ingressu Religionis, & in Defunctorum funeribus.

DOCTRINA.

II. Licet

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT XI.

De Simoniacorum pœnis, & Restitutione.

DOCTRINA.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

ETHI-